


Biblioteca Universitaria
SERIAL
A
16150

La. 4

6

No. 1
5-99



2 400 40 **Salta** MADE IN SPAIN

del Collegio de San Pedro de Granada

PETRI

A NAVARRA

TOLETANI THEOLOGI,

DE ABLATORVM RESTI-

TVTIONE IN FORO

CONSCIENIAE.

*Libri quatuor in duos tomos diuisi: Quorum prior de damnis
illatis redintegrandis: posterior de rebus
ablatis restituendis disputat.*

Omnia sub censura & correctione S. R. Ecclesiae
fideique Censorum.

*Ad Illustrissimum ac Reuerendissimum D. D. Gasparem à Quiroga, S. R.
Ecclesia Cardinalem, Archiepiscopum Tolet.
Hispaniarum Primatem, &c.*


*Hac secunda editione ab infinitis quae operarum incuria irreperunt
mendis, summa cura & diligentia repurgati.*



LVGDVNI,
EX OFFICINA IVNTAR

M. D. XCIII.






DOCTRINA, INGENIO,
Pietate Clarissimo viro, D. Antonio Emanueli
Chalom, Regio Consiliario, & Lugdunensis Dice-
cesis Officiali meritissimo, Joannes Baptista Re-
gnauld, S. P.



IRINCEPS ingenij & doctrinæ
Plato, felicem esse ciuium ciui-
tatisque statum censet, qui Iudi-
cem sortiti ε νέον ἀλλὰ γέροντα καὶ ὀψι-
μαθῆ γεγονότα τῆς ἀδικίας, οἷόν ἐστιν: εὐκ-
δικεῖαν ἐν τῇ αὐτῆς ψυχῇ ἐνοῦσαν ἠσθημῶν,
ἀλλ' ἀλοτείας μεμελετηγότα ὅν πολλῶν χρόνῳ, διασθάνεσθαι
οἷον πέφυκε κακῶν ἐπισημῆ, εὐκ ἐμπειρία δικία κεχρημῶν.
Cuius quidem consilij ratio ab optimis semper
probata ciuibus, mentem meam Petri Nauarri,
de Restitutione, editionem subinde meditantem
occupauit. Ne forte dum in publicum proditu-
ra δικασίω, patronumque flagitat, cuius sancti-
tate & dignitate (ipse licet illustis) adhuc tamen
cæteris extinctis eluceat: quem elegerim, non lu-
men sed tenebras præferat: Quem tamen tibi (vir
Doctissime) præferam (repetita licet sæpius cogi-
tatione) inueni neminem: Tu enim γενναροῦτατος, ὁ τῆς
πλατωνος, τοιούτος δικασίης, qui fero quale quid iniu-
stitia sit didicisti, nec quod propriam in animo
tuo senseris, sed alienam, & in alienis animis lon-

go temporis cursu intuitus, nosti cuiusmodi sit malum, nō propria experientia, sed potius scientia iudicare didicisti: Sola tu virtute duce, ad grauiissima Ecclesiæ quæ maxima omnium, an dicam laude, an admiratione? prudenter geris munia vectus: Eademque iterum propter summam rerum humanarum & ciuiliū, qua præcellis, experientiam ad Regij Consiliarij dignitatem vocato comes assidua: Virtutis quidem & honesti speciem, assiduè animo contemplaris, acerrimisque mentis oculis cōtueris, eius incredibili amore inflammatus, nihil præterea admiraris, non emolumentum, non gloriam inanem, non aurem popularē, non cætera quæ cuius est populo contingere queant. Usque adeo vt illud quod à Cicero, (an potius Platone) præclare dictum est, virtutis speciem si oculis cerneretur, mirabiles sui amores excitaturam, in te confirmatum & comprobatum esse videatur: In eius siquidem mentia veteres poëtæ, vt author Plato, iustos *φάνωμιός ποιήσει τ' ἀπαντα κρόνον ἦδη διάγειν μεθυοίτας.* Nec qui scriptorē penitus intueatur prorsus tanti nominis viro indignum inueniet: summa siquidem cū diuini, tū humani iuris peritia, abditas & multis doctorum controuersis sententijs obscuras de restitutione in vtroque foro quæstiones, sin minus disertè, (quod res ipsa ferre non poterat) at prudenter & eruditè explicat: & tam periculosam tempestatem, qua subinde agitantur humanorum mentes, piè & iustè euitandi viam demonstrat. Quod opus cui æquius offerri, dari, vel dicari:

cari: imo quis illud rectius iure suo vindicare vel flagitare, poterit, quàm qui idem crebra suorum ciuium assensione, multaque admiratione, ipsas quæstiones in exteriori foro pro tribunali explicat, & in interiori errantes sanctè pièque reducit, pœnitentēsque diuinitus concessa potestate, absoluit. Quod si nihil tibi noui, qui abditissima vtriusque iuris penetralia, summa diligentia, prudentia nō mediocri, & diuturna experientia pandere didicisti, diligentissimi huius viri scriptio, accurata & subtilis conferat, saltem hoc vno inutilis esse nō poterit, quod plurima multiplici reipub. cū Ecclesiasticæ, tum ciuilis negotio impedita memoria, expeditè mentis oculis obijciet. Suscipe itaq; (vir multis modis ornatissime) tibi, tuoque muneri dicatum & debitum, Doctissimi huius viri opus, nostra cura, sumptibusque ab infinitis quibus ante scatebat, miserèque laniabatur mendis repurgatum, ea mente, qua studiosorum vigilias, & Reipub. aptè gerendæ vtilis labores soles intueri. Et à maleuolorum, si quæ illud temerè inuaserint, censuris, qua polles dignitate, autoritate & beneuolentia strenuè vindica: Quod si, vt spero, contigerit, nouos quotidie, rei; publicæ apprimè necessarios huiusmodi tuo auspicio labores suscipiendi animus accedet, Vale.



ILLVSTRISSIMO PRINCIPI,
& Reuerendissimo Præfuli Domino D. Gaspari à Quiroga, S.R. Ecclesiæ Cardinali, Archiepiscopo Toletano, Hispaniarum Primati, Castellæ Cancellario maximo, generali Inquisitori, &c.

Suus in Christo feruus Petrus à Nauarra
perpetuam fœlicitatem.



Composueram, licet fragili, ac imbecilli valetudine, opus hoc de Restitutione, Princeps Illustrissime, ac Reuerendissime Præsul. Tum ne omnino inutilis atque otiosus viderer: tum ut Christianis nostris prodessem, Ecclesiæq; inseruirem: tum demum ut multorum grauium ac religiosorum hominum petitioni, hortatuiq; obtemperarem. Considerans verè sapius ipse mecum, quò plus opera, & studij (quæ non parua fuerunt) in eo elaborando contulissim: eò minùs autoritate, & opinione honestatum videri (non enim erat illa, Præsul, tanta, quanta pro maximis meis in literas laboribus esse deberet) in animum induxi meum, ut tuæ illustrissimæ Celitudini dicere, & offerre auderem. Hoc consilio plura me consecutum putabam.

putabam. Primum (quod caput est) te hoc pacto singulari quadam subditi, & capellani significatione Prælatum, ac Dominum meum profitebar, quem antea communi dumtaxat ciuis, & subditi officio coluissim, & obseruassim. Deinde opus tibi quasi debitum nuncupabam, cui, ut omnes probè agnoscunt, nihil est antiquius, quàm & fauere bonis literis, & eorum animos erigere, qui in eam laudandam, & honestissimam exercitationem operam dedissent, cunctantes atq; diffidentes excitare. Prodit igitur, & ad te proficiscitur mea hæc Theologica scriptio, Princeps Illustrissime, à quo maiorem in modum supplex peto, eam velit suscipere sub umbra, & protectione sui Reuerendissimi nominis: sic enim spero fore, ut si cum esset mea, obscura esset, & exigua, sit, postquam erit tua, grandis atque illustris: sic ab omnibus placidè excipietur obstructo ore iniqua loquentis: sic confessoriis, bonorumque pœnitentium conscientis proderit, in quorum gratiam opus scriptum est. Denique seruietur Ecclesiæ, glorificabiturque Deus Opt. & Max. à quo etiam atq; etiam peto, & quaeso, quo nobis Illustrissimam & Reuerendissimam Celitudinem tuam incolumem per multa tempora conseruet, ad maiorem, & suæ Ecclesiæ utilitatem, & augmentum tuæ dignitatis.

CON

CONTENTA IN HOC
PRIMO TOMO.

LIBER PRIMVS DE NECESSITATE
& natura restitutionis.


Cap. primum, de necessitate restituendi.
Cap. secundum, de nomine & ratione restitutionis.

LIBER SECVNDVS DE DAMNI-
ficantibus proximum.

Cap. primum, de damnificante in communi.
Cap. secundum, de lædente in bonis spiritualibus.
Cap. tertium, de lædente in bonis corporis.
Cap. quartum, de damnificante in fama & honore.

Hoc loco notandum est, ne curiosus lector dubius vagetur, si quando videat citari caput sine libro (quod raro fiet) si forte illud caput non inueniat intelligat, si caput citatum est 3. esse primum libri 2. si 4. esse secundum eiusdem lib. si 5. esse tertium, si 6. esse quartum eiusdem lib. si 7. esse primum, secundum, & tertium libri 3. Erat enim nimis longum: si 8. esse quartum, si 9. esse quintum d. 3. libri. Denique, si 10. erit primum lib. 4. si 11. erit secundum, si 12. erit tertium, si 13. erit quartum, si 14. erit quintum: id enim iustis de causis ob methodi rationem ita factum est.

PRÆFA



PRÆFATIO
AD LECTOREM.



QVONIAM putamus nullam esse nationem tam immanem atque barbaram, quæ vnum sui effectorem, ac Deum non agnoscat, à quo sibi sit, & fœlicitas, & cuncta alia bona conferenda: quæque nolit hanc salutem sempiternam ac cætera necessaria sibi conferri, quin potius contrà, summum esse huius vitæ negotium, nihilque melius homini, nihil magis expetendum, nihil omnino tanta salute præstantius non arbitretur: idcirco ad id, nos, toto (vt aiunt) pectore, negotium assequendum iuuare, pro virili decreuimus. Sane etsi quondam nobis faciendum putabamus: vt de salutari hac philosophia iuxta latissimam eius rationem doctrinam traderemus, ideit, in omnem Theologiam conscriptam aliquam rationem studiosis viris offerremus, fontesque aperiremus, vnde tota hæc nostræ salutis philosophia manasset, quam cælestis ille Magister dominus ac R. N. Christus Iesus è cælo deuocauit, vt ea, veluti quadam magistra, morumque disciplina instructi, ad eum, à quo fuimus profecti, redditum securum haberemus: tamen cum inspecta fragilitate, ac imbecillitate valetudinis nostræ longum, & omnino difficile opus, nostrisque impar humeris suscipere existimarem: cumque etiã sapius graues doctique viri, quorum apud nos non exigua merita constarent, à nobis contendissent, vt scholasticis disputationibus, tanquam minus vtilibus (licet altioribus illis quidem, & in Ecclesia pernecessariis, iureque laudandis) dimissis, de quibus multa à sapientibus essent literis prodita: de morali doctrina, vix tandem esset aliquid planè, & his temporibus accommodatè scriptum, de ea animum ad scribendum accommodarem: eorum ego acquiescens præceptis, ad hanc veluti mansuetiorem musam me reuertere statui. Commouit me rei magnitudo, amicorum eorumque gra-

A D M O N I T I O

animum, ac religiosorum crebra, & importuna sollicitatio: proximorum ac nostra fortasse etiam utilitas. Quamuis (fatendum est enim) objiciebatur interdum metus quidam, & angor cogitandi: fore permultos, quibus noster hic labor non probaretur, non paucos contra esse dicturos, id nobis tamen bono ac forti animo superandum putauimus, cogitantibus eam esse viuendi conditionem, vel potius confusionem, quam vitare nullo modo possemus, nisi vel mundo fugeremus, vel nihil omnino scriberemus. Cum praefertim considerarem ipse mecum fuisse complures, ita Ecclesiae Christi amantissimos, de eademque praecclare meritos, qui neque inuidorum ac improborum hominum metu exterriti, neque obrectationibus quidem compulsi ullis, quibus etiam saepe moueri solent fortissimi viri ab honestissimo sanctissimoque proposito destiterunt. Non ergo putavi mihi omnium minimo esse quidquam pertimescendum, si ad tantorum virorum coetum me aggregassem, ut quasi communi cum illis officio functus, laudem, vel vituperationem communem haberem.

C O G I T A N T I verò mihi, cum multa essent in hac morali Theologia disputatu digna cuiusque nostrorum spirituali salutis utilissima, non posse me aduersa semper valetudine videntem integram de re morali (quae longissima est) elucidationem conficere, veniebat in mentem fore vtilius, si de restitutione sermonem instituerem. Cum enim iustitiae tum excellentis per se virtutis: tum verò ad moderandam religionem imò & temporalem rempubl. maximè necessariae praecipua pars sit male partum restituere, maleque retentum, neminem certè, non modo clericorum, sed ne laicorum quidem hominum illam putamus ignorare oportere, ac propterea operae pretium fuerit radices inuestigare: unde restituendi obligatio procederet, ut omnes aut certè ij, qui animarum suarum omni argento, & auro pretiosiore rationem ducere statuunt, id melius ac facilius consequi possent. Cum autem duo sint iudicio meo restituendi impedimenta, cupiditas, & ignorantia, quarum haec intellectum deprimit, illa voluntatem: conuincatorum diuini verbi putamus esse primum auferre impedimentum, hominum voluntatem à temporalibus & fluentibus bonis ad vera, & incommutabilia transferendo: Theologorum manus esse propriam mentem via, & ratione illustrando operam dare, ut à prauis cogitationibus, & erroribus, quoad fieri poterit liberentur mortales. Quoniam verò nos Theologi, inquam circumdati quoque sumus infirmitate, Quis enim sit tam absolutus doctor, qui

A D L E C T O R E M.

qui omnia ad viuum refecare, & suis librare ponderibus possit? Quis tam vigilans, qui non quandoque dormitet? Quis demum tam linceus, qui in tantis, & quasi perpetuis huius mundi tenebris nihil offendat? ideo si id quod cupimus minus consequi, at illud tamen consecuti videbimur, ut cum Christianis nostris voluntate atque studio nostro non defuisse, tum etiam sapientioribus etiam hominibus melius philosophandi viam praemuniisse videremur, quem certè vnicum fructum mihi propono laborum & vigiliarum mearum, si inquam doctos homines quandoque meis assertis, quae probabunt allesti, quandoque iis, quae non probabunt, commoti ab infructuosis studiis ad hanc pernecessariam in Ecclesia moralem scientiam traducerem, in quo sanè vehementer laudanda est, hac arate, Hispanorum nostrorum his temporibus pia, & utilis opera, qui salutis animarum suarum cupidi, quibusdam artibus (quarum nulla aut parua esset utilitas) omnino neglectis, in hanc salutarem exercitationem operam dare iam pridem consueuerunt.

N O S igitur etiam si nullam gloriam adepti erimus (quam sane minime consectamur) eo contenti erimus tamen, si vel bonorum consciētis opem aliquam attulisse, vel certè eruditorum animos ad hanc vtiliorem philosophiam impullisse putaremur. Et cum omnium partium huius disciplinae, quae ad rectam viuendi viam pertinet, quae Theologia de moribus, aut moralis appellari solet, potissima nobis illa videatur esse, quae suum unicuique iustitia tribueret, cuius praecipuus actus sit eum, cui damnum intulisti, aut alia iniuria lacestiueris restituendo, satisfaciendoque placare, ideo de restitutione animus est, quam primum sermonem instituire.

E R G O diuino praeuente, & subsequente adiutorio ad quatuor pro nunc libros totam hanc disputationem reducemus, ut via & ordine nostra constet oratio. In primo libro de Restituendi necessitate, & natura per duo capita differitur. Secundus liber eum explicare oportebat, qui ad restitutionem teneretur, quoniam verò id esset perlongum, in duos distribuere sumus coacti: ut alter, qui secundus liber esset, ageret de damnis redintegrandis: quamobrem quatuor habet praecipua cap. primum, de dante damnum in communi: secundum, de laedente in bonis spiritualibus: tertium, de damnificante in vita & membris: quartum denique de iniuriante in fama, & honore. Alter igitur qui ordine tertius liber est, de rebus restituendis disputaret per quinque capita. Pri-

ADM ONIT IO

num de restitutione agit rei alienæ furto & rapinâ occupatæ. Secundum de eiusdem rei restitutione ex contractu acquisitæ. Tertium de alieni redditione ex officio partis. Quartum de currentibus cum fure & damnum dante. Quintum denique de impediente boni affecutionem. Tandem quartus liber circumstantias considerat in restitutione obseruandas per sex capita. Quorum primum, explicat quid restituendum est? Secundum cui restitutio fiet? Tertius ubi & quibus expensis? Quartum quando? Quintum denique, quo ordine restituere oportet? Quibus pro modulo ingenij nostri, si non omnia, at ea tamen quæ frequentius contingere solent in restituendo explanare studebimus.

IN quibus si quid erit, quod alicui omnino non arrideat, veniam iuuentuti darè debet, in qua adhuc sumus: eoque tempore assiduis infirmitatibus retardati, tum alienioribus occupationibus impediti ita fuimus, vt interdum de nouo incipere magis quàm cœpta contexere cuperemus. Sin autem quidpiam erit, quod iure laudari posse videbitur Deo Opt. & Maximo, à quo omne datum optimum emanat, feret acceptum, pro nobisque Deum orari petimus.

CVM instituti nostri in hoc opere rationem reddiderimus lectori: placet nonnulla præmittere, quæ animaduertere lectorem par iudicamus. Primum sibi velim lector persuadeat, me hic nihil minus facere velle quàm contendere, & aliorum placita refutare. Hoc enim indignum est sapientis grauitate, modestia, atque constantia: sed solum veritatis inuestigandæ studio, quid verisimilius in opinionum diuersitate ostendere. Quapropter nobis placeret magis nullum in specie doctorem impugnandum citare, quod sane præstare non possumus sine magna & eruditionis debitæ & vtilitatis legentium iactura. Quare etsi permulti fuerint, ij denique viri clari, quos commemoratio posteritatis, vel cepit, vel incendit, & in spem quandam immortalitatis rapti fortasse etiam non reprehendenda ad scribendum sint aducti: nos certè non ita: quin potius cum iubente Apostolo, *omnia in Dei gloriam & in nomine D.N. Iesu Christi* facere par sit, id nobis precipuè propositum esse debet, vt diuinam in hoc opere gloriam complectamur, & omnino consectemur, quod si re (quod nollemus) non præstabitur: nam nostram fragilitatem extimescimus: id nihilo minus vehementer optamus, ac à Domino, vt id in nobis perficere velit continenter petimus.

DEINDE nihil mihi credi volo nisi probanti. Vnde nec mirabitur

AD LECTOREM

rabitur quispiam, si aliorum dicta atque sententias etiam probari postulemus. Alioqui non plus quàm humanæ fidei assensum præstare, vel possumus, vel debemus. Quæ sanè humana fides ad pariendam scientiam, quam hic præcipuè requirimus, parum, aut nihil valere liquet.

R VRSVS postrationem (intelligo autem nomine rationis etiam firmum testimonium, vel scripturæ, vel Iurium, vel etiam patrum) D. Th. doctrina & autoritas apud me valebit plurimum. Non ita tamen, vt cum constans nos testimonium vel ratio vigeat proterui eum defendamus. Non enim placet quorundam hominum stylus, qui Thomistæ & haberi, & nominari volunt, quique in eius verba adeo iurasse videntur, vt nihil sit, quod ipsi absque vlla examinatione, tanquam certum verumque defendere non dubitent. Quod sane nec mihi, nec ipsi D. Tho. nec vlli maturo iudicio viro placere posse intelligo. Nunquid omnia ad vnguem examinare potuit Diuus Thomas: quod si potuisset, nunquid erat certa & infallibilis regula veritatis indagandæ, vt nihil alijs ingenijs natura, aut Deus inuestigandum reliquisset? Num Aristoteli id natura concessit? cum tamen ipsius Diui Thomæ, & omnium gentium vno consensu circa naturalia pari ingenio nullus extiterit? At quoties & Diuus Thomas, & nos ab eius opinione recedimus? Vterius, vt propius accedamus. Quis inter Christianos Doctores Augustino vel doctior, vel acutior? à quo tamen Sanctus Thomas quandoque recessit ratione conuictus. Demùm si Diuus Thomas Aristotelem, seu Augustinum, aut quempiam alium Doctorem, sibi vt regulam proposuisset, quomodo Philosophia, quomodo tandem Theologia ab eo amplificata fuisset? Vt igitur cætera omittamus, persæpe eius doctrinam consectabimur, autoritatè mque grauissimâ, cui nos omnia fere, quæ scimus (si quæ illa sunt) ab eo edoctos esse ingenuè, & apertè confitemur: non ita tamen cõfirmatè ei adherēbimus, vt cum ratio efficacax, vrgensque occurrat, vel nostra, vel aliorum, quod fiet perrarò non eam celerius, vt æquum est amplectamur. Sanctum quippe est (teste Arist. libro primo Eth.) veritatem amicitia in honore anteponere. Vnde ni fallor vulgatum illud axioma manauit *amicus Socrates, amicus Plato, sed magis amica veritas*. Namque eo in capite de Platone, eiusque ideis, licet authore tacito loquebatur.

P R A E T E R E A curabimus in referendis testimoniis, & aliorum placitis, testes oculatos nos exhibere, quorum si libros ad manum non habebimus, eos à quibus referuntur notabimus. Percrebuit

A D M O N I T I O

enim non paruis abusus eorum, qui non, ut oportebat suo momento, & æqua æstimatione res ponderantes, sed populari quadam trutina aliorum, referunt sententias, quas ipsi non legerunt, sed vel dictis aliorum, vel codicibus, sæpiusque fide non bona, quæ omnia ad faciendam fidem, apud grauitatis præsertim studiosos, parum, aut nihil roboris habere videntur. Amplius intelligat lector, nos fures esse nolle laboris alieni. Non enim adeò gloriæ cupidi sumus, ut eam his modis, & artibus parare velimus. Creuit hac ætate (mea quidem sententia) librorum numerus, eo quòd plerique aliorum labores manu scriptos, suo nomine euulgant, vel certè aliorum Doctorum res, & studia alio stylo, & oratione immutata, quasi suos, nouosque libros reuendunt: è quibus priores, gloriæ populari: posteriores verò lucro inferuire: omnes in turpissimo fallendi genere versari mihi videntur. Vnde ortum est illud quod et si sordida oratione verè à quibusdam ista considerantibus dictum audiui ex eorum persona: *mutavi stylum, feci librum, da mihi nūmos*. Nos igitur, qui nec spe quæstus venimus ad scribendum, nec humana, & populari gloria capti, ad quam fertur optimus quisque, quæ sane non vera & solida gloria est, sed veræ gloriæ resonans tanquam imago gloriæ.

Nos igitur ista omnino fugere cupientes, sic faciendum putauimus, ut cum occurrat discutienda quæstio, vel doctrina tradenda quæ ab aliquo sit rectè disputata, ad eum lectorem cum bona gratia remittamus. Tum ne tempus inaniter consumamus. Tum ne aliorum labores, & gloriam nobis petulanter arrogemus. Denique, ne ea quæ præclare, & copiosè ab eis tradita sunt, nos tenui ingenio, & inculto sermone nostro deturpemus. Quæ obrem tunc rem duntaxat aggrediemur, cum aliqua legemus in ipsis quæ, vel non placent omnino, vel examinatione, & declaratione egeant, vel certè, quia apud multos requirenda veritas sit, quæ à nobis breuiore, & clariore oratione colligitur, ut vel sic labore, & molestia lectorem liberemus.

VLTERRIVS animaduertere lectorem volumus, sæpius nos ex utroque iure text. atque rationes ducere in hoc opere. Ex quibus ea quæ ex iure civili citamus, non ita certa ei efficiamus, ut non putemus eum oportere curiosius perspicere. Consulto enim prædicta iura ac leges communis (inquam) civilis, non ad vnguem expendimus. Tum, quia, qui Theologice scribimus, non multum ijs sententijs niri debemus: Tum, quod eas legis habere vim, minime putamus, sed intra latitudinem (ut aiunt) opinionis tan-

* *

A D L E C T O R E M.

quam sapientium quedam dicta esse accipienda, & certè suspicenda. Vnde ad iudicium sententias ferendas, magis quàm ad ligandam conscientiam ante condemnationem, pertinere censemus. Denique quod ad manum non semper haberemus, ut examinare ac ponderare possemus. Quod certe contra præstitimus in iuribus Canonici corporis, ac in legibus ciuilibus nostri regni, quæ cum leges veræ sint, vim coactiuam obligantem quæ habeant etiam ante sententiam, cum non merè pænales erunt, nostrum erat certè eas videre, & suis librare ponderibus, quippe cum ex eis, & peccati & restitutionis ratio sæpe dependeat. Illas ergo communis iuris ciuilibus leges ex aliorum fide à quibus citatis accepimus, accipiet lector: has verò ex nostra fide ac labore. Alia quæ hîc non aduertimus lectoris pietati, & prudentiæ relinquimus.

* *

DE



DE ABLATORVM RESTITVTIONE

LIBRI TRES.



PETRO A NAVARRA TOLETANO
Presbytero Autore.

LIBER PRIMVS DE NECESSI-
tate & natura restitutionis.

De necessitate restituendi. Cap. I.



QVONIAM intentionis nostræ est Christianorum hominum conscientis in hoc, quod suscipimus opere subuenire, non putauimus conuenire orationis vbertatem consecrari, sed nudam synceramq; veritatem declarare, eandemque semper firma ratione comprobare, quantum Deo adiutore fieri poterit. Ita fiet, vt & minus docti sacerdotes sine vilo negotio quæ dicuntur intelligant, & rerum confusionem obscuritatēque vitemus: quam, quidam minus consideratē de re morali tractantes non sine discipulorum incommodo introduxerunt. Exigit enim certa quædam vocabula, propriosque terminos disciplina omnis, multoque magis moralis hæc doctrina, quæ de moribus institutisque vitæ, de rebus domesticis, ac familiaribus disputat: ac propterea sermo, vt rebus consonet sic accommodari debet, vt non diuinare doctoris mentem, ac sensum lector debeat, sed potius, vt doctor ipse lectoris discipulique casus, & quæstiones quasi diuinando, eius animum & conscientiam facilitate, ac resolutione extricare, pacatam & tranquillam reddere possit. Vtemur igitur nos, non certè (id enim semper fugimus) humili, & sordido stylo, neque verò contra sublimi atque elato, sed plano, proprio, ac resolutionis, & breuitatis pleno, vti nobiles Theologi, ac Iuris periti fecerunt. Quod si, vt cupimus non assequemur, sequemur certè, & vt aliquando saltem assequamur elaborabimus. Quoniam verò per quæstiones & dubitatio-



nes effici solet & illustrior, & delectabilior oratio, & quoniam priscorum nostrorum doctorum exemplum ita nos admonet: necessaria visa res est, ut eorum vestigiis inhærendo, interrogando & respondendo procedamus.

PRIMA igitur dubitatio sit, utrum restitutio sit medium ad salutem necessarium? Sanè fuit error Græcorum asseuerantium restitutionem non modò non esse necessariam, ut medium: sed nec etiam ut præceptum, quasi integrum sit cuique ære alieno oppresso, absque conscientie periculo illud retinere & omnino non restituere. Ita profecto refert Alfonso à Castro lib. 18. de Hæresibus, verbo *restitutio*, & Guido narrat Carmelita referente eodem Castro, idem refert Dominicus Soto 4. lib. de Iust. quæst. 6. artic. 2. Vnde pro furto, usura, & rapina non iniungunt satisfactionem, aut restitutionem, sed oleo vngunt raptorem & furem quem astringunt, ut aliquam pecunie portionem sacerdoti tribuat. In hoc autem errore Erasmus aliquando fuisse videtur: nam super illud verbû Christi Luc. 11. *quod superest date eleemosynam*, sic ait: *illud annotandum cum modo fecerit mentionem rapinae, in remedio non fecisse mentionem restitutionis. Tantum pollicetur, eleemosyna data omnia fore munda.* hæc ille, qui in meliorem tamen mentem mutatus in quinta editione adiecit isto modo, *Sed qui iubetur dare ys quibus nihil debet, multo magis iubetur reddere si quid, cui debet.* Hic error planè conuincitur. Primum, omnium gentium communi consensu: quæ enim est tam inculta, & barbaranatio, quæ non censeat iniuste parta retinere non posse, ac proinde esse domino restituenda, quod, & illa naturalis lex, (quæ est veluti dignitas, ac primum principium in moribus lumine naturali cuique inditum) docet, qua dicitur, *quod tibi fieri non vis alteri ne feceris.* Quam Christus Redemptor noster confirmans apud Matth. 7. sic ait: *Quodcumque vultis, ut faciant vobis homines, & vos facite illis,* & id ipsum reperies apud Tob. cap. 4. At quis est qui spoliari velit? vnde Apost. *nolumus spoliari.* Quis non velit sibi ablata restitui. Vnde Cicero 1. lib. de Natura deorum: *Ablata iustitia, excellentissima virtute, summa sequatur necesse est perturbatio atque confusio.* Vnde ad Rom. 3. *omnibus reddite debitum, cui tributum, &c. Nemini quidquam debeatis, &c.* Hanc iustitiæ æqualitatem seruandam esse suum unicuique reddendo aperitissimè Christus præcepit dum dixit: *Reddite ergo quæ sunt Cesaris Cesari, &c.* Præterea quis ignorat depositum esse suis dominis reddendum, pignus, commodatum, &c. Multo ergo magis necesse erit reddere alienum malè partum, & retentum, cum maior in eo iniuria, & damnum proximo inferatur. Præterea mutua hominum societas, & dilectio est de iure naturali, sicut & iustitia: in eo enim cognoscit Christus eos, qui sunt eius, si inuicem se dilexerint. Quæ autem charitas & dilectio esse potest in eo, qui proximi bona rapit, furatur, &c. Quamobrem Tob. 2. cum balantem hædum audiisset: *Vide-te (inquit) ne furtiuus sit, reddite eum dominis suis, quia non licet nobis edere*

ex furto aliquid aut contingere. Hac certè conditione ac lege peccatorum à Deo promissa venia est, vide quanti referat acceptum restituere. *Si impius egerit pœnitentiam* (ait Dominus apud Ezech. 33.) *feceritque iustitiam: pignus restituerit, rapinam reddiderit, &c.* Vide quàm Dominus socias esse voluerit has duas, pœnitentiam, nempe, & iustitiam, ut illis placatus veniam concedat, & gratiam: sine illis autem implacatus condemnet. Cuius rei testis esse potest totus ille à Deo sermo contextus in cap. 22. Exod. præceptorum de restitutione & iustitia plenus, vnde inter alia: *Si fur non habeat quid pro furto reddat ipse venundabitur.* Et infra. *si laferit quisquam agrum, vel vineam, &c. damni estimationem restituet.* Consulat lector Augu. epist. 54. ad Macedonium, vbi habetur celebratissimum illud ab eo vsq; adhuc doctoribus, axioma. *NON dimittitur peccatum nisi restituatur ablatum*, quod refertur à Grat. 14. q. 6. c. si res, & in c. peccatum de Reg. iur. in 6. Vnde Alex. 3. in c. sicut dignum, de Homicid. sic ait: *Quæ acceperunt tenentur in integrum restituere, si in facultatibus habeant, vnde possint reddere.* Neque verò in hanc sententiam plura conferre oportet, cum res non modò in Ecclesia nostra, sed apud Barbaros ipsos certissima semper sit habita. Satis siquidem esse debebat expressum illud decalogi præceptum, non solum diuinum, sed naturale etiam existens, quo dicitur, *Non furtum facies.* Qui enim alienum non esse accipiendum præcipit quomodo retineri domino inuito pateretur? cum non aliter acceptio iniusta sit quàm ratione retentionis: quia proximus à rei suæ possessione impeditur iniuste, ob idque sapientes in eo præcepto de non furando, restitutionis præceptum inclusum esse censuerunt, ut in 3. huius c. dubitatione latius dicemus.

SECUNDA, maiorq; dubitatio est. An restituendi necessitas non modò à diuino naturaliq; præcepto trahat originem, verum etiam ita sit necessaria, ut sit medium ad salutem simpliciter necessarium? NON enim defunt qui doceant restitutionem ita esse necessariam, ac medium ad salutem simpliciter necessariam, sicut Fides, Gratia, Baptismus, Pœnitentia, &c. Ita docuit Gab. in 4. d. 15. q. 2. con. 1. & Merc. trac. de Restit. c. 1. eam sententiam nos in eorum gratiam, vna aut altera ratione confirmabimus. Primum quoniam, ut patet ex illo loco Ezech. 33. eisdem prorsus verbis restitutionis & pœnitentiæ necessitas declarata est, dum dicit: *Si impius egerit pœnitentiam feceritq; iustitiam, pignus restituerit, &c.* At pœnitentia medium est ad salutem necessarium lapsis post baptismum: est enim secunda post naufragium tabula, ut patres apud docuerunt. Igitur restitutio lapsis, contra iustitiã id est, iis qui contra iustitiam deliquerunt, erit simpliciter necessaria. Deinde, quoniam restitutio videtur pars satisfactionis sacramentique pœnitentiæ. At autem sacramentum pœnitentiæ est mediũ ad salutem necessarium, igitur, &c. Tandem, quia cur baptismus, & pœnitentia sunt media necessaria ad salutem, nisi quia ita legimus, *nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto non poterit introire in regnum Dei*, Ioannis tertio, &

4
 9 alibi nisi poenitentiam habueritis omnes similiter peribitis, Luc. 13. Si igitur ex iis verbis Theologi colligunt hæc sacramenta esse necessaria, vt media, cur non idem de restitutione colligere debemus. Cùm vera sit illa sententia, non remittitur peccatum nisi restituatur ablatum. Deniq; quoniam D. Tho. 2. 2. q. 62. artic. 2. Merc. & Gab. citati, & cæteri ex eo fatentur absolutè restitutionem esse de necessitate salutis. Non enim id solum ratione præcepti venit accipiendum, cùm reuera de nullius alterius virtutis actu id docuerit, nusquam enim docuit D. Thom. vel ieiunare, vel festa colere, vel elemosynam facere, non adulterare, aut pejerare, esse de necessitate salutis. Dum ergò specialiter de restitutione id docuit, videtur existimasse aliam necessitatè quàm præcepti, sicut cùm non de omni sacramento, sed de baptismo & poenitentia, imo de Eucharistia id specialiter docuerit, cùm tamen certum sit sacramentum confirmationis & extremæ vnctionis esse necessaria ratione præcepti. Vnde ipse planè fatetur 3. p. q. 65. ar. 4. confirmationem non esse de necessitate salutis. Si igitur, vbi res vel actus est in præcepto diuino, non agnoscit D. Tho. necessitatem finis id est, non confiteretur, sed negat potius esse de necessitate salutis, consequens est, quod vbi id planè fatetur: vt de restitutione docuit, etiam senserit esse necessariam, vt medium ad salutem simpliciter necessarium.

10
 11 CAETERVM ego huic sententiæ minime acquiesco, fieret enim ex ea, vt si quis per ignorantiam inculpabilem, aut obliuionem decederet sine restitutione, vt nostris temporibus plures, qui, vel sine testamento moriuntur, vel memoriæ non occurrit restitutio, non saluarentur. Sine medio enim simpliciter necessario ad salutem nemo potest saluari, etiam inuincibiliter ignorans. Sine baptismo enim aut poenitentia, aut fide nemo saluus fieret quamquam inculpabili ignorantia laboraret, licet non peccaret illà non habendo. Sic igitur esset dicendum: quod licet non peccaret non restituens inuincibili subiectus ignorantia, non saluaretur, quod paradoxicum videtur assertum. Deinde omnium sententia vt lib. 3. videbimus, c. 4. is, qui impotens est ad restituendum non est extra statum salutis, esset autem iuxta hanc sententiam, sicut ille qui ob impotentiam non est baptizatus re, aut voto, vt paruulus, vel adultus freneticus, vel aliter mète priuatus, qui etiam voti Baptismi impotentes sunt. Postremò, cur non æquè diceretur dare elemosynam, charos venerari parentes, esse de necessitate salutis? nam nisi quis proximo extremè laboranti subuenerit, aut nisi parentes honoret non consequetur gratiam, & gloriam: atque ita omnium præceptorum impletio diceretur ad salutem, medium necessarium: quod est magna improprietate loqui, & nullam agnoscere differentiam inter necessitatem mediij, & præcepti, quam certè sapientes semper agnouerunt. Cùm meritò admonent, id quod necessarium est, vt medium tale esse, vt sine illo siue ignores, siue non ignores, siue assequi possis, siue nequeas, non consequaris finem. Est enim in medio finis, sicut in virtute, & causa efficienti. Quo fit, vt non consequaris

5
 3 ris sanitatem, nisi cum effectu potionem ceperis. Neque verò quia vel ignores, medicum, vel non possis habere, proficiet tibi ad sanitatem quidquam: attamen id, quod ex præcepto tantum est necessarium, si legitima aliqua causa non perfeceris, non ob id sine carebis. Cùm igitur post lapsum primi parentis sola Dei per Christum gratia, sit medium consequendi finis nostri, qui est gloria, quæ sicut in radice, causa, ac medio necessario est in gratia gratum faciente. Idcirco ea dumtaxat, quæ hanc nobis gratiam pariunt, qualis est fides dilectrix, Baptismus, poenitentia, post lapsum baptismalis gratiæ, sunt media ad salutem necessaria.

A c proinde, vt alibi ostendimus (quidquid doctissimi hoc tempore viri opinentur è quibus videtur Dominicus Sot. in 4. d. 8. quæst. ult. art. 3. Eucharistia non est medium ita de necessitate salutis, vt sit medium ad salutem simpliciter necessarium: quia licet gratiam efficiat, at non primam ex natura suæ institutionis, sed gratiæ augmentum. Itaque præsupponit hominem gratum, & medium ad salutem iam præhabentem, ob idque dicitur commestio & nutritio, quæ operationes, actus vitales sunt, & vitam præsupponunt, quod inter Iuristas video sensisse Gloss. in c. quod in te, de Poenit. & remiss. in verbo concedimus, de quo aliàs.

14
 S i c igitur restitutio, & cuiuscunque alterius præcepti impletio etiam in voto, non est medium, sine quo gratia Christi esse nõ possit, nisi remorè, & quodammodo indirectè ratione poenitentia & contritionis, quæ est, & fuit omni tempore medium ad salutem consequendam, necessarium: ad quam poenitentiam disponit restitutio, saltem in voto seu proposito, & cuiusq; præcepti impletio, sed hac generali ratione etiam voluntas ieiunandi & sacrum audiendi esset medium necessarium. Constat enim veram poenitentiam esse non posse, nisi vel impleas vel implere velis ista præcepta. Et fortasse in hoc sensu Gab. Merc. & alij doctor. sunt elocuti. Et ita patet solutio 1. arg. ex Ezech. coniungente simul poenitentiam & restitutionem.

A d secundum. Respondeo quod vt omnes fatentur doctores, & infra edocebimus, restitutio nõ est pars satisfactionis sacramentalis. Hæc enim est in potestate sacerdotis quoad quoram, imo poenitentis simpliciter, vt quibusdam videtur acceptare volentis, non autè restitutio. Sæpe etiam restitutio requiritur ante confessionem, vt lib. 3. dicemus, sicut aliam peccandi occasionem vitare, at satisfactio nunquam.

15
 A d illud de particula [nisi] Respondeo non esse efficacem argumentationem quod vbi illa apponitur colligatur mediij necessitas. De quouis enim præcepto verè dicere possumus, nisi obseruetur, hominem fore damnandum, cùm tamen, non singulorum præceptorum observatio sit necessaria necessitate finis. Vnde de Eucharistia ait veritas. Nisi manducaueritis, &c. Cùm tamen, vt dictum est, solum sit necessaria ex vi præcepti, non ratione finis: sicut etiam dici potest, quod nisi diues det elemosynam extremè indigenti non in-

troibit in regnum Dei. At non est consequens talem actum esse medium ad salutem necessarium.

16 TERTIA dubitatio sit, ubi sit traditum istud de restitutione, præceptum in decalogo? Dixi singulariter in decalogo, nam ut supra dubio primo aduersus hæreticos dicebam, passim in diuinis foliis restitutionis præceptum est traditum. Ratio verò huius difficultatis est, quoniam cum illud præceptum decalogi *non furtum facies*, sit negatiuum, restitutionis autem sit affirmatiuum, non videtur in eo esse inclusum. Quidam existimauit præceptum restitutionis non esse idem ac de non furâdo, sed esse potius duo distincta præcepta ob rationem factam: quia dicunt, alterum est affirmatiuum, alterum negatiuum, alterum obligat ad semper, alterum non nisi certo tempore, loco, & personis. Sic profecto visum est Dominico Soto 4. lib. de Iust. & iur. quæst. 6. art. 1. & 2. in fine & q. 7. ar. 4. Vbi aliam reddit rationem, quia alterum est prohibitio mali, alterum iussio boni, ac proinde ex obiecto differunt.

17 ALII verò existimant præceptum quidem principaliter esse positium, includere tamen negationem, veluti secundario, scilicet non retinere alienum. Ita videtur sentire Caiet. in summ. verb. *restitutio*. Nau. in sum. c. 17. num. 54. & potest probari hæc sententia. Quoniam restitutio est, traditio rei in possessione veri domini, seu solutio damni illati, & licet pendeat ex non retinendo, tamen non retinere, non est formaliter restituere, sed implicatur indirectè, igitur principaliter est positium præceptum, & hinc est, quod non obligat pro semper, sed certo tempore, & loco.

18 MIHI verò aliter semper est visum hoc præceptum restituendi esse principaliter negatiuum, secundario autem immo non necessario positium. Qua in sententia D. Thom. esse censeo 2. 2. q. 62. art. 8. ad primum, Silu. rest. 5. in principio. Canum relect. de penit. 4. par. §. itaque. Sco. in 4. d. 15. q. 2. §. de 4. & affert exemplum sicut retinere (inquit) alienam mulierem est contra præceptum negatiuum. Palud. dist. 15. q. 2. art. 6. qui id probat ex illo Leuit. 16. *Non remanebit apud te opus mercenarij*. Gab. in 4. dist. 15. q. 2. con. 2. & videtur Merc. sententia trac. de restit. c. 1. dicentis esse eiusdem speciei præceptum non furandi, & restituendi. Mihi igitur certè videtur, ut dicebam (docentque præfati doctores nostræ opinionis) non esse distincta præcepta, sed tantum esse distinctionem secundum voces. Verbum enim *restituere* nomine affirmatiuum, re tamen est negatiuum scilicet non retinendi alienum, quod ex eo planè perspicitur, ut simul generalem regulam demus præcepta affirmatiua, aut negatiua cognoscendi.

QUANDO enim id quod cõcipimus aut significamus per nomen, est aliqua actio realis à parte rei, tunc præceptum quo illa prohibetur est negatiuum, & quo intimatur affirmatiuum, etiamsi conuersis nominibus vocibusque significetur. v. g. præceptum audiendi sacrum affirmatiuum est, etiamsi hac verborum forma tradatur: nullus absit sacro,

sacro, nullus omittat sacrum. Licet enim voce videatur negatiuum, quia tamen in re nulla realis actio negatur, sed potius negatur absentia seu omissio & per consequens negatur negatio, ideo præceptum reuera est affirmatiuum, nam negatio negationis affirmatio est, ut philosophi docent. Vnde negatio tenebrarum lux est, & negatio cæcitatibus visus est, & peccati negatio seu carentia, gratia ipsa præsens est. Tunc ergo, & c. Accipere alienum actio realis est, & ita præceptum, quo interdicitur acceptio negatiua est, licet affirmatiua voce poneretur. Nempe omnes tueantur, & conferuent res proximi sui, quia præceptum talis conseruationis est re ipsa non acceptio, id est, non habendi actionem illam, qua res aliena auferatur à proximo, & ita præceptum non fundandi est negatiuum. Sic igitur de præcepto restitutionis putamus esse dicendum: vsurpare siquidem rem alienam & illam retinere atque ea frui positium quid est in re. Est enim quædam possessio, & fruitio illius, & ita præceptum restitutionis licet expressè positium appareat: tamen verè, & re ipsa negatiuum est & ipsummet de nõ accipiendo alienum. Detentio enim nihil aliud est quam prima acceptio continuata, atque ita præceptum non continuandi iniustam acceptioem (quod est restituendi) est negatiuum. Quod egregiè docent illa verba D. Tho. in illa Sol. ad primum, dum ita scribit: *licet præceptum restitutionis secundum formam sit affirmatiuum, tamen includit negatiuum & ita ad statim obligat, sicut omnia negatiua præcepta*, & c. Cuius sensus planus est, quod licet forma vocis, qua traditur affirmatiua videatur, tamen reuera quod inclusum est in ea forma, negatiuum est, & hoc existimo significare voluisse Inn. in c. sæpe, de Rest. spol. dum dicit, *non multum interest, quoad forum animæ, iniuste detinere & inuadere alienum*. Vbi Glos. pro eodem (inquit) *reputant iura auferre & detinere iniuste*, ut habetur in d. c. sæpe & 16. q. 1. c. decimæ, qui enim decimas dare negligunt dicuntur res alienas inuadere, & in c. sicut, 47. d. & §. 1. 42. id. & in c. indignè. 12. q. 2. Iis enim iuribus declaratur tantum peccare cum, qui rem alienam retinet, quam, qui furatur, quasi agat contra eandem legem, ac præceptum. Vnde eo ipso, quod à possessione, fruitione, denique ab actione qua illam rem continuè contrectat, & vsurpat cessate cœperit, statim non tenetur villo præcepto contra iustitiam, quamuis per accidens importetur quædam realis actio, qua rem det, & tradat proximo, sed, ut dixi, id per accidens est, quia restitutio seu damni reparatio sine illa actione fieri non potest, siue quia dominus abest, siue alia causa, imo neque illa actio semper interuenit. Fieri namq; potest sine illa restitutio, vel quia res non distat loco à domino, & ita dumtaxat non retinendo dominus rem recuperat, quod etiam in debiti recompensatione videre licet, vel quia res est animata, ut seruus furto sublati, vel animal, ut canis, vel columba, quæ sublato impedimento pergunt ad dominum, in quibus, & similibus constat, quod eo ipso quod fur cessat ab iniusta actione & retentione dicitur verè restituisse. Et idem est de Iudice iniuste aliquè in carcere detinente, nã eo solo, quod

quod cessat à detentione dicitur Ecclesie illum restituere, vel suis, atque idem est si res sit immobilis. Si enim iura aliqua, si possessio, nem, si castellum & huiusmodi iniuste retineas, eo ipso, quod derelinquis atque ab iniusta retentione cessas, verè restituere dicetis, si ne vlla profus reali ac corporali traditione.

Dico si retinere non est agere, quid enim faciet fur pecuniam in arca retinendo? Respondeo primùm moraliter esse actionem, licet non esset physica. Habere enim ac possidere rem in arca, aut tuto loco etiam si physice nihil agatur, actio est in genere moris. Tum quia, quo ad mores attinet ita est utile ac si ageres, ita est laude, vel vituperatione dignum ac si denuo ageres, & acciperes. Tum quia est damnificatio quædam proximi, vt patet. Tum denique quia est volitio continua habendi. Deinde etiam si non esset actio tamen exterius quiddam posituum est pertinens ad prædicamentum reale Habitus. (Nam habere, possessiones, seruos, diuitias, &c. Vnum est ex 10. prædicamentis ab Arist. numeratis) & illis carere est priuatio.

Ad d. s. prædictis, quod ex omnium sententia restitutio præcepta est in illo præcepto decalogi *non furtum facies*, igitur negatiuum præceptum est. Fieri enim non potest (nisi vt supra dicebam per accidens) vt affirmatiuum præceptum sub negatiuo constituatur, cum siue sit idem præceptum, siue vnum sub altero, debeat esse aliqua similitudo. Asserere enim esse duo condistincta, & vnum sub altero non contineri, vt Sotus docet, dici non potest. Omnium enim confessio est eum, qui cum possit non restituit, furtum committere, & illo præcepto, *non furtum facies*, teneri ad restitutionem faciendam. Et ita sentit Med. C. de rest. q. 2. dicens idem esse præceptum: *Nec refert* (ait)

²⁴ *præcepto negatiuo actum posituum iuberi, cum ad obseruantiam negatiui est necessarius. Sicut præcepto non occidendi, quod negatiuum est præcipimur proximum periclitantem defendere, vel panem ei porrigere. Cum igitur finis præcepti de non furando sit, ne proximus re sua priuetur: ideo restitutio eodem præcepto indicitur.*

Ad primam igitur Soti rationem respondeo. Id enim quod est principale in hoc præcepto est non retinere alienum inuito Domino, quod statim, & semper obligat. Illa enim datio, & redditio, quæ inde resultat extrinsecè importatur & minus principaliter ad finem non retinendi iniuste: vt diximus, sæpèque non est necessaria.

Secundum autem argumentum q. illa 7. art. 4. friuolum est, Alioqui colligeret præceptum ieiunandi, & non bis comedendi esse duo præcepta, quoniam alterum est prohibitio mali, alterum iussio boni. Respondetur ergo, esse secundum voces differentiam. Restitutio enim voce bonum iubet, sicut ieiunare: sed re ipsa malum prohibet, nempe retentionem iniquam, sicut non comedere bis in die. Ac proinde, vt alio loco latius probaui, ieiunij præceptum negatiuum est, licet secundum formam affirmatiuum videatur: Non enim iubet aliquam actionem realem (aliàs nisi semel comederes non ieiunares, quod dicen

dicendum non est) sed potius abstinentiam & negationem secundam comestionis.

Ad rationem Caie. & Nauar. Respondeo, fateri eos & nos esse vnicum præceptum, sed actionem illam reddendi ablatum putant ipsi esse principale in restitutione. Nos verò putamus non retinere esse principale, ex quo illa consequitur. Immo, quandoque, vt dicebam non interuenit. Ex iis constat, præceptum de restitutione esse iuris naturalis & diuini, tam ratione iustitiæ, cuius est actus elicitus, quàm charitatis à qua imperatur: contra quam vtramque virtutem agere constat esse de iure naturali & diuino prohibitum, quod certè probatione non eget, ac proinde relinquatur, non restituere genere suo peccatum esse mortale.

De nomine & ratione restitutionis.

CAP. II.

Explicata à nobis est restituendi necessitas, siue vt medijs, siue vt præcepti quæ ex iure diuino & naturali ducit originem, iam oportet, vt restitutionis naturam diligentius expendamus. Restituere dictum videtur quasi aliquid in pristinum statum statuere, sic sanè Cicer. Roma eiectus se reipublicæ restitutum dicebat, vnde in l. restituere. ff. de Verborum significatione, restitutio dicitur: *in pristinum statum repositio*.

Ex quo colligitur definitio quid rei, est enim Restitutio, *actus iustitiæ quo damnum proximo datum reficitur*, siue enim nihil reale à proximo accipiendo eum læseris, vt si fata vel domum igne succendas: siue quidpiam abstuleris reale, vt in rapina & furto contingit, damnum inferis, quod damnum, dum remoues, siue iniuriam recompenfando, siue acceptum reddendo restitutionis actum exerces. Nec opus est in explicanda definitione multa cõferre, vt à multis fieri solet, sigillatim particulas explicantibus, cum definitionem aliquam tradunt quod superuacaneum putamus, cum illa omnia in peculiaribus dubitationibus explicanda & probanda sint, atque inutiliter reperenda. Illud modò satisfuerit eam definitionem tanquam bonam esse accipiendam, cum tradita sit ab doctissimis viris. Sic enim definit D. Tho. secunda secundæ q. 62. art. 1. Nauarrus c. 17. nu. 6. Medina C. de restitutione in principio, & quotquot ego legerim, licet differre nonnulli videantur verborum diuersitate & multitudine. Tum etiam ipsa nominis ratio demonstrat.

Quamuis autem restitutio multipliciter distingui solet: potissimum tamen duobus modis diuidi consuevit. Quædam enim dici solet restitutio in integrum, qua omnia, quæ in pristino statu erant, redduntur, putà possessio rei, fructus, ius pristinum, &c. Per quam solet subueniri minoribus vel Ecclesiis, vt habetur in l. 1. C. de Sen. pas. &

C. de rep. l. vnica. & l. postulata. C. de In integ. rest. & ff. de Minor. l. quòd si minor. §. rest. & c. i. & c. auditis, de In integ. rest. Et ita docuit Syl. verbo rest. i. q. i. & glos. in d. c. auditis, in verb. *cōtra reliquam*. Alia verò est restitutio, qua non primus status reuocatur in totum sed in aliquo particulari, vt de re ablata, de dāno illato, de interesse, & huiusmodi de qua præcipuè hīc agimus. Prior enim ad ius exterius magis quàm ad conscientiam pertinet. Id tamen est animaduertendum, quòd omnis restitutio etiam non in integrum semper debet esse æqualis damno illato: ob id enim dicitur actus iustitiæ, quæ in æqualitate fundatur, & quamuis nostræ intentionis non sit de prima restitutione disputare, spectat enim ad Iuristas, magis quàm ad Theologum, placet tamen de illa vnum verbum effari.

DOCENT igitur plerique iuris peritorum per hanc restitutionem subueniri homini à mortuis resurgenti, sicut subuenitur minoribus, & Ecclesiis, vt ex dictis iuribus constat. Quod nos ita, indistinctè non omnino probamus. Primum quoad ea, quæ characterem imprimunt, non restituitur cum non amiserit. Vnde non rebaptizabitur, nec reordinabitur, & c. Item nec vxor post mortem ei restituetur, cum sit per mortem dissolutum matrimonium, quidquid aliqui Iuristarum dicant. Neque etiam religioni restituetur. Quamuis contra doceat Ioan. And. & alij in c. fraternitatis de Frig. & malef. Quam sententiā secutus est Syl. verbo *resuscitatus*. Melius siquidem censeat Panor. in d. c. fraternitatis, non esse restituendum. Quoniam illa obligatio est restricta ad tempus vitæ. Nec refert in quibusdam formulis religionum ita dici, *Voueo castitatem, paupertatem, & obedientiam perpetuam in hac religione*, quo casu sententia Syl. & Ioan. And. posset aliquo modo defendi. Imo docet Syl. quòd etiam si non dicat perpetuò, sed simpliciter. *Voueo talem regulam*, modò non dicat pro, *tempore vitæ meæ*, debet restitui. At tamen in vtroque casu, vt dixi non placet mihi ista sententia. Primum enim idè est dictum, *Voueo perpetuò hanc regulam*, ac dicere simpliciter, *Voueo hanc regulam*. Communi enim iure communiq̄ omnium sensu professio perpetua intelligitur esse debere, maximè, iuxta eos Theologos, quorum est communis, & magis vñtata sententia, quòd professio in religione approbata iure diuino est obligatoria, & omnino per Papam indispensabilis. Vnde non modo sine causa (hac enim ratione etiã simplicia vota obligatoria sunt) sed etiam cum causa non potest perpetuitas à solenni religionis voto separari. Idem est igitur si dicas simpliciter, *voueo*, aut *profiteor*: ac si addas *perpetuò*. Tunc vltra idem est dicere, *Voueo simpliciter*, seu *perpetuò*, ac dicere, *pro tempore vitæ meæ*. Quod enim pro tota vita faciendum assumitur perpetuum dicere solemus. Constat enim matrimonium dici perpetuum vinculum, cum tamè per mortem dissoluatur, & officium, vt Pontificatus, Episcopatus, & huiusmodi dicitur perpetuum, licet morte expiret. Cum igitur quis simpliciter dicit *Voueo hanc regulam*, aut *Voueo perpetuò hanc regulam* non plus intelligere oportet, quàm pro tempore totius vitæ. Atque ita nonnulli profi

profitentes dicunt *pro toto tempore vitæ meæ*. Quocumque ergo modo fiat, si resurgat, non erit obligatus ad religionem, sicut nec ad matrimonium, vt dictum est. Et docuit Panor. vbi suprà.

AN vero temporalia bona sint restituenda variè videntur sentire Doctores. Nam Ioan. And. putat non restitui. Quia inquit actio semel extincta non reuiuiscit. Sed non videtur loqui consequenter, cum dixerit, professum esse restituendum. Alij autem docent, bona ei esse restituenda. Vnde & rumpere potest testamentum, & recuperare bona in integrum, Ita sensit Gloss. in l. ex iis. ff. de legat. & in l. feruus. ff. de Act. obli. Bar. l. i. C. de Sacro. eccle. Qua in controuersia duo mihi dicenda videntur. Primum hac quæstione nostris temporibus raro fore opus. Nam frequentius contingeret tempore primitiæ Ecclesiæ, vbi tam Apostoli quàm alij sancti patres virtutes multas operabantur. Secundò, videtur in eo casu extinctum esse ius, quod habebat ad illa bona, sicut de religione & matrimonio diximus. Non enim maius ius habet in ea bona, quàm in corpus vxoris, cuius corporis ius quod habebat per mortem amisit. Deinde, quoniam testamentum per mortem confirmatum est, vt ait Apost. ad Heb. 9. Non ergo potest rumpere ac reuocare, sed statim quæsitum est ius hæredibus, non minus ac si donationem fecisset inter viuos. Tertio, videtur, quod cū hoc stat possit sua bona recuperare. Et ita simpliciter bona illi esse restituenda, vt docet Glossa, & Bartolus citati & Archidiaconus in c. 2. 32. q. 7. Syl. uero verbo *resuscitatus*. Licet enim per mortem sit perditum ius & alteri quæsitum: tamen eo onere perditum esse censeari debet, vt quoties Dominus non extet, alter possideat, cui apparenti restituere teneatur. Sicut patet de rebus inuentis & perditis. Nam domino comparente si res extat in specie cessat ius possidentis & iure postliminij id euidentius apparet. Postliminium enim est ius, quo res etiam vsucapta & præscripta propter seruitutem vel captiuitatem veri domini amissam ei restituitur, & l. post. li. ff. de Ca. & post reuer. Igitur res vsucapta & præscripta restituenda est, cum per naturalem mortem est acquisita: sicut ob captiuitatem vel seruitutem, quæ etiam est mors ciuilis. Secundò, quoniam in donatione causa mortis manifestum est plus se quàm donatoriū velle habere. Igitur in testamento ea intelligitur tacita conditio, si moriatur in effectu ita vt permaneat in morte. Atque idem est dicendum potiore ratione, si ab intestato decedat. Ipse enim sibi est omni alio coniunctior. Atque adeo si vixerit, seipsum velle hæredem facere est credendum. Deinde, quia aliàs nullum esset beneficium resurgenti factum iuxta oppositam sententiā, sed molestum potius plures iudicarent. Cum ex vna parte cum obligationibus & oneribus, ex alia verò nudus sine actione, & iure ad bona rediret ad vitam vt miseram ita viuendo mortem agere deberet.

DI CES igitur Episcopus & Curatus essent restituendi? Verum, non est simile. Est enim quasi matrimonium Ecclesiæ ad Episcopum, & ita sicut de carnali ita de spiritali matrimonio fateri debemus esse

dissolutum per mortem, & ita docuit Syluester verbo *diuortium*, quæst. 2. de utroque matrimonio. Nam de carnali communis est Theologorum sensus in 4. dist. 27. ex Apost. ad Roman. 7. Et habetur in Authentica de Nuptiis. §. deinceps. Atque eadem est ratio de professione, in qua matrimonium spirituale celebratur & totalis quædam traditio & emancipatio Deo fit. Sed de digressionem hactenus. Hac igitur restitutione omiſſa quæ Iuristarum magis est propria. De restitutione ablati, damni que illati sermonem facere festinemus.

10 **S E C V N D A** difficultas sit, utrum restitutio cum sit actus iustitiæ sitne commutatiuæ an potius distributiua? Et video communiter Doctores fateri esse actum elicitem à commutatiua iustitia. Sic D. Tho. 2. 2. quæst. 62. art. 1. & ibi Caietanus Nauarr. cap. 17. nume. 6. art. 1. Ricar. in 4. dist. 15. Grabr. eadem d. quæst. 2. notabili 3. Sotus 4. de Iustitia. q. 6. art. 1. Couarru. in reg. peccatum. par. 2. in principio, Syluef. rest. 3. q. 2. Cord. de detractioe, q. 3. con. 1. Adrian. in 4. de Reit. famæ, & Quodlibeto 11. difficultate 5. & 6. Neque vllum legi, qui contra censerit, cuius sententiæ ratio est, ut sanctus Thomas docet (Caietano explicante) quoniam in restitutione damni à proximo dati attenditur æqualitas rei ad rem, quod commutatiuæ iustitiæ est. 2. probat Nauarr. Quoniam iustitia distributiua commune inter priuatos diuidit, at is qui restituit, non diuidit commune inter priuatos. Sed priuatum & proprium damnum recompensat, commutatiuæ igitur & non distributiua iustitiæ restitutio actus est.

11 **Q V A M V I S** autem hæc communis sit Theologorum sententia, merito à quibusdam dubitatur quo pacto id verum esse possit. Nam per iniustam distributionem oritur restituendi obligatio, ut latius probabimus lib. 2. & ex sese constat. Quis enim nesciat quin teneatur ad restitutionem is distributor, qui non seruat debitum ordinem iustitiæ distributiue, ut si in diuisione spoliatorum Duci, & aliis personis dignioribus de exercitu non plus tribuat de spoliis, quam cæteris de exercitu militibus. Ergo qui lædit iustitiam distributiua teneatur restituere, atque adeo illa restitutio erit iustitiæ distributiua. Siquidem omne vitium solum excluditur per actus virtutis sibi immediatè oppositæ, ut virtus eius destructione reparetur quo ipsa destructa est. Atque id in omni virtute videmus. Nam infidelitas per actus fidei excluditur, desperatio abiicitur per spem, intemperantia per salutare ieiuniū, &c. Si ergo læsio facta est per iniustam distributionem consequens est, ut resarciri debeat per actum iustæ distributionis, qui est vitio directè, & immediatè oppositus.

Ad hanc rationem communiter respōderi solet, quod in omni iniusta distributione semper est coniuncta iniusta commutatio. Et ex hac parte omnis restitutio est actus iustitiæ commutatiua. Dicunt enim ob id fieri damnum in iniusta distributione, non quia violeretur ordo distributiua iustitiæ, sed quia ei datur minus, qui ius habet ad magis, & quoniam lædere ius, quod quis habet ad rem ad commutatiua

zatiua iustitiam pertinet, quæ læsionem non personam læsam attendit, inde est, quod omnis restitutio sit iustitiæ commutatiua opus. Apparens est solutio, sed quantum ego possum iudicare non vera: nam ex eo solum, quod quis faciat contra iustitiam distributiua, tenetur ad restitutionem, ut infra latius probabo, & ratione ita ostendo. Nam sicut iustitia commutatiua & distributiua, cum sint species distinctæ differre debent saltem formaliter, & ita saltem secundum rationem separari ab inuicem possunt: ita profecto in iustitia commutatiua, & distributiua sunt vitia secundum rationem saltem distincta. Stando ergo in præcisa ratione iniustitiæ distributiua sic disputo. Illa secundum se est peccatum ex omnium sententia, nam est personarum acceptio, & iniuria proximo facta: denique est in Iustitia, quæ genus est ad commutatiua & distributiua. Ergo secundum propriam rationem omni alio separato irrogat proximo iniuriam. Si ergo omni alio secluso ex sua intrinseca ratione & malitia damnum infert: Ergo ipsa secundum se omni alio secluso obligat ad restitutionem, non ergo id prouenit ratione iniustæ commutationis admixtæ. Secundò & non minus efficaciter obiicio. Sit verbi gratia, summa mille aureorum distribuenda inter tres. Vnus est dignus, ut duo: alter ut quatuor: tertius ut sex. Volo igitur ostendere non tantum ratione, sed etiam re ipsa separari iniustitiam distributiua à commutatiua. Ita, ut si mala hæc distributio fiat non intercedat iniusta commutatio vlla. Quod sic ostendo: ius illud quod habet persona digna, ut sex, non est iustitiæ commutatiua, quandoquidem quantitas illius iuris, non nascitur ex æqualitate rei ad rem, sed merè ex dignitate personæ: cur enim vni plus, quam alteri tribui debet? sanè, quia est dignior persona. Ergo ex dignitate personæ oritur quantitas iuris, ac perinde ius illud erit essentialiter ipsa iustitia distributiua. Lædere igitur illud ius est planè lædere iustitiam distributiua, quam habet. Nullo igitur iure commutatiua iustitiæ læso, sed tantum iure distributiua, restitutionis onus existit, quâ obrem locum non habet illa solutio.

Q V A R E aliter responderetur, ut colligitur ex Caietano & Nauarro vbi supra. Quod non mirum si in iustitia distributiua resarciatur per actum iustitiæ commutatiua, cum cætera non sint paria ante, at post restitutionem. Nam antè distributionem erat commune debitum, atque ideo illud dare ei, cuius erat, distributio quædam fuit, at facta distributione non manet commune debitum, sed fit proprium ipsius distribuentis, & ita iam nihil est loci iustitiæ distributiua in illa materia, sed tantum commutatiua. Confirmant hoc aliqui exemplo ex temperantia ducto. Nam qui intemperans fuit semel in aliqua materia, nequit circa eandem materiam iam temperans esse: sic dicunt, licet ille distributor circa aliam materiam actum rectæ distributionis habere possit, sed iam circa materiam hanc non potest, sed damnum illarum alio actu reparat directè, & immediatè, nempe, actu commutatiua iustitiæ. Nam indirectè, ac remotè etiam reparatur iustitia distribu-

riua. Nam sublato damno per actum commutatiuæ iustitiæ quo restituit, consequenter reparatur iustitia distributiua. Atque hac ratione Caietani acuta certè saluari posse videtur, id quod D. Thom. & cæteri fatentur, restitutionem esse actum commutatiuæ iustitiæ.

Nos in hac re etsi cõmunem hanc sententiam quam maximè probamus, tamen non existimamus fore omnino reprehendendum eum, 18 qui diceret aliquam restitutionem esse opus distribuentis iustitiæ. Eã videlicet, qua refarcitur damnum per iniustitiam distributiua illatum. Quod præter vrgentissimam rationem factam, sic probari posse coniector. Sicut enim si prima vice cùm fieret distributio, dataque fuisset quantitas secundum exigentiam personæ, erat actus iustitiæ distributiua: Quoniam mittebat illum in possessionem eius, quod sua dignitas merebatur, ita profecto, quando reponit, ac restituit eundem in eandem possessionem post iniquam distributionem factam eiusdem virtutis actus esse oportebit, quæ inclinat ad reddendum illi, id, quod sua dignitas postulabat, etiam facta diuisione. Nec refert factam esse distributionem, & non existere dicta bona in primo cumulo, vt propterea dicamus non esse locum iustitiæ distributiua. Id enim, materiale est, & per accidens, formale siquidem est, vt id, quod datur, vel redditur, sit proportionatum dignitati personæ. 19 Quid enim refert vt ego mihi acceperim, cùm diuidebam, vel alteri dederim quando id reddo, quod tunc eram redditurus & ob eundem respectum ad personam, & non ad datum & acceptum. Dicunt contra fieri potius. Quia in restitutione non habetur, ratio personæ, sed videntur decipi hac in parte. Nam si quodcunque damnum, quod alicui sit pertineret ad iniuriam commutatiuam, iam igitur iniustitia distributiua in sua ratione non includeret damnificare proximum, quod ipsi negant, & meritò. Nam eo ipso quod est iniustitia, essentialiter est damnificatio, priuatiq;que boni proximi. Si ergo damnificatio fuit ab iniustitia distributiua, non eo solo, quod reparat damnum debet esse iustitiæ commutatiua. Imo est rectificare distributionem, & veluti de nouo facere. Igitur quemadmodum esset opus iustitiæ distributiua dare Petro, quod debetur suæ personæ sine respectu dati & accepti, sic sanè auferre grauamen & iniuriam iuxta merita personæ, id est, dando illi omne, quod merebatur à principio erit opus eiusdem iustitiæ distributiua. Et ita animaduertere oportet non cuiuscunque damni reparationem esse commutationem, sed tum demùm, cùm id quod redditur proportionatur rei ablatæ. At cùm id quod redditur proportionatur merito personæ, illud est rectificare primum actum distributionis iniquæ, dando, quod à principio erat dandum, ad quod inclinat iustitia distributiua, sicut ad proprium actum immediatè elicitum. Vnde essentialis ratio iustitiæ distributiua non tam est ex communi aliquo elicere, quàm reddere vnicuique ex eo quod modo est, aut fuit commune debitum secundum exigentiam personæ. Semper enim est verum quod reddit debitum ex illo communi, quamuis modò non ex communi, sed ex bursa exhauriat.

Illud

Illud enim est, quod ex communi debebatur secundum quantitatem meritorum. Aliàs si cùm fiebat diuisio esset mea culpa furto ab aliquo res sublata, in quo casu tenebar restituere: vel ego mihi reseruassem intentione reddendi commodius, non implem iustitiæ distributiua officium, cùm postea ex arca mea reddo. Impertinens ergo est dari ex illo communi, si datur quod ex illo communi debetur, & secundum personæ exigentiam. 20 Denique si fieri posset diuina potentia (nõ enim est impossibile) vt quis haberet habitam iustitiæ distributiua, non tamen commutatiua quis dubitat, quin ille talis, qui semel deliquit in distribuendo, promptè, ac suauiter redderet, quod damnificato debebatur secundum rationem meritorum. Redditio ergo illa ex inclinatione iustitiæ distributiua procedit, quæ, sicut inclinat ad dandum quod debetur iuxta dignitatem personæ: ita inclinat ad reparandum, quod ablatum est, ad reparandum (inquam) secundum dignitatem personæ. Exemplum verò de temperantia non est ad rem. Quoniam cibus post commestionem, cùm non permaneat, non potest iam in illa materia temperantia exerceri: at in nostro casu manet eadem materia. Quid? quod nolumus eundem actum numero reparari. Id enim est impossibile, siue sit eadem materia superstes, siue secus: cùm iam transiit: sed quod idem secundum speciem actus excludat vitium, quo virtus ablata est. Quod in eorum exemplo contingit. Nam actu eiusdem speciei temperantia numero diuerso, reparatur intemperantia prior. Sic igitur, &c. Sed de hac quæst. satis, quæ acuta magis quàm utilis ad mores videtur, iã enim dixi initio huius dubitationis, me magis vehementiusque probare communem sententiam.

TERTIA difficultas vtrum restitutio sit pars satisfactionis? Omnes fatentur non esse partem satisfactionis. Licet enim satisfactio ad iustitiam pertineat, (vt pluribus ex doctoribus placet) commutatiuam, sicut & restitutio, vt fere omnes putant, attamen permultas esse differentias inter hos duos actus atque virtutes, omnes, vt dixi, fatentur. Quas latè prosequitur Dominicus Sotus in 6. libr. de Iustit. quæst. 1. artic. 1. & Doctor. in 4. distin. 15. Ea tamen mihi videtur differentia præcipua (ni fallor) quod satisfactio terminatur ad honorem læsum, vel ablatum. Respicit enim propriae iniuriæ reparationem: at restitutio, licet supponit culpam vt infra in hoc secundo libr. probabimus: non dicit tamen dehonorationem vllam, sed damnum in rebus illatum, & propterea in rapina vtrumque requiritur. Scilicet satisfactio, & restitutio, vt docet D. Thom. 2. 2. quæstion. 66. articul. 9. Merc. tractatu de restitut. capit. 3. Sotus 6. de Iust. quæst. 6. articul. 1. Cuius ratio est. Quoniam in rapina tam rebus, quàm personæ detrimentum infertur. Rebus quidem, vt patet, cum dominus eis priuetur, vt in furti occulta ablatione. Personæ, quia cum dedecore, & despectu, irreuerentiaque auferitur. Et hæc (vt dixi) præcipua est differentia inter satisfactionem & restitutionem. Vnde erga Deum restitui

restitutionis actum exercere non possumus. Quia nihil à Deo auferre possumus in rebus, quæ quantuncunq; à nobis accipiuntur semper manent in eius potestate, & dominio: at satisfactionem possumus, & debemus ei exhibere, in quantum iniuriam ei fecimus, & offensam peccando, & diuina eius præcepta contemnendo. Plura alia discrimina adferunt Doctores locis citatis, vt quod per restitutionem non remittitur, peccatum, neque eius pœna, sed tantum est cessatio peccandi, at per satisfact. peccata, & eorum pœna condonantur. Vnde infrà libr. 3. edoc. bimus per dilationem restitutionis sine culpa defuncti factam non detineri animam in purgatorio, detinetur tamen per dilationem satisfactionis, id est elemosynarum, sacrificiorum, &c. Sine culpa defuncti factam. Item restituere velle, meo iudicio, esset potius pars contritionis, quàm satisfactionis. Est enim propositum nõ peccandi de cætero. Item sæpe est necessario præmittenda confessio, vt infrà libro 3. probabimus. At satisfactio non item. Præterea in satisfactione finis est amicitia, & recõciliatio, non autem in restitutione. Denique pœnitentia seu satisfactio arbitrio sacerdotis subest: non autem restitutio. Sed in iis non oportet multum insudare cum ex definitionibus vtriusque facile fit has, & plures alias differentias inuenire inter restitutionem & satisfactionem, vt est ea, quam docet inter alios Bona. in 4. d. 15. qu. 4. art. 2. quod satisfactio non potest fieri nisi ab homine existente in gratia, at restitutio etiam si sit in peccato mortali, fieri potest. Sed de iis suo loco. Fatetur etiam, & benè D. Bona. quod restitutio communiter est satisfactio, non autem propriè, & strictè. Per omne enim opus voluntariè assumptum, etiam si sit in præcepto, possumus satisfacere, vnde cum restitutio sit ab homine propter Deum maximè in gratia, & satisfactoria & meritoria est, sicut etiã per ieiunia, quæ sunt de præcepto satisfacimus, vt alibi ostensum est à nobis.

Libri primi finis.

LIBER



LIBER SECVNDVS, DE IIS, QUI TENENTVR AD RESTITVTIONEM.



De Damnificante in communi.

CAP. I.



HIGIVS in 1. cap. de necessitate, atque præcepto: in 2. de natura restitutionis: Nunc oportet, vt ad particulares eius circumstantias considerandas descendamus. Et cum omnium prior esse videatur, circumstantia personæ damnificantis, idcirco in hoc secundo lib. de iis, qui restituere tenentur pertractabimus. Quia verò longior erit liber hic propter summam lædentium varietatem, quæ rerum confusionem parit, vt distinctionem ac facilitatem, cuius semper studiosissimi fuimus, consecremur, placuit per plura capita diuidere, vt initio dicebamus. Quamobrem caput hoc primum de damnificante in communi breuissimè disputabit. Non enim latè id tractabimus, vt Syluest. restitut. 2. & alij fecerunt. Tum quia communia sine particularibus immortalibus præcipuè probè intelligi nequeunt. Tum quoniam cum de particularibus esset agendū, plura (idque inutiliter) repetere oporteret, quod nos quàm maximè vitare cupimus. Tantum placet tam in genere doctrinam & regulam tradere, quam probat Nauar. cap. 17. nu. 12. Scilicet omnem illum dumtaxat teneri ad restitutionem, qui vel rem alienam detinet, vel aliquid lege iustitiæ specialis debet. In qua breui doctrina (inquit Nauar.) continentur illa viginti manus recitata ab Ant. 2. part. tit. 2. c. 2. à §. 2. & illa omnia, quæ Syluest. restitut. 2. Caietanus in summa, verbo restitutio, & alij plures adduxerunt, & vt mihi videtur adhuc breuior regula dari posset: **EVM**, scilicet teneri ad restitutionem, qui ius specialis iustitiæ proximi læsit. Nulla enim alia ratione melius intelligitur, quis restitutioni sit obnoxius, quàm si ei conuenit definitio restitutionis. Est autem restitutio (vt suprà diximus) *actus iustitiæ, quo damnum proximo datum reparatur.* Quis autem reparare tenetur, nisi is qui intulit? Is igitur omnis dumtaxat restituere

tenerur, qui ius proximi specialis iustitiæ læsit. Et ita siue damnum fecerit nihil accipiendo, vt si domum combusit: siue rem proximi detineat, quod fieri solet in damnificatione lucrosa, vt si pecuniam furatus est: siue non rem, sed ius, vel auferas vel impediās, semper damnū infers, aut ius lædis. Omnis igitur ac solus, qui ius proximi specialis iustitiæ lædit, tenerur restituere. Imò si adhuc breuiorem, & magis cōpendiosam regulam cupis, sic accipe. *OMNIS ac solus ille qui contra specialem iustitiam delinquit, tenerur ad restitutionem.* Cuius vtriusque doctrinæ ac regulæ ratio plana est. Nam quicumque contra iustitiam specialem delinquit, aut (quod idem est) ius proximi lædit, facit contra Dei præceptum, & cōtra proximi charitatem: at restitutione malum proximo illatum reparatur. Ergo dum certum est vnunquenque teneri ad diligendum proximum, manifestum est eum omnem & solum, qui illum læsit, teneri restituendo damnū læsionemque illatam recōpensare. Hanc ergo regulam verissimam & veluti fundamentum huius materiæ semper toto hoc opere in animo atque in ore habere debemus: vt ea quæ in particulari dicenda sunt facilius intelligamus, quam doctrinam, & rationem video docuisse Couarru. in reg. peccatorum. 2. part. nu. 1. *restitutio* (inquit) *læsioni opponitur.* Nam & ea illud reddit, quod læsio abstulit, sicut acceptio rei alienæ actus est iniustitiæ circa commutationem, ita & restitutio quæ ei opponitur erit actus iustitiæ commutatiuæ. Nam per intelligentiam vnus contrariorum alterum intelligitur. Hic enim est sensus illius axiomatis traditi ab Arist. 1. Top. & 4. Eth. ca. 1. *Contrariorum eadem est disciplina, id est, eadem est vis & ratio cognoscendi: per negationem, scilicet alterius.* Legat curiosior l. quod si minor. §. restitut. ff. de Minori. l. 1. C. Si aduers. transl. l. sed si per Prætores. §. si feriæ. ff. Ex quibus, & Barr. in l. qui proprio. ff. de Procura.

DICIS, quod is qui iustè retinet, vt qui mutuo accepit vel commodatum tenerur, restituere vt docet S. Tho. 2. 2. quæst. 62. art. 1. cōmodior ergo est regula Nauarri, & Caiet. ar. 2. Soti. 4. de Iustitia. qu. 6. art. 1. in prima differentia, quod tenerur, non solum qui damnū fecit sed etiam qui rem proximi detinet. Nos verò dicimus, eum solū teneri qui contra iustitiam delinquit. Respondeo hanc me nunquam vocare solitum restitutionem, sed solutionem. Aliud enim est, quod teneris soluere, vt debitor & iusto contractu: aliud quod teneris restituere. Soluere enim mutuum, depositum, commodatum, aut emptum, dicimus, non restituere: at verò restituere respicit illicitum actum, seu acceptionem, & ita supponit peccatū, & iniustitiam, & ita docuit aperte Mercado de Restitutione. cap. 2. & Gabr. in 4. d. 15. quæst. 2. not. 3. & idē Sotus de Iust. quæst. 6. artic. 2. Vnde nunquam probaui quorundā Cōfessariorum morem qui, eum, cuius confessionē audierūt, post mortem (& quod peius est antè mortem) dicunt omnia rectè gessisse, multas fecisse restitutiones, aut se habere pro illo pecuniam restituendam: ij enim videntur quodāmodo reuelare confessionem, si absque licentia pœ

ria pœnitentis faciant, vt probat Nauarrus capitul. 17. numero 23. imò existimat Maior in 4. distinctione 21. quæstio. 3. colum. 4. etiam de licentia pœnitentis non posse confessorem dicere hæredibus, vt restituant aliquid pro defuncto cuius ipse confessionem audiuit, etiam si pœnitens id mandauerit. Putat enim Maior etiam de licentia pœnitentis confessionem reuelari non posse. In quo ei non acquiescimus.

S E D obiiicies contra prædicta, quòd multi tenentur restituere ratione rei acceptæ, seclusa omni iniusta acceptione. Respondetur, quòd aut in mora sunt, & tunc iam intercedit iniusta acceptio, seu retentio: Si verò non sunt in mora non certè restitutio, sed vel simplex redditio, aut solutio facienda est, vt probat Merc. & Gab. locis indicatis. Et docet etiam Sot. 4. de Iustitia, qu. 6. art. 2. licet art. 1. in prima differentia, & seqq. aliter sensisse videatur. Imò certè D. Thom. qui art. 1. citato docuit contrarium: planè art. 2. in corpore nostram sententiam expressit. Sed respondet Caietanus, qui priorem sententiā est securus, quòd D. Tho. non loquitur de restitutione absolutè, sed de restitutione rei ablata, quam fatetur supponere iniustitiam. Sed certè D. Tho. simpliciter loquitur. Dicit enim *restituere importat redditionem illius rei quæ iniuste ablata est.* & expositio profecto non videtur constanter adhibita. Dicere enim, quod restitutio rei ablata versatur circa re iniuste ablatam satis erat apertum: sicut restitutio rei iuste acceptæ versatur circa rem iuste acceptam, quod nihil est dictu. Maximè, quia ablatio iusta esse potest, vt in mutuo & deposito & cum quis ob extremam necessitatem rem suscipit. Non ergo verum est, quod restitutio rei ablata versatur circa rem iniuste ablatam.

S E C V N D A dubitatio esse potest in obsequium & gratiam diuini Tho. Quo pacto vera sit eius illa propositio in illo articulo. 2. qua asserit si iuste aliquid ablatum est, inæqualitas erit si restituatur: videtur enim falsum. Tum, quia secundum priorem opinionem Nauarri, Caietani, & aliorum dubitatione præcedenti allatam, quam idem D. Tho. probasse videtur art. illo 1. mutuum & depositum est restituendum; & tamen iuste ablatum est. Quomodo ergo dicit esse inæqualitatem seu iniustitiam illud restituere. Tum verò quia si secundum nostram sententiam loquamur, licet mutuum vel depositum non sit restituendum, tamen est soluendum. Et ita non potest esse inæqualitas illud restituere. Aliàs iniustum esset mutuum reddere aut soluere, Cai. art. 2. q. 62. & Sotus qu. illa 6. ar. 2. fatentur literam D. Th. esse corruptā, quāuis testetur ipse Caiet. se hactenus Codicē rectū nō inuenisse, putat siquidem Caiet. deficere causam. Ex qua infertur illa propositio S. Tho. *Et ideo restituere importat redditionē illius rei, quæ iniuste ablata est.* Sed nō opus est iudicio nostro mēdacium literæ imputare. Nā satis causæ præcessit, eum dixit, *restitutio est actus iustitiæ,* &c. Ex quo intulit, *ideo restituere importat.* &c. Quòd verò dixit inæqualitatem esse restituere iuste ablatum, bene explicat Sotus, locū habere, quando ita iuste ablatum est, vt

fit accipienti debitum, ut cum tuum depositum accipis, vel mercedem laboris tibi debitam: tum enim inæqualitas erit si restituere cogaris, cum iustum, & debitum acceperis.

¹⁰ TERTIA difficultas, sit: Vtrum ex transgressione aliarum virtutum à iustitia incuratur obligatio restituendi? Sanè manifestum est quod si non intercedat proximi damnificatio nullum est restituendi vinculum, ut patet de infidelitate, desperatione, blasphemia, aut fornicatione, quibus non damnificatur proximus, sed difficultas est, ubi ex transgressione talis virtutis proximus damnificatur, ut si non des eleemosynam extremè indigenti, si non testificeris ubi charitatis lege solummodo obligaris, aut si non impedias bonorum proximi direptionem, aut furtum quod alius committit. Videtur enim incurri obligatio satisfaciendi, quia in iis, & similibus casibus proximus habet ius ad illa bona seu auxilium licet ex charitatis lege. Nam si subuenire teneris ille potest, iuste postulare, & accipere à te. Habet igitur ius licet charitatis lege orrum: sed omnis, qui læsit ius proximi tenetur siue lege iustitiæ, siue lege charitatis illud recompenfare, imo certè videtur ex lege iustitiæ. Igitur, &c. Nec hinc sequitur, quod charitas obliget ad restitutionem. Proximè enim non charitas sed iustitia est, quæ obligat. Nam ex charitate oritur ius, habito verò iure & omnino per legem charitatis quæsito, iam iustitiam transgreditur illud lædendo. Efficax profecto apparet ratio. Vnde hanc opinionem aliqui tenuerunt, quos refert Med. C. de restit. q. 9. Angel. verb. *furtum*. quæst. 29. Eam securus est Tab. rest. §. 25. prope finem. Caiet. in sum. ut latius dicemus infra c. 5. id ipsum docet verbo rest. ca. 1. versic. *Aduerte*. licet Ang. loquatur, quando dolose non impediuit, cum ex charitate teneretur. Vnde non meminit Caiet. 22. quæst. 62. art. 7. oppositum docuisse, idque ex mente D. Th. dum ait [*considera quando quis potest, &c. Et tenetur impedire furtum, rapinam, fraudem, &c.* Et discernes quando tenetur ad restitutionem & quando non, ut author dicit in littera, quod hoc solù accidit, quando alicui incumbit ex officio. Verùm contra video sentire DD. ¹¹ existimantes nullam esse restituendi obligationem. Ita docuit Ale. Alen. 3. p. qu. 87. Alrif. 4. par. Adr. in 4. de Restit. quæst. 1. col. 6. & quodlib. 11. quos refert, & sequitur Couar. regul. peccatum. 2. par. §. 3. num. 5. Navar. c. 17. nu. 11. & ca. 24. nu. 7. & in relectione. cap. inter verba. pag. 208. nu. 714. & in Apologia de redditibus, quæst. 2. monito 2. & 7. pro quo refert etiam Sotum lib. 5. qu. 2. art. 4. & lib. 4. qu. 7. art. 3. col. 4. Id ipsum Med. C. de Rest. quæst. 9. versic. *primus modus*. Ant. 2. part. tit. 1. cap. 12. §. 13. & ut idem Medin. refert. Præpositius. Cuius conclusionis rationem dicit Navarr. prædictos Doctores non reddidisse, se autem nouam reddere. Quoniam cæteræ virtutes à iustitia non versantur directè, & principaliter circa actus exteriores, sed circa interiores, at iustitia specialis virtus directè respicit actus externos. Et propterea ille solus, qui iniuste damnificatur tenetur restituere. Nos autem contra hanc rationem obicimus. Primum quoniam videtur falsum assumere. Nam

virtus

virtus religionis directè versatur circa actus exteriores, ex Diuo Thoma, & omnium sententia, quod differt à Theologicis virtutibus, quæ cultum Deo exhibet internum, at religio externum, primò & directè: item temperantia circa actus externos versatur, ut ieiunium, &c. Quæ ¹³ ad temperandum corporalem appetitum, & membra mortificanda pertinent. Et sic de aliis. Præterea falsum videtur, quod iustitia principaliter versetur circa actus externos: cæteræ verò circa interiores. Omnis enim virtus principaliter consistit, in actibus voluntatis interioribus. Nam bonitas, & malitia moralis præcipue est in actu interiori: in exteriori autem secundariò, & extrinsecè. Rursus, ut principio obiebam quid interest, an aliquem damnifices, transgrediendo legem iustitiæ, an charitatis, vel alterius virtutis, quando reuera damnum inferis contra rationem. Nam qui causam damni dat, damnum dedisse videtur. Si ergo causa damni est transgressio legis charitatis, damnum tibi ¹⁴ imputabitur, ut supra arguebam. Licet, enim remotè, & radicaliter restitutio prædicta reparat legem charitatis fractam: tamen proximè, & immediatè reparat damnum illatum, quod iniustitiæ erat. Accipe simile. Præcipit Rex suo Eleemosynario, ut tibi det pro aliqua necessitate certam quantitatem pecuniæ, licet non habeas ius ex iustitia, sed ex præcepto liberalitatis regis: tamen si tibi non detur, contra iustitiam delinquit minister, quia actionem quam habebas, licet ex charitate & præcepto regis, à te aufert. Sic igitur Deus præcepit diuiti vel alteri in necessitate mihi succurrere, idque suo ministro præcepit. Iam certè supposito præcepto & actione quam adquisiui iniustitiam committit, qui non reddit: vel alia reddenda ratio est.

Sed posset fortasse ille melius aliter adhibere rationem huius re- ¹⁵ ceptæ, veræque conclusionis. Primum quod iustitia per se & directè versatur circa bona vtilia: ut sunt cõmutationes rerum temporalium, pretio æstimabilium. Et ita dici solet iustitiam versari inter datum & acceptum, in quæ inclinatur per se, & ad directè seruandam equalitatem. Et propterea quicumque transgreditur hanc legem tenetur restituere, id est, tenetur bonum vtile reparare ultra pœnitentiam pro peccato, quod commisit damnificando, at cæteræ virtutes non versantur directè in æqualitate bonorum temporalium, & vtilium seruanda: sed vel in colendo Deo, ut religio, vel diligendo, ut charitas. Et cum accessorium sequatur naturam sui principalis, ideo si ex talium virtutum transgressione damnum incurrat proximus, non oportet, ex talium virtutum inclinatione, vel aliarum damnum rependere: sed peccatum est mortale, sine vlla restitutionis obligatione. Et hæc videtur propin- ¹⁶ quior ratio, & à Nauarro forsitan intenta. Et potest adduci exemplum, cum quis emisit votum reale dandi alicui pio loco certam quantitatem; etiam postquam acceptata est, posset Pontifex Rom. illam commutare in alium vsum. Quia principaliter illa donatio, seu promissio orrum habuit ex religione voti, non ex lege iustitiæ, cum non sit facta in gratiam, & vtilitatem personarum illius loci. Sed principaliter in

c 3

Dei cultum, obsequium, religionem, ac reuerentiam. Quare si quis sine voto illam promitteret, vel donaret, vel alio contractu Ecclesia, seu pius locus adquisiisset, nullo modo posset auferri. Vide quo pacto aliter est iudicandum de actione orta ex charitate vel alia virtute, ac de iure orto ex lege iustitiæ, licet vtrumque ius sit ad aliquid utile: charitas enim vt charitas non respicit bonum utile, ex quo inferitur eum qui impedit aliquem à consecutione alicuius boni, ad quod non habet ius ex iustitia siue in re siue ad rem, si malo animo faciat, peccare contra charitatem, proximum illicitè damnificando. Sed quia non damnificat iniuste per vim, metum aut dolum, non teneri ad restitutionem, vt infra in hoc 2. libr. cap. 7. latius dicemus. Hoc igitur modo iudicio nostro Nauarrus melius philosophatus fuisset. Si tamen nostram audire cupis sententiam, placet pro maiore luce dictorum, animaduerrere, in his esse distinguendum. Nam vel actus quo damnum datur, est negatiuus vel positiuus. Si positiuus est, semper est restituendi obligatio. Quia semper est contra iustitiam, siue enim rem auferas siue comburas non modo contra charitatem, sed etiam contra iustitiam ea actione delinquis: vt de se patet. Si negatiuus tunc potest esse contra charitatem tantum, & etiam contra iustitiam. Contra iustitiam quidem si ex officio tenebaris opus facere & non fecisti, vt custos vineæ, qui non manifestat vastatores, & tunc etiam semper est restituendi obligatio, vt infra latius dicemus cap. 6. Si verò non ex officio vel ex contractu tenebatur, vt dare eleemosynam, testificari pro innocente, vel ex religione, vt si vouisti dare Ecclesiæ certam quantitatem nemine sciente: tunc est distinguendum: nam vel est sermo de re ex charitate vel religione debita, vel de damno ex non soluendo secuto. Si de re ipsa: non dubito quin restituere tenearis, etiam si actio non oriatur ex iustitia, quamuis non sit propriè restitutio dicenda. Moueor ex eo. Nam conscientiam tam ligat præceptum charitatis seu religionis, quàm iustitiæ. Imo magis: cum illæ sint excellentiores, & habeant Deum pro obiecto, cuius & dilectio & cultus est homini magis necessarius magisque in præcepto, quàm proximi dilectio. Vnde religio dicitur quasi religatio. Sed quando potest tale præceptum impleri non minus obligat, quàm præceptum iustitiæ. Ergo teneris vel eleemosynam, vel auxiliium, vel pecuniam voto promissam dare, licet (vt dixi) non sit propriè restituere. Quod euidentius patet in iuramento facto latroni extorquenti pecuniam. Illi enim non ex iustitia teneris, cum promissio secluso iuramento sit nulla: sed ex religione & reuerentia diuini nominis. Vnde quousque restituas, vel, vt proprius loquar, quousque reddas quantitatem illam non eris absoluentus, vt iura decernunt: nisi iuramentum relaxetur. Vides igitur quo pacto lex charitatis vel religionis, vel alterius virtutis potest obligare ad restitutionem seu redditionem rei utilis, & hoc probat ratio à nobis facta initio huius difficultatis. Si verò sermo est de damno secuto ex transgressione talis legis charitatis, vel religionis, certè

nom

non teneris villo modo. In quo sensu sententia Doctorum est accipienda. Cuius rationem supra assignabamus, cum Nauarri sensum declarabamus. Cui adde, quòd lege charitatis non teneor. Quia nullum est Dei præceptum obligans ad reparanda damna, quæ alter incurrit ex eo, quòd non impleuerim votum, vel aliud debitum charitatis: iustitiæ verò esse non potest. Quia ex iure charitatis seu religionis, quòd ille tantum habet non potest oriri actio iustitiæ. Si enim causa iniusta non est effectus sequurus, iniustus esse non potest. Et hinc est, vt infra cap. 5. dicemus, quòd ille, qui extremè indigenti non subuenit, transacta necessitate non tenetur restituere, neque damna secuta, nec etiam rem ipsam, quæ illi charitatis lege debebatur, vt ibi dicemus: cum ista restitutio propriè non sit, nec iustitiæ actus: sed tantum obligatio ex charitate, quæ solutio, quædam simplex est. Lex autem charitatis tantum obligat pro necessitate leuanda. Imo etiam si esset lex iustitiæ, vt de necessitate extrema nos in d. c. 5. probamus, non esset illa elapsa, aliquid restituendum. Subsidiaria enim est, & pro illo articulo iustitiæ obligatio, non absoluta.

D V A S autè regulas circa eum qui in genere tenetur restituere tradit Caius. 22. q. illa 62. arr. 6. Domin. de Sor. de iustitia. li. 4. q. 7. art. 2. Coua. in reg. peccatum. 2. p. in prin. PRIM A regula est, acceptio, quæ quandoque est iusta, vt in mutuo, & deposito, &c. Quandoque autem iniusta, vt in furto, & rapina, vsura, &c. Altera radix est res accepta, vt quædo quis tenetur ratione debiti iusti, vel quia rem habet alienam bona fide, &c. Hanc autem differentiam assignat Couarr. & cæteri inter has duas radices. Nam, quando quis tenetur ratione acceptionis, adhuc obligatio restituendi manet, etiam si res accepta penes accipientem non sit, regulariter loquendo. Vnde qui mutuo accepit, vel furto rem aliquam, re perempta manet restituendi obligatio. Quando autè restitutio ducitur ex re accepta ea amissa cessat restituendi obligatio. Quia cum teneatur ratione rei, fit, vt cessante causa obligationis cesset obligatio. Quæ sanè doctrina etsi ab iis Doctoribus diligenter tradita esse videatur, regulariterque, & non vniuersaliter sit accipienda: tamen nos in eis non multum immorabimur, nec omnino innitemur, quousque inferius c. 6. ista omnia in particulari ac perinde magis ad certitudinem accedendo simus tradituri. Interim legat, qui volet nonnulla, quæ ex dictis regulis colligit Couar. in d. reg. p. 2. nu. 2. priorem modò regulam à nobis traditam inuiolabiliter obseruandam putamus.

Q V A R T A difficultas de damnum dante in communi, negatiuè tamen. Et primum suppono, eum quod ex omissione damnum sequitur solum teneri restituere quædo speciali lege iustitiæ tenebatur, non ex sola lege charitatis, vt infra ostendemus: tales sunt qui ratione officij, vel stipendij, vel eminentiæ, &c. facere solent, vt infra c. 6. latius. Secundo præsuppono hic nos non agere de participantibus negatiuè in damno secuto ex omissione actus debiti. De iis enim infra c. 6. dicemus. Sed generaliter de omni dante damnum ex commissione actus

positiui,

positiui ex quo alterius læsio sequitur non directè & ex intentione. Sicut dictum est de posituè damnificante, v.g. occidisti aliquem venando putans feram occidere, vel ex negligentia, vel sine culpa: aut si lucerna tua domus proximi inflammata est. Itaque licet non des damnnum immediatè, das causam tamen, ex quadammodo accidere potuit & accidit. Pro clariori notitia velim animaduertas, multipliciter posse dari damnnum alicui. Primum posituè & scienter de quo iam satis diximus in generali & speciali dicemus à c. 2. vsque ad 7. Secundò omnino negatiuè quia nõ facit id quo proximi damnnum vitetur, vt si non pascas morientem fame, vel non defendas, &c. De quo infra c. 3. & c. 6. latius agemus. Tertiò quando ex facto posituio proximus damnificatur ignoranter, aut ex negligentia, de quo hîc disputamus, vt patet in exèplis adductis. Et sanè videtur, quòd si ex meo facto proximus damnificatur, etiam sine omni culpa, teneatur restituere. Primum, quia re ipsa sum efficax causa damni, non minus ac si voluntariè & scienter facerem. Voluntas enim licet ad peccatum requiritur, tamen ad restitutionem parum facere videtur; quamuis enim quis animû habeat damnificandi aliqua actione: si reuera exterior actio efficaciter non damnificat nulla oritur restituendi obligatio. Igitur non ex voluntate, sed ex actione exterius lædente oritur restitutionis onus. Cum igitur non minus damnnum percipiat læsus actione inculpabili, quàm culpabili, consequens est, quòd teneatur ad restitutionem. Secundò, quia si quis rem alienam accipit bona fide, teneatur in conscientia reddere domino cum primum possit: igitur restituendi obligatio nascitur omni culpa seclusa ratione rei acceptæ. Cum igitur damni illatio sit virtualis acceptio rei alienæ, omnium sententia, & non iniusta, sequitur &c. Tertiò quia si animal aut seruus sine vlla profus domini culpa damnû fecerit, aut fata pascendo, aut aliud animal vel hominem occidendo, teneatur dominus refarcire damnnum, nisi iam volet dare noxam pro noxa, quod est restituere, vt docet, Ant. Gom. to. 3. opus. c. 3. nu. 20. & c. 1. nu. 26. versic. *aduerrendum*. Palud. in 4. d. 15. q. 2. ar. 2. con. 5. Ang. rest. 1. §. lædens proximum, Gab. in 4. d. 15. q. 14. dub. 2. & q. 15. dub. 2. Sylues. rest. 2. q. 16. & latius rest. 3. q. 4. Et habetur Inst. de nox. act. §. vlt. & l. 2. & l. Si seruus. eod. & c. fi. de Iniu. & l. 47. ti. 3. p. 7. l. 5. tit. 5. & l. 4. tit. 13. eadem part. Quæ lex his antiquior data est à Domino Exo. 22. quæ recepta est in d. tit. de iniur. Cùm ergo istæ leges sint iustæ, nec certè posituæ, sed iuris naturalis declaratiuæ & ita ante sententiam obliget, quarum ratio nulla alia esse potest quàm quòd vnus quisque ius habet contra illum, à quo damnnum etiam inculpabiliter accipit, vt ille ipse maneat sibi quasi obligatus, vt ex eo recompensationem accipiat, sit vt cum inferens damnnum est rationale animal, magis manebit subiectus ei quem læsit, vt secundum quantitatem damni illati, refundat.

26 Præterea, quia saltem si aliqua culpa requiritur, sufficeret venialis, cum enim peccatum veniale necessario futurum sit volutarium: qui actione venialiter mala damnnum dedit reuera volutariè dedit, & ita iniuste

& aliàs

& aliàs in materia graui. Teneatur ergo restituere etiam si actio qua læsit non sit peccatum mortale.

C A E T E R V M proculdubio verum est cum, qui omni adhibita diligentia ne noceret forte tamen nocuit ac præter suam intentionem nullam omnino restitutionem facere teneri in conscientia. Et ita docuerunt omnes, quos ego legerim DD. Merc. trac. de Rest. c. 5. S. Th. q. 64. ar. 8. & Caie. ibi Med. C. de Rest. q. 7. versic. *sed obiter*, in col. 2. Coua. in Clem. si furiosus. c. 1. §. 4. nu. 1. nec oppositum aliquè docuisse aut legi, aut vidi, & mihi certè videtur ita esse definitum in c. si quis, de Iniur. quod ex Romano pœnitentiali desumptum est, vbi sic dicitur, *Si quis damnnum vel arcam cuiusque incenderet voluntariè sublata, & incensa restituat*. Vnde si voluntariè non fecit à contrario sensu non tenebitur. Sed expressè in c. finali eius tituli sic scribit Rom. Pont. Greg. 27 IX. *Sanè licet, qui occasionem damni dat, damnnum dedisse videatur, secus est tamen in illo dicendum, qui vt non occideret de contingentibus nihil omisit*: vbi ponderare possumus non modò non teneri ad restitutionem Gregorium docuisse, verumetiam nec damnnum dedisse, quasi reuera, qui inuoluntariè omnino damnnum fecit, non propriè damnificasse, sed verbo tenus, videatur. Ratio etiam huic veritati suffragatur, quòd vt supra docuimus c. 1. restitutio locum non habet, nisi vbi iustitia læsa est iniustitiaque commissa. Sicut enim pœnitentia locum non habet in eo, qui nunquam peccauit, cum suaprè natura sit peccati recompensatiua, ita restitutio, quæ damni, & iniustitiæ commissæ compensatiua est, non nisi vbi iustitiæ virtus læsa est locum habet. At vbi nullum est voluntarium, & nulla culpa, nulla est iniustitia, atque iniuria commissa. Igitur nulla debetur restitutio. Adde, quod restitutio non est 28 necessario facienda, vbi proximus de damno illato non est inuitus, aut si est, non rationabiliter. Constat autem non rationabiliter esse inuitum de damno dato ab altero omnino inuoluntariè, aliàs vellet ad impossibile teneri illum, quod irrationabile est. Vnde pulchrè Augustinus ad Publiolam scribens epist. 154. sic ait, *non est mortis aliena reus, qui cum sua possessioni murum circumdixerit, aliquis ex ipsorum usu percussus intereat. Neque enim reus est Christianus, si bos eius aliquem feriendo, vel equus calcem iaciendo aliquem occidat, aut ideo non debent Christiani boues habere cornua, aut equus ungulas, aut dentes canes*. Et statim *Abst, vt ea, que propter bonum, aut licitum facimus aut habemus, si quid per hac præter nostram voluntatem cuique mali acciderit nobis imputetur. Alioquin, nec ferramenta domestica, aut agrestia sunt habenda, ne quis eis, vel se, vel alterum interimat, nec arbor, aut restis, ne quis se inde suspendat*.

Q V A R E ad argumenta respondeamus. Primum iuxta doctrinam Greg. IX. in d. c. finali, non propriè dici posse damnnum dedisse, qui nihil de contingentibus omisit, vnde in dict. tit. quasi pro eodem reputatur iniuria, & damnnum datum. Et ita sicut nec iniuriam facit, ita nec damnnum dedisse dicendus est. Sed esto, demus damnnum dare, non sequitur teneri ad recompensandum restitutionem. Si quidem non in-

iustè damnum dedit. Sicut enim iudex occidens, vel homo priuata autoritate se defendens non tenetur restituere quidquam, quia iustè damnum infert: ita is qui non iniustè infert mortem, vel aliud damnum nihil restituere tenetur.

30 A D secundum respondetur. Primum, quòd vt suprà dicebamus ex nostra sententia, qui rem bona fide possidet non restituere, sed red- dere tenetur, restitutio enim semper supponit peccatum, sicut nec ille qui debitum ex contractu reddit non tam restituere, quàm sol- uere debitum dicitur, & ita nihil ex eo argumento colligitur in pro- posito, cum de restitutione agamus damni illati. Præterea ratio non est similis. Quia in hoc casu extat res aliena ad quam habet ius, imo & dominium verus dominus vbi cumque sit & ita ratione rei acceptæ tenetur, non ratione acceptionis cum iniusta non fuerit. Et sanè ma- gis firmatur nostra sententia: Nam vbi non est res aliqua, ratione cuius possit teneri, solum restat obligatio ratione acceptionis, quæ cum ini- iusta non sit, vt supponimus, nulla reliqua est restituendi ratio. Ac- cipe simile quo res magis eluceat. Si is qui bona accepit bona fide, si eadem bona fide bona consumpserit, vt infrà dicemus, ex omnium sententia non tenetur de consumptis, nisi mala fide consumpserit. Quia iam damnum fieret voluntariè, vel nisi ex ea consumptione fue- rit ditior factus. Si enim est factus ditior, perinde est ac si res ipsa 31 maneret secundum æstimationem. Hinc est quòd vendens rem vi- tiosam omni adhibita diligentia, putans esse sanam, nihilominus tene- tur restituere, vt dicemus, cap. 5. Quia æstimationem accepit pro eo quod nihil valebat, & ita iam est ditior factus. Vides igitur quo pacto non ex læsione non iniusta sed ex iniusta tantum, vel ex rei acceptæ aliquali existentia oritur restituendi obligatio. Cum ergo in nostra quæstione nec rem vllam ablatam supponamus, sed omnino destru- ctam, & id actione inuoluntaria atque adeo non iniusta, constat nul- lam esse restituendi obligationem.

32 A D tertium, fatemur in illis casibus dominum teneri, vel totum damnum refarcire, si in culpa fuit, vel si non fuit in culpa, sed omni- no casualiter datum est damnum, dare animal, vt apertè decernitur in illo cap. finali, & in iuribus aliis citatis. Vnde in dicta lege, quarta parte, dicitur, quòd vel damnum refarciat, *O sea tenudo a desamparar los seruos que fizieron el mal, e meterlos en poder de aquellos a quien roba- ron.* Quæ profectò decisio iustissima est, & vt quibusdam videtur, non modo pœnalis aut positua, sed diuina & naturalis lex ante sen- tentiam obligans, quòd etiam si verum sit, tamen nihil per hæc ha- betur contra nostram conclusionem. Non enim docent illæ leges, vt determinatè restituere teneatur, nec ad id posset inculpatus homi- nem obligare, nec lex naturalis ad id obligat, sed sub distinctione, vt vel damnum restituat, vel animal deferat: adeo, vt si animalis pre- tium, vel serui non sufficiat ad damnum, non tenetur dominus ali- quid restituere. Et horum ratio, quod scilicet in conscientia prædicta doctrina

doctrina locum habeat, ea est, quia animal vel seruus (inquiunt) ex quo non sunt liberi manent subiecti ei, quem damnificauerunt, vt ex eis compensationem sui damni accipiat, eo modo quo illis est conue- niens. Et cum capaces non sint moralis obligationis, ideo naturaliter illi manent obnoxij secundum suam personam, vel suppositum, quæ pretio æstimabilia sunt. At homo liber non potest, nisi moraliter obli- gari ratione scilicet voluntatis iniquæ, quæ tamen hic nulla est. Per- sona enim eius æstimanda non est, cum damnum non vt liber fecerit, sed omnino inuitus. Et ita non potest manere obligatus ad restitu- tionem vllam. Vnde non solum post sententiam, vt docet Syluester rest. 2. in fine, sed in conscientia iure ipso naturali postulante, vt qui damnum est passus ius habeat recuperandi ab eo à quo passus est, si à libero tantum libera obligatione & læsione: si à seruo vel bruto tan- tum naturali obligatione, qua illi manere debet subiectus secundum modum suæ naturæ pro damno illato. Adde, quod cum animal vel seruus non sit sui iuris, sed totum quod est sit domini, sit consequens, vt sicut omnis eius vtilitas domini est: ita etiam & damnum domini sit, ac per consequens, teneatur dominus ratione damni ob eo illati illum dare ei qui damnum perpeius est. Tandemque id probo, quia 34 aliàs nec leges essent iustæ nec sententia, qua præciperetur dominus dare noxiam nisi iure naturali antea teneretur: si enim iustæ essent, maximè ratione pœnæ, sicut ob delictum quotidie videmus homines pœna pecuniaria condemnari. At hic nullum est delictum, vt patet, nec domini, vt supponimus, nec bruti, quod eius capax non est: nec etiam si esset, vt seruus quia cum non sit sui iuris, sed res domini, non iustè dominus in propria re puniendus esset, sine culpa propria. Non ergo est pœnalis lex, vel sententia, sed declaratiua iuris naturalis.

NON putant tamen prædicti teneri dominum, seruum, vel animal, si fugerit, querere & in læsi potestatem mittere, sed satis est si animal vel seruum deferat, vt ex eo læsus damni reparatione accipiat. Secus 35 est si apud se retineret, tum enim peccaret mortaliter cum illum occul- ter & restitutionem impediatur, & ita si apud se est, tenetur vel læso red- dere, vel illū admonere, vt accipiat. Vnde enim d. l. 4. part. dicitur te- neri, *desamparar los seruos, y meterlos en poder, &c.* Ego hercule non pu- tarem dominum seruū, aut animal occultatè peccare, nec ad restitutio- nem teneri quando omnino de contingentibus nihil omittens dam- num ab animali est secutum, nisi lata contra eum sententia: non enim video iure naturali manere rem irrationalè damnificato obligatā. Cū capax non sit talis obligationis. Finge rogo, quòd te viam transeunte lignū de domo mea cecidit vel ferrum, aut aliud inanimatum, pretio- sum tamen, quod tibi nocuit, idque citra omnem culpam, nunquid li- cebit tibi lignū, aut ferrum, vel si aurū est, assumere, vt tibi satisfaceres de damno, vel tenebitur dominus omnino inculpatus eū tibi tradere? nō credo quēquā cōcedere. De casu enim fortuito dñs nō tenetur: ac 36 proinde nec res suas obligationis & culpæ incapaces, tradere pro dāno

recepto. Igitur idem erit si columba, vel aliud animal damnum inferat. Curvata sint culpæ incapaces, ac si inanimata essent. Respondeas fortasse non esse simile. Quoniam animal & omne viuens mouetur à se, at inanimata non se mouent, sed vt philosophi dicitur mouentur à generante, id est, ab eo qui dedit formam, & virtutem motricem. Qui enim dat (inquiunt) formam, dat consequentia ad formam. Verum hæc responsio minimè idonea est nostro instituto. Primū vt obiter dicam allata doctrina de motu grauium & leuium non à sese, sed à generante dubia apud me & falsa semper fuit habita, immeritoque Arist. attributa, negare enim non debeo, quominus ignis suo actiuo principio concitus supera petat, terraque suopre pondere actiuè ad ima feratur, consimiliter, & aqua frigiditatem efficiat, ignis verò calorem actiuè generet, grauitas enim & leuitas, calor & frigiditas istorum qualitates actiuè sint, & principia vnde motus, ac proinde efficiētes causæ, verèque instrumenta formæ substantialis eorum, non minus ac calor & aliæ qualitates viuentium verè conferunt ad motus alterationis augmentationis locique mutationis, vt formarum substantialium instrumenta: quòd si illorum motus generanti attribuis, propterea quod grauia & leuia habent à generante formam, ac proinde habere debent ab eodem qualitates, & virtutes motrices tamquam consequentia ad formam, pari certè ratione concedere te oportet viuentia à generante moueri, cum ab eo formam acceperint, ac proinde consequentia formam scilicet sensus, & motus, &c. Eam ego differentiam inter grauia & leuia ex vna parte & viuētia ex alia semper agnoscam. Quod viuētia ex quiete ad motum se facile transferunt sine villo extrinseco motore: at graue & leue expedire non possunt sese ad agendum à principio sui motus, nisi extrinsecus adsit motor: vnde lapis v.g. ex loco in quo iacet numquam mouebitur, nisi extrinseco agente adiuuetur, animal verò seipso suisque instrumentis quo appetit mouetur. In eo tamen conueniunt, quod si vtrumque impedimento careat statim motum exequetur. Et ob id Arist. 8. li. Physicorum ait graue quam primum sit expeditum stari operari suum motum, quod ergo est motum operari nisi actiuè concurrere & efficere suum motum? Vide quam longe Aristot. sit ab ea sententia quæ illi tribuitur communiter. Verum philosophicas istas quæstiones dimittamus, concedamusque id esse verum, quòd grauia, & cætera inanimata mouentur à generante, viuētia à se, quid refert an actiuè se habeant, an merè passiuè ad damnum inferendum, quando ita naturaliter & ex necessitate vtraque operantur, & omnis abest culpa ex parte damnificantis, & ex parte domini? Itaque nec iure naturali, nec villo positiuo probari potest brutum manere subiectum ob damnificationem.

37 Iura enim prædicta pœnalia esse possunt, & ad iudiciale forum pertinentia præbentia actionem damnificato contra illatorem damni, & sanè quando illud concederemus, quod ante sententiam in foro animæ læsus haberet actionem, vt ex animali sibi compensaret,

ret, non esset cōtinuo verum, quod teneatur dominus bruti, aut serui illum exhibere, peccetque occultando. Vt enim ipse seruus se tradere non teneretur in manus læsi, vt ex se compensationem accipiat, sed fugere potest, & animal etiam brurum naturaliter se abscondere & conseruare, sic sanè inculparus dominus non teneretur manifestare: sed suo vitur iure occultando. Vt enim infra cap. 5. dicemus, licet dominus in seruum, iudex in reum personaliter puniendum ius habent: cū quo stat, eos fugere posse. Vtrique enim ius habent: Hi se conseruandi & defendendi. Illi puniendi & retinendi: sic dominus ius habet occultandi seruum vel bestiam, damnificantem, quamuis læsus ius habeat capiendi si possit, ex eisque sibi retribuēdi. In quibus omnibus casibus datur, vt inferius dicemus certamen vtrinque iustum. Lata verò sententia non erit integrum domino occultare seruum, vel brutum: atque huius nostræ sententiæ videtur fuisse Syluest. rest. 2. in fine: vt supra citavi. Vnde Aug. ad Publiolam, *absit, vt ea qua propter bonum aut licitum habemus, si quid per hæc præter nostram voluntatem cuiquam mali contigerit nobis imputetur aut ideo non debent Christiani boues habere cornua aut equus ungulas, aut dentes canes, alioquin nec ferramenta domestica & agrestia sunt habenda.* Vnde animaduertendum, quòd non teneretur dominus etiam lata sententia dare seruum vel animal, sed satis est, si pretium reddat, non enim potest læsus ex eo rationabiliter queri: si tamen seruo immineret suspendium melius faceret dominus, (si vtilitatem respicias) reddēdo seruum, ne pretio soluto ab eo seruus postea auferatur ad mortem, quamuis si ad charitatem attendas melius foret soluere pretium, & seruum vel abscondere, vel liberum dimittere. Sed quid si seruus se velit redimere pretio alicunde habito. An teneretur vel dominus, vel læsus pretium admittere? Quidam dicunt quod non teneretur, quia si Dominus malit seruum pro noxa tradere, vel damnum passus malit seruum pro noxa habere, non sunt obligandi pretium recipere. Melius tamen mihi videtur docuisse Greg. Lop. in d. l. 4. ti. 3. p. 3. quod teneretur pretium admittere. Licet enim ego id concederem de bruto, tamen de seruo secus, qui cū homo, ac proximus sit, ius habet se redimendi, & lege charitatis teneretur vnusquisque illum à morte vel simili damno liberare. Cū maximè id sine damno suo facere posset. Quartum argumentum specialem habet difficultatem, ideo dubitatione sequenti specialiter placet resolūere.

QVINTA dubitatio sit, cum quis damnum intulit, culpa tamē seu peccato veniali an teneatur ad restitutionem: an verò semper sit necessarium peccatum mortale, vt quis teneatur ex iniusta acceptione ad restitutionem? nunc enim vt supra dixi, non loquimur cū ratione rei acceptæ teneretur, tum enim nec venialis actio, nec mortalis requiritur. Et sanè argumentum supra factum videtur ostendere satis esse peccatum veniale. Quia cū peccatum veniale debeat esse voluntarium, iam ergo verè dici potest illatum esse damnum iniustè, sed iniustitia omnis restitutione est resarcienda: ergo, &c. Secundò, quia quæ-

do plures vineam aliquam modica accipiendo deuastant, quã primum nouerint factam esse notabilem læsionem, tenetur sub mortali vnusquisque suam partem restituere: & tamen actio qua læsit fuit tantum venialis. Ex alia tamen parte videtur esse necessarium peccatum mortale, vt restitutionis obligatio incuratur: restituendi (inquam) sub peccato mortali, sicut ad incurrendam excommunicationem requiritur, quod ea ratione probatur. Quia vel damnum, verbi gratia homicidij, datum est actione voluntaria expressè, vel virtualiter, aut non: Si secundum, nullum erit omnino peccatum. Si primum ergo erit mortale, si enim voluntariè in re graui damnificat, quomodo tandem non erit peccatum mortale? qua profecto ratione quorundam Doctorum de pollutione nocturna soleo refutare sententiam, qua dicunt eã pollutionem nocturnam fore peccatum mortale, quæ ex causa mortali habuit orrum: eam verò esse venialem, quæ ex veniali causa in vigilia data procedit, vt si ex nimio potu, aut cibo, quam inter alios docet Sotus in specie homicidij, 5. de Iust. q. 1. ar. 9. circa principium, versic. *Dubitatur*, asserens, tum homicidium casuale esse peccatum mortale, quãdo causa ex qua secutum est erat mortalis: at si venialis actio erat, ex qua est homicidium secutum, vt si clericus equitando aliquem infortunio conculcauit, tantum erit veniale homicidium, hanc inquam doctrinam probare non soleo, vel ob rationem factam. Si enim pollutio futura vel homicidium volitum est in causa, quippe, quod sciebam ex nimio potu vel equitatione euenturum, non potest à peccato mortali excusari. Nam cum ex parte materiæ non possit esse venialis, cum pollutio l. homicidium, ex se sit grauis materia, nec ex parte voluntarij eũ supponamus sciuisse futurum esse, nihil refert ea voluntate peccasse veniali peccato, gulæ, vel mortali. Et idem est iudicium de eo qui cum nec necessarium esset, nec vtile, voluit se dormitioni dare, sciens occisurum hominem dum dormiret, is enim licet tantum venialem causam dederit, tamen mortaliter deliquit non mortali peccato somnij otiosi, sicut nec ille gulæ: sed homicidij præuisi, sicut ille intemperantiæ seu luxuriæ. Sic igitur in proposito. Si ille voluntariè damnum efficax futurũ aut scit, aut scire debebat, nihil refert causam esse veniale, quominus dicamus mortaliter peccasse peccato iniustitiæ & damni futuri. Et ita impossibile videtur esse obligationem restitutionis incurram sine peccato mortali. Et hanc sententiam tenet Anro. Cord. de sigillo secreti, memb. 4. de detract. quæst. 3. concl. 7. Agens de eo, qui venialiter peccando in detrahendo damnum intulit proximo in fama notabile. Pro qua sententia refert Asten. & Adrian. quodlib. 11. suppositione 2. Ratio verò Cord. non est à prædictis, à nobis que adiectis distincta. Quia (inquit) obligatio restitutionis oritur ex iniusta læsione, modò fuerit mortaliter, coram Deo culpabilis, modò non.

In hac re distingui posse videtur. Nam vel loquimur propriè de
46 restitutione, vt nos sæpe in hac materia adnotauimus, quæ est damni
dati

dati instauratio ac reparatio, aut largè pro quacunque debiti redditione, quæ solutio magis, quàm restitutio dicitur, vt cum quis vel ex contractu licito, vel alio iusto titulo rem alienam possidet bona fide. Si enim sermo sit de restitutione hoc secundo modo, planè ex peccato veniali, imo sine vlllo peccato potest restituendi obligatio incurri, vt patet. Si verò primo modo, putarem semper requiri peccatum mortale, vt talis restituendi obligatio incuratur. In hoc enim casu non ratione rei acceptæ, sed iniustæ acceptionis tenetur restituere, vt autem sæpè ostendimus, vbi iniustitia nulla commissã est, non est restitutionis obligatio: & contra, vbi est restitutio facienda, iniustitia aliqua intercedat necesse est. Tunc igitur est ratio. Restitutio omnis supponit iniustitiam esse commissã. Et ex alia parte materia grauis est, vt supponimus. Igitur ex mortali peccato contracta est talis obligatio. Iniustitia enim in graui damno inferendo venialis esse non potest. Accedit etiam ratio à me pro prima parte dubij facta. Nam implicatio 47 est, vt veniale peccatum sit si voluntariè datur in re notabili damnum, sicut de pollutione, & homicidio dixi. Vbi ergo quis certus est se non peccasse. M. in aliquo facto, certus esse posse videtur non teneri ad restitutionem sub mortali, licet ex opere suo graue subsecutum sit damnum, sicut de eo diximus, qui ex contingentibus nihil omisit, vt patet ex dict. c. finali. de Iniu. Insuper, quòd vt dubio sequenti dicemus, nullus tenetur alteri ex delicto de leuissima, vel leui culpa, sed tantum de dolo, & lata culpa: at nocere proximo in re graui, dolo, vel lata culpa, est peccatum mortale: non ergo nisi ex peccato mortali obligatio restitutionis oritur: cum hæc non nisi ex delicto sit, vt sapius diximus. Et hæc maiori cum ratione vera esse debent, vbi peccatum veniale non est ex pleno voluntario, vt mēdatium, aut oriosum verbum, sed ex subreptione, vt si quis vehementi passione motus aliquem occidisset, adeo vt esset motus, quem vocant. Secundò, primus non est sufficiens ad peccatum mortale, tunc enim non teneretur quidquam in conscientia 48 restituere. Tandem animaduerto prædicta esse accipienda de restitutione sub mortali. Nam restitutio sub veniali incurri potest ex solo peccato veniali, vt si quis furatus est pomum sub veniali tenetur restituere. Per quæ patet solutio ad primum.

EST enim implicatio, quod sit voluntariè datum damnum notabile expressè vel tacitè, & tantum sit veniale peccatum. Semper ergo erit mortale licet causa in alio genere vitij sit venialis. In genere enim iniustitiæ necessario mortalis erit culpa, sicut de pollutione ostēdi, cuius causa etsi venialis esse possit in genere gulæ, tamen in ratione luxuriæ mortalis culpa intercedit.

AD secundum respondeo. Quod si sciebat qui furatus est modica alios etiã modica furatos fuisse, mortaliter peccauit accipiendo modicum, & consequenter sub mortali restituere tenetur, vt infra dicemus, cap. 5. Si verò nesciebat, fateor tantum venialiter peccasse, sed non tenetur sub mortali illam partem restituere in eo casu, sed sub
49 veniali

veniali tantum, & licet id daremus, non est omnino eadem ratio, quia iste rem accepit & mala fide consumpsit, & perinde est ac si extaret. Secus est de inferente damnum nulla re ad eum perueniente, tū enim ratione rei teneri non potest. Aliàs illo argumento probaretur, quòd si modica illa iustè sunt accepta ob aliqualem necessitatem. (Quemadmodum in hac specie tradiderunt Ioan. Med. quæst. 3. de restit. causa 1. versic. *quidquid igitur*. Couar. in reg. peccatum 2. p. §. 1. num. 3. Rip. in l. damnum, col. 2. ff. de damn. infect. Gandinus tit. Melesiorū, rubrica de pœnis, col. antepenult. Vnde 23. cap. Deur. sic scribit Moses, *ingressus vineam proximi tui, comede vias quantum tibi placuerit, &c.* De quo infra cap. 5. sermo redibit.) In hoc ergo casu. Si postea sciret eadem causa plura modica accepta esse ab aliis, quibus & sua, factum est proximo notabile damnum, in quo ille, nec consensit, nec debebat consentire, tenebitur suam partem sub mortali restituere, quod non est dicendum.

S E X T A difficultas sit, quomodo teneatur aliquis ex damno proximo sua negligentia, & culpa dato, vt si putans me occidere feram occidi hominem: vel lapidem, aut tegulas ex alto proiciens, transeuntem læsi, non adhibita debita diligentia, & idem est de omni alio nocumento. Pro cuius difficultatis explicatione, quæ basis est, & multarum qq. solutionis generale fundamentum, est animaduertendum, dupliciter posse aliquem de nocumento aliquo dato teneri. Primùm ex delicto: vt si occidas hominem putans occidere feram ex negligentia. Secundò ex contractu, vt si depositum apud te tua pereat negligentia. Tertio ex officio, vt si iudex condemnat aliquem, quem cōdemnare non debebat, ex negligentia examinandi ius vel factum. De duobus secundis infra disputabitur, modò agimus de damno ex delicto dato tam in homicidio quàm in honore, & bonis temporalibus proximi. Secundò animaduertimus id, quod Doctores, præcipuè iuristæ adnotant sæpenumero, & ex Theologis adnotauit Nauar. in sum. cap. 17. nume. 177. Adrian. in 4. ti. de Rest. q. vtrum in foro animæ &c. Gab. quæst. 10. ar. 3. in fine. Ang. verb. culpa, à §. 1. Syluest. eodem verb. in prin. & §. 1. Est que receptum apud omnes, quòd culpa, quædam dicitur latissima aliòque nomine dolus, & est omnis calliditas, fallatia seu machinatio ad circumueniendum, & fallendum adhibita. Tacendo in animo fit calliditas, vt habetur in l. 1. ff. de Act. emp. & vend. Fallatia fit mentiendo verbo, vt in l. falsus, §. si quis. ff. de furtis. Machinatio autem fit arte verborum, vt in l. Iulianus, §. idem ff. de Act. emp. & hæc ipsa culpa seu dolus dicitur etiam à Doctoribus latior: ita, vt si dolus & circumuentio sit aperta, ac manifesta, dicitur latissima. Si autem dolus non ita clarè exterius apparet, sed iustè præsumitur dicitur culpa latior. In vtroque in casu licet doli sint vel aperta, vel non ita aperta signa, vt docuit Nauar. fieri potest, vt interius in animo non fuerit vera fraus, seu dolus, quod enim in vno esset fraus, in alio non item. Secunda dicitur lata culpa, & est deuiatio ab

ca di

ea diligentia, quam communiter illius artis, vel professionis, aut officij homines prudentes adhiberent. Tertia dicitur leuis culpa, id est, defectus eius diligentia quam prudentiores illius exercitij homines habere solent. Leuissima verò dicitur, omissio eius diligentia, homines illius artis prudentissimi in ea re efficienda ponerent. Supposito ergo quod hic de culpa, & damno dato ratione delicti quærimus. Dubitatio præsupposita rogat. Quæ ex prædictis culpis requiratur, ac sufficiat, vt damnum ex meo facto secutum mihi imputetur, & restitutionis onus inducat.

E T primum suppono ex omnium sententia quòd ex dolo, imo etià ex lata culpa incurritur restituendi obligatio. Et ita dicitur apertè in d. cap. finali, cuius verba statim referemus, & ratio est clara, quia in iis casibus voluntariè & iniustè damnum datur. De culpa ergo leui & leuissima, quæstio est, & sanè glos. in c. cōsuluiisti, 2. q. 5. apertè tenet etià de leuissima teneri quempiam non solùm in foro iudiciali, sed etiam in conscientia. Quam sententiam sequitur Adria. quæst. citata. Ang. §. 6. verb. culpa, verbi gratia si venando occidisti hominem putans occidere feram, non adhibendo eam diligentiam quam prudentior, imo prudentissimus venator adhiberet, teneris totum damnum refarcire. Hæc sententia probari solet ex d. c. finali, de iniur. & dan. vbi sic dicitur *si tua culpa datum est damnum, vel iniuria irrogata. Ecce culpā latam, vel si hæc, tua negligentia & imperitia venerunt. Ecce leuem, & leuissimā, iure super his satisfacere te oportet: nec ignorantia te excusat si scire debuisti ex facto tuo iniuriam similem posse contingere, & addit: Secus de illo, quæ ex contingentibus nihil omisit.* Ecce vbi solùm excipit casum fortuitum, & omni culpa vacuum, de quo in §. dubit. diximus. Et probari etiam potest non obscure ex d. c. Consuluiisti, vbi cum esset sermo de occidentibus infantes tenellos, ait Stepha. 5. in hæc verba, *monendi sunt & protestandi parètes, ne tam tenellos secum in vno lecto collocent, ne negligentia qualibet proueniente suffocentur, vel opprimantur, vnde ipsi homicidij rei inueniantur.* Quid apertius. Et sanè in iure ciuili id ipsum testatum videmus. ff. ad l. Aquiliam l. sed et si quicumque §. 2. & l. in lege quod nō est, in l. Cornel. de Sicar. ff. de Sicar. in l. culpa autem est. Ratione etiam probatur. Quia qui culpa sua damnum dat, virtualiter dat voluntariè. At omnis irrogator iniuriæ voluntariè iniustitiam committit. Ergo ad restitutionem illati damni tenebitur. Hanc sententiam secutus videtur Syluest. verb. *incendiarius*. qu. 1. & videtur eam tenuisse Couar. in Clem. si furiosus. 2. p. §. 4. num. 9. citans ad hoc prædictum cap. Consuluiisti, & ibi Glos. præallegatam, ait siquidem Couar. irregularitatem ex homicidio incurri, quamuis secutum sit leui culpa, imo etiam leuissima in committendo. Itaque distinguit de modo culpæ, si enim ex pura omissione sequatur, non incurritur de leuissima. Si autem ex cōmissione contingat homicidium vel aliud damnum, de leuissima tenebitur. Semper autem siue in committendo, siue in omitten-

do, si culpa leuis intercedat imputabitur homicidium ad irregularitatem. Imò etiam leuissima in omissione sufficit, vt damnum securum imputetur. Quando is, qui in ea culpa est, mercede conductus erat, vt diligentiam adhiberet. Et quamuis Couar. non loquatur in specie restitutionis, sed irregularitatis: tamen eadem est prorsus ratio, quòd opus non erat aliàs prohibitum, quando enim quis non dat operam rei illicitæ, & persona priuata est, nullo pacto homicidium ad irregularitatem imputatur, nisi ex peccato & iniustitia in homicidio secuto, vt ipsemet Couar. constituit in dict. num. 9. versic. *ex his ipse infero*. Aliorum verò est communior sententia, qui dicunt neminem ex delicto teneri ad restitutionem in conscientia nisi ex dolo, vel lata culpa, ita docuit Syluest. verb. *culpa*. quæstio. 4. & *restitutio*. 2. dict. 12. & 17. Innocent. in ca. sicut dignum de Homicid. Ioann. Anan. & Panormita. in eodem cap. & cap. 1. de Const. & cap. dilect. de Arb. & cap. si egressus, de Iniur. & cap. cum causam, de Testament. Rosell. verb. *Aduocatus*. §. 24. Ioann. Andr. in cap. quoniam de Proba. Gabr. distinct. 15. quæst. 14. art. 3. dub. 2. & quæst. 15. dub. 2. Anto. Gom. 3. tomo. cap. 2. numero 3. 5. & vltim. Merc. tractat. de Restitutio. cap. 5. versicul. *Item nõ restituit*. Dominic. Sorus. 4. lib. de Iustitia, quæstione 7. articulo 7. post medium, quamuis non distinguat de lata, leui, & leuissima. Vnde Syluest. in dict. verb. *incendiarius*, quæst. 1. non simpliciter docuit oppositum, sed retulit se ad d. quæ. 4. in verbo *culpa*. Et mihi placet hæc sententia. Quoniam, vt supra probauimus, vt restitutionis obligatio incurratur, (quòd nõ ex re accepta, imò nec ex iniusta acceptione, vt dicebamus in eo qui precium ob rem defectuosam accepit, sed tantum ex actione iniusta, nulla re vel pretio accepto) nullus tenetur restituere nisi peccatum intercedat mortale, quia tantum tenetur, vt supra dicebamus ratione iniuriæ, atq; iniustitiæ illatæ, at vbi nullum est peccatum, vel vbi mortale non est, iniustitia esse non potest, quæ genere suo peccatum mortale est. Sed in culpa leui, & leuissima, non est mortale peccatum, imò neque veniale esse contingere potest, quod ex eo probabis, atque intelliges, si differentiam paulò attentius attenderis, quæ est inter peccatum vt Theologi, loquuntur, ac inter culpam, vt iuristæ. Nam culpa seu peccatum apud Theologos est deuiatio à ratione recta, actus (inquam) cui deest rectitudo rectæ rationis debitæ in esse. Et ita est semper contra iustam aliquam legem naturalem, diuinam vel humanam, estque essentialiter Dei offensa. Omnis enim legis iustæ & rectæ rationis violatio Dei offensa est. At culpa apud iuristas dicitur deuiatio seu defectus ab eo, quod bonum est, quod per hominis prouidentiam ac diligentiam vitari potuit. Vnde non tam dicit defectum rationis quàm diligentiam, & curæ, ac prouidentiam cuiusdam, quæ esset apponenda. Huius autem diligentiam ommissio, incuria, & incautio absque peccato esse potest, saltem in leui, & leuissima. Imò vt multi volunt à culpa lata, peccatum abesse potest. Sed

Sed saltem, quòd cum leui & leuissima possit peccatum abesse ex eo probo. Quia nullus tenetur, secundum rationem rectam & legem aliquam in omni sua actione esse prudentior, aut prudentissimus. Satis esse putare debemus si prudens sit ac prouidus, ita vt si quid agat imprudenter ac negligenter, peccatum sit, non tamen si quid egerit non prudentius, neque prudentissimè. Vnde secundum Dei legem non tenemur ex aliquo præcepto esse meliores, sed boni. Non enim tenemur ad gratiæ augmentum, sed vt simus in gratia. Vnde maledictus dicitur, qui opus Dei facit negligenter, quasi is, qui facit diligenter non peccet. Si ergo satis est esse bonos, & diligentes, & non est contra rationem rectam, non esse meliores aut optimos, non esse diligentiores, aut diligentissimos, sequitur culpam leuem ac leuissimam sine peccato accidere posse, vel saltem sine mortali. Et ita nullus tenebitur ex leui, & leuissima culpa ad restitutionem. Secundò, quia sæpe homo obliuiscitur naturali quadam obliuione diligentiam maioris, & maximæ faciendæ, at tamen non est dicendum peccasse, ergo leuis, & leuissima culpa sine peccato esse potest.

DICES ergo, neque ex lata culpa tenebitur semper damnum datum refundere? Solent enim aliqui eius obliuisci naturaliter, quod prudens illius artis facere consuevit. Respondeo, vt sæpè distinximus. Si enim non ratione rei acceptæ, vt in deposito, vel ratione iniustæ acceptionis, quæ committeretur contractum (vt dixi in vendente rem vitiosam ignoranter ex culpa lata) (sed tantum ex iniusta actione nihil ad eum perueniente, non tenebitur in foro animæ restituere, si naturali obliuione, verbi gratia, misit lapidem, quo prudens non mitteret, & ita damnum fecit. Est enim de illo iudicandum, ac si omnino fortuitò accideret, cum ille actus sit omnino involuntarius, quòd reuera ille nulla ratione facere voluisset, quod etiam ex eo coniciatur, quòd si factum in proprium damnum, ac periculum vergeret supposita naturali obliuione non minùs faceret, cum sit naturalis quædam inaduerentia. Signum ergo est omnino in voluntariè, & inculpabiliter damnum dedisse. In foro tamen exteriori cogitur & meritò restituere ob latam culpam. Imò sæpe ex leui, quando res ita erat periculosa, vt Mercado adnotauit, vt non solum diligens, sed diligentior esse deberet, & hoc est valdè notandum.

DICES fortasse curiosius rogando, quoniam tandem modo valebimus distinguere obliuionem naturalem ab incuria & negligentia lata, quæ semper est mortale peccatum, & ad restitutionem obligatoria? Respondeo id experiendum esse à quoque melius, quàm explicandum, sed tamen sic declarari posse iudico: Si ingredienti mihi in opus aliquod periculosum, propositum fuit, periculum accidere posse, si tum non feci sufficientem diligentiam, planè peccatum est mortale. Quia cum aduerterem ad periculum, non adueri ad diligentiam, quod constat esse culpabile, & peccatum. Et hæc dicitur ignoratia crassa, & propriè lata culpa.

Si autem cum cœpi opus non aduertebam esse periculum naturali quadam obliuione: quod raro fiet, cum res ipsa periculosa facile sese ostendat, tunc non esset vllum peccatum, sed indeliberata inaduertentia inuincibilisque ignorantia. Non placet tamen hoc loco quorundã distinctio, qui dicunt, quòd si damnum ex meo facto sequitur immediatè, vt si quis proiciat sagittam occidentem aliquem ex lata culpa, tunc est peccatum mortale, & restitutionis obligatio. Si verò proximus non actiue, & immediatè operetur aliquid ex quo sequitur damnum, sed tantum passiuè se habeat, & occasionaliter, vt si foueam fecerit in
 64 publica via, cui malo occurrere neglexit, tunc dicunt posse à peccato, & restitutione deobligari. Quia dicunt potuit habere propositum obuiandi damno, postea verò distractus oblitus est. Non inquam placet hæc distinctio. Nam ita damnificat quo ad mores atinet fouea sicut sagitta emissa, & sicut facta fouea potest naturaliter obliuisci, ita iaciens sagittam, vel lapidem, aut ludens potest damni euenturi non recordari, licet frequentius cum actio est positiua, vt emissio sagittæ, soleat damnificare. Sed certè in vtroque casu si aduertens periculum (quod vix potest contingere, vt non aduertat) non est diligens in adhibendo remedium quod prudens quisq; adhiberet, mortaliter peccat, & in lata culpa est, & ad restitutionem tenetur. Si verò in vtroque casu sit inaduertentia inuincibilis, nulla erit obligatio iuxta prædicta.

Ex dictis innumerabiles penè quæstiones dissoluere facile est. Vt
 65 si tuum animal damnum fecit te ignorante. Si enim v.g. ferox erat, vt leo aut pardus, &c. quæ non retines domi benè ligata, vel si asinus non vel domi, vel alibi securè referuas, ne depascat segetes, &c. tunc teneris de toto damno si es in culpa lata & peccato, vt dictum est. Secus est si nullum esset peccatum: vt si fecisti propositum vitandi damnum, & oblitus es naturaliter, etiam si in leui, imò in lata culpa fuisse præsumaris, vt dictum est, & sic de multis aliis.

Ex iis patet solutio ad argum. Ad cap. illud fin. respon. ex eo tantum inferri, quod si intercedat peccatum tenetur ad restitutionem. Id enim nomine imperitiæ & negligentiam intelligitur. Ideo enim subdit nec ignorantia te excusat, si scire debuisti ex facto tuo iniuriam verisimilem posse contingere. Quod patet etiam de culpa lata, & ignorantia crassa dictum, non de omissione prudentioris, vel prudentissimæ diligentiam. Vnde statim subdit, *ad liberationem restitutionis non proficit si sine fera animalia, & qua nocere consueuerunt. Si quã debueras non curasti diligentiam, adhibere. Quid autem est quam debueras diligentiam? nisi prudentem, prudentiorem enim vel prudentissimam nullus tenetur adhibere*
 66 in omni suo opere, vt dictum est. Et ideo, cum dicit eum tantum excusari, qui ex contingentibus nihil omisit, nihil inquam omisit eorum, quæ vt prudens prouidere; & cauere debebat. Ad rationem verò responderetur, quòd non potest dici voluntarium, quod ex culpa tantum leui, aut leuissima fit, quando diligentior cautionem, vel diligentissimam adhibere non tenetur: vbi enim quis non tenetur, omis-

sio illi

sio illi non imputatur, vt voluntaria, vt de se patet. Secus est, vt saepe dixi, quando quis ex contractu tenetur, vel ratione rei acceptæ, vt supra satis diximus, de eo, qui rem alienam existimans esse suam, vel pretium accepit, dissipauit, vel donauit, & de eo qui vendit rem vitiosam ignoranter. Nos enim locuti sumus, quando solùm ex delicto tenetur, vt saepius à me dictum est. De his enim & de nocentibus ex
 67 culpa in officio infra disputabimus. Quibus adde nos huc vsque locutos esse in foro penitentiali. Nam in foro iudiciali, quandoque condemnabitur quis ob leuissimam culpam secundum iura Ciuilia, imò etiam Canonica. Tum ob præsumptiones ex rei circumstantiis. Tum ne detur locus fraudibus & iniuriis. Vnde illa regula Angel. vbi supra, quòd *tenetur in conscientia quotiescumque tenetur de iure ciuili, vel canonico*, admittenda non est.

Ex quibus colligo minus benè docuisse Gabr. in 4. dist. 15. quæst. 14. dub. 2. & q. 15. dub. 2. quòd tenetur aliquis restituere cum ex suo actu damnum est proximo securum omni adhibita diligentia, si dabat operam rei illicitæ, vt si clericus emitteret sagittam in locum, quo nemo transire solet, & casu hominem occidat. Id enim omnino falsum
 68 puto, licet enim id ad irregularitatem faciat iuxta multorum sententiam, tamen ad restitutionem est omnino impertinens dare operam rei licitæ, sed illicitæ: si enim sufficiens adhibita est diligentia, quæ scilicet culpam latam, peccatumque mortale excludat, etiam si opus, ex quo sequitur sit illicitum damnum securum, omnino inuoluntarium est, ac per consequens illi non potest imputari, licet enim illicitum quid fecerit: non iniustum tamen quidquam fecit.

COLLIGO secundò, quidquid Coua. doceat loco citato nõ incurri irregularitatem ex casuali homicidio ob leuissimam culpam, etiã in committendo, quam ille leui comparari sine cõstante ratione vt supra dixi, docet, moueor tamen quia non est in æquitate & ratione positum, vt tanta, pœna, (pœna enim est semper irregularitas ex homicidio priuata personæ) ob leuissimã culpã incurratur, imò neque certè ob leuè,
 49 vt enim excommunicatio quia grauis pœna est non nisi ob mortale peccatum, & consequenter ob ignorantiam & latam culpam, incurri debet ita huiusmodi, quæ grauis est pœna non putarem sine peccato mortali incurri, vt infra c. 3. fusius ex Soti sententia probabo, ac propterea oblatam culpam siue in omittendo siue in cõmittendo. Si enim quis venans. v.g. eam adhibuit diligentiam quam prudens sapiensque adhibendam censeret non iustum est ei homicidium ad irregularitatem imputari, sicut nec ad excommunicationem putaretur, si occisus clericus etiã fuisse inueniretur. Et id de regularitate existimo. Fortasse enim aliqua actio ita esset periculosa, vt meritò censeatur irregularis, quia quod prudentior prouideret non prouidit. Secundò moueor, quia restitutio non incurritur, vt dictum est, nisi ex lata culpa: at eodem pede (vt aiunt) currit irregularitas, quando in persona priuata, & non
 46 dando rei illicitæ operam homicidium contingit; dico, *in priuata persona.*

Iudex enim occidendo, restitutionem non incurrit ius exequendo, ac irregularitate contrahit: dixi, *non dando rei illicita operam*. Quādo enim non datur opera rei illicitæ, non potest dici tunc irregularitatem incurri, eò quòd ille reus sit illius operis illiciti, vt constat, cū nullum sit, sed ex eo, quod reus est homicidij atque iniustæ læsionis proximi, Igitur irregularitas huiusmodi iniustitiam exigit, vt incurratur. Sicut & restitutio, ac perinde pariter de vtraque est iudicandum. Vt igitur restitutio ex leuissima culpa non incurritur: ita &c.

TERTIO colligo non debere nos recipere id, quod Sylu. docet verb. *homicidium*. 2. q. 23. & Couar. vbi supra. Quod in committendo tenetur quis de leui & leuissima. Quia (inquiunt) plus iura omissionis, quàm commissionis tolerant culpam, iuxta Bart. in l. quod Nerua. ff. de depo. quem laudat Alex. de Imo. in l. si mora. ff. Solut. mat. quòd in omnibus actibus, in quibus quis solum tenetur de dolo & lata culpa, tenetur etiam de leuissima in faciendo commissa. Quæ doctrina mihi non placet. Si enim prudentiam adhibuit, quid refert an positiuo actu vel negatiuo damnum acciderit? Cum æquè sit inculpabile æquè inuoluntarium vtrumque. Licet in foro, exteriori ita meritò sit obseruandū, vt hi arbitrantur, autores. Cuius præsumptionis quantum possum iudicare, ea ratio est, quòd cōmissio magis accedit ad dolum (qui non nisi committendo fit) quàm ommissio, quæ cum culpa solummodo cognationem habet. Ac proinde vt iura maiore odio dolum prosequuntur quàm culpam, ita minùs commissionem, quàm omissionem tolerant.

SEPTIMA difficultas. An qui ignorantia concomitante aliquem occidit, teneatur ad restitutionem, Ignorantia concomitans dicitur, quādo quis facit aliquid ignorantia quadam inuincibili, sed si sciret voluntariè, ac libenter fecisset. Quia iam animo facere decreuerat. v. g. Habet quis inimicitias cum Petro, quem occidere, vel aliud ei malum inferre desiderat, & procurat, quadam autem die venando, videt feram, quam reuera putat esse feram omni adhibita diligentia at fallitur, nam est inimicus, quem ipse occidere desiderat. Nunquid si illa ignorantia occidat, tenebitur restituere. Merc. trac. de rest. cap. 5. fatetur teneri ad restitutionem. Quia inquit ille non excusatur à peccato ob malam voluntatem, vt omnes fatentur, & ex alia parte exterius damnum est datum, ergo iam ex parte voluntatis iniustique damni dati tenetur ad restitutionem, Adde, quòd ignorantia concomitans inducit excommunicationem, vt si occisus esset clericus, & etiam irregularitatem: ergo intercessit peccatū mortale homicidij, & ita restitutionis obligatio. Porro ego ab hac sententiā recedo libenter. Sola enim voluntas iniqua nō potest restitutionis onus parere, cū illa proximus nō dānificetur. Nec etiā exterius opus, cū ex ignorantia inuincibili pficiscatur. Licet enim cum opere externo adsit mala voluntas, tamen illud opus nō ex mala voluntate procedit, etiam si ille solum intendat venari, & de hac voluntate omni adhibita diligentia procedit sagitta, non ex voluntate occidendi;

dendi; cum ergo illa praua voluntas occidēdi inimicū tantū sit condicionalis, non absoluta impellens ad actū illū externū, nō dici debet ille exterior actus iniustus, (vt aiunt) formaliter, nisi tantū materialiter. Atque idē est dicendū de irregularitate & excommunicatione. Hæc. n. (sicut restitutio) requirūt actū externū homicidij formaliter iniustū.

OCTAVA dub. de ebrio & dormiente, si aliquem occidant an restituere teneantur? Ad hæc & similia ex prædictis respon. Si enim cū esset in vigilia præuidere potuit & debuit, quia probabiliter timebat damnum euenturum, imputabitur illi homicidium, cum fuerit in lata culpa, & in causa volitum, vnde mortaliter peccauit, se inebriando vel dormiendo ante factam diligentiam ne eueniret. Si verò ille rationaliter non putabat id fore euenturum, quia scilicet nunquam illi contigerat, nec suppositis circumstantiis res erat periculosa, non peccauit, nec restituere tenebitur, cū sit omnino casuale.

DE irregularitate verò Richar. in 4. distin. 25. art. 5. quæstio. vltima, refert quosdam asserentes eos esse irregulares, qui sic occiderunt, etiam si nulla culpa sit secutum homicidium, nec eos impugnat. Sed re vera falsum est omnino, nam si nulla culpa interuenit, nullum est voluntarium nec in se, nec in causa. Quæstio ergo est de illo, qui sua culpa priuatus est vsu rationis, & tunc occidit. Castr. li. 2. de lege pen. c. 14. con. 1. docet non esse irregularem ebrium, vel dormientem, etiam, si sua culpa priuatus sit vsu rationis, id est, sciēs solere ebrium vel dormientem arma sumere. Probat. Quia Cle. si furiosus de Hom. absolute loquitur, dicens non esse irregularem. Verum contraria sententiā est omnium aliorum, & tenēda, quod cū quis sua culpa priuatus est vsu rationis, reuera est irregularis, si occidat vsu rationis carens. Illud verò quod dico *sua culpa*, non sic intelligo, quòd quocumque peccauerit dormiendo, vel se inebriando, postea sit irregularis, si occidat, quod concedere deberent illi doctores, qui dicunt homicidiū casuale imputari ad irregularitatem ei, qui causam dat illicitam, seu dans operam rei illicitæ. At nos non sic existimamus, sed cū ita sua culpa fecit, quod respectu homicidij secuti fuerit in lata culpa, id est, si verissimiliter credebat, cū esset in vigilia, quòd ex sua ebrietate vel somno esset occisurus, tum enim planè erit irregularis: cū homicidium fuerit voluntarium in causa, si verò id nō erat verissimile, quantumcumque se culpa ac peccato rationis vsu priuauerit, non erit irregularis: si culpa (vt iuristæ loquuntur) non adsit, id est ommissio debitæ diligentia, ne homicidium sequeretur. Et in hoc sensu Castr. sententiā accipiendam puramus. Eadem autem est ratio de ebrio, amente, & dormiente, licet rarò in duobus secundis imputetur. Et hæc est meo iudicio ratio cur in Clem. citata, quæ absolute loquitur, nulla fit mentio de ebrio, sed tantum de dormiente amente, ac puero. Quia in his quàm rarissime contingit homicidium, vel mutilatio culpabilis, & in sua causa volita. Et per hoc patet solutio ad argumentum Castr.

NONA difficultas, vtrum teneatur ad restitutionem, qui occidit Petrum,

Petrum, v. g. si sciat illud homicidium vel aliud damnum à se factum imputandum fore Paulo innocenti, & vincitum teneri, vel saltem ab illo esse faciendam restitutionem, quam certè minimè debet? Et videtur, quòd verus occisor teneatur veritatem proflare. Cum ipse sit verus damnificator, & nocens, & alter sua causa innocenter patiat. Et primum mihi videtur, quòd damnum quòd occisus, vel damnificatus passus est teneatur restituere occisor, vel damnificator occultus. Ipse enim fuit proxima & directa causa talis damni. Et in hoc nullus dubitare potest. An verò damnum quòd alter (cui iniuste imputatur) patitur teneatur iste vitare, & recompensare, sicut in directa causa, & conditio sine qua non pateretur tale damnum, maius dubium est. nam Med. C. de peni. vt refert Nauar. c. 15. nu. 17. docet simpliciter teneri ad se manifestandum & restituendum damna consecuta. Pedraza in Summ. præcepto §. 6. hanc difficultatem disputat, se enim simile casum habuisse tradit, qui fuit huiusmodi. Petrus minatus est Ioanni mortem. Quibusdam elapsis diebus Ioannes occiditur, non à Petro sed ab alio. Captus est Petrus ob suspicionem, qui ad expensas, & pecunia & exilio est condemnatus nunquid tenebitur ille alius Petro innocenti, hæc omnia restituere? Respondet ipse primum, quòd iniuriam, & expensas in curatione factas, & lucrum cessans teneatur restituere capto, & condemnato & id verissimum est, vt nos diximus: si enim tenerur in conscientia ea ipsa restituere immediato, damnificato, cum alter innocens ea pro eo soluerit, ei tenebitur restituere illa, cum is succedat in iure damnificati, vt palam est. Exilium verò, & pœnam pecuniariam, & alia damna, quæ passus est captus & condemnatus, non teneatur restituere. Quia (inquit) intentio opera distinguit, & eius intentio non fuit damnificandi captum, sed occisum, si tamen inquit, intederet minatorem illum damnificare tunc tenerur in integrum ad omnia damna, id ipsum docuit Sotus lib. 4. de Iusti. q. 6. ar. 3. ad quartum, post medium solutionis, & Nauar. c. 15. num. 17. Cord. lib. 1. quæstion. q. 31. art. 3. Verum nisi id, quòd de intentione damnificandi dicitur, sanè intelligatur non putamus omnino verum. Id circo aliter dicendum credimus. Si enim eo tempore quo occidit, aut damnū intulit sciebat verissimiliter alteri fore imputandum suum delictum tunc siue intendar damnificare illum, siue non, tenerur, illi restituere omnia damna, cum fuerit in culpa lata & causam efficacem illius damni dederit voluntariè. Si verò eo tempore nesciebat alteri mortem conferendam aut delictum, quamuis postea eius occasione alter qui est innocens patiat, etiam pœnam mortis: non tenerur verus occisor se prodere, vt alterius pœnam vitet, vel aliud damnum, aut postquam est illatum restituat, etiam si malo animo illum damnificandi fecerit. Ratio est plana iudicio arbitriòque nostro. Quoniam cum eo tempore ille non putaret tale damnum alteri euenturum fuisse ex suo facto non dici potest causa damni illius, etiam si malum haberet nocendi animum, sicut de occidente ignorantia concomitante diximus. Mala enim illa voluntas

NON

non est causa illius damni, imò omnino casualiter alteri accidit, cum alter prorsus non putaret, nec putare deberet, hic & nunc ex suo actu huiusmodi damnum illi euenturum. Licet ergo mortaliter peccare posset ob malam voluntatem: tamen actu illo exteriori non fuit illata culpa respectu homicidij. Ac propterea praua illa voluntas non informat exteriorem damnificantem, sed tantum concomitatur illam, vt verè dicere possimus (vulgi vocabulis vtentes) non esse formaliter damnificationem, sed materialiter, quæ multò magis vera sunt, quando non ea intentione occidit, vt alteri imputaretur, sed postea præter eius voluntatem illi imputatur.

SE D rogari posset quid sit dicendum, si is cui occasione mei facti delictum imputatur non esset innocens, sed nocens, verbi gratia accuso Petrum, sciens ex tali accusatione illud fore euenturum, vt fiat inquisitio contra Ioannem aliàs nocentem, quippe qui aliud delictum commisit & ira mei facti causa punietur. Aliqui respondent, quòd nullam teneor facere restitutionem. Quia non patitur vt innocens, sed meritas dat pœnas sui delicti, ac propterea nulla ei fit iniuria.

MHI videtur, quòd si nulla mea vtilitate illud facerem, ex quo scio proximi delictum fore puniendum pecco contra charitatem. Cum prætermisso fraternæ correctionis ordine, facto meo prodam, sicut si dicto proderem (ex quo iudex ad pœnam procederet) antequam admonerem secretò. Quamuis & hoc difficultate non careat, vt disputabo inferius cap. 4. Secundò videtur, quòd non peccat contra iustitiam tale opus faciens, etiam si inde sciat nocentis, peccatorisque manifestatione consequendam, & ita nullam deberi restitutionem. Primum enim si mea inter sit factum illud aggredi, mihi non imputatur damnum alteri secutum, vt or enim iure meo, ex quo per accidens alter manifestatur. Si verò nulla vtilitate faciam, licet vt dixi contra charitatem facere videar, iniuriam tamè nullam facio: sicut enim non facerem contra iustitiam illum accusando, vel denunciando, cum ille iniustum non patiat, siquidem delictum est probabile per testes: ita nec pecco contra iustitiam id faciendo, quo alterius crimen manifestetur. De quibus infra cap. 4. multa copiosius à nobis sunt disputanda.

De lædente in spiritualibus bonis.

CAP. II.



CTVM est capite præcedenti de lædente secundum communem quandam rationem: Oportet, vt initio promissimus, per singula capita specialia lædentium genera explicare. Et cum inter omnia bona à Deo hominibus tributa, præcipua sint ea, quæ ad animum pertinent: idcirco de lædentibus in bonis animi caput hoc secundum disputabit.

f

PRIMA igitur dubitatio fit: Vtrum lædens aliquem in bonis animæ, putà gratiæ, inducendo ad peccatum, vel perfectionis, vt auer-
tendo à bonis, quæ sunt consilij, vt ab elemosyna, ieiunio, voto, reli-
gione, &c. tenéatur ad restitutionem. Et sanè plerique scholastico-
rum fatentur eum qui abstulit bona animæ accidentalia, & alia bona
opera prædicta suo exemplo, consilio, vel imperio, teneri ad restitu-
tionem illius boni vel efficaciter dissuadendo, vel si non potest, oran-
do Deum pro illo, vel deniq; se vel alium religioni tradendo. Sic pro-
48 fectio sentit Scot. in 4. distinct. 15. Richar. distinct. 15. artic. 5. quæst. 2.
& 4. ad 8. Angel. verb. *rest.* in principio. Palud. dist. 15. q. 2. art. 2. conc.
1. Anto. 2. part. tit. 11. cap. 2. in princ. versus finem & tit. 2. c. 2. §. 1. Ro-
sella restit. 2. §. 1. Mai. dist. 15. q. 17. §. 92. Quia hîc locuti Adria. in 4.
quæst. 3. de restit. ad finem, & quodlib. 12. Gabr. distinct. 15. q. 17. dub.
1. Caiet. verb. *restit.* cap. 7. Nauar. cap. 17. num. 11. & num. 14. & cap. 12.
num. 44. Quo tamen loco cum Ioan. Mai. sentit specialiter de auer-
tente aliquem à religione siue ante, siue post ingressum vel professio-
nem, non teneri seipsum religioni mancipare pro illo, sed satis esse, vt
alteri æquè bono suadeat, licet non persuadeat. Hæc sententia proba-
tur, ab iis Doctoribus. Quoniam in bonis corporis necessario est re-
stitutio faciendâ, vt in vita, fama & re familiari, vt inferius ostende-
mus. Item in bonis animæ naturalibus, vt in memoria, & intellectu,
49 & aliis potentiis, quæ per accidens lædi possunt ex læsione sensus, me-
moriæ corpore, & phantasiæ: ergo multò magis in bonis spiritualibus
animæ & supernaturalibus, erit faciendâ restitutio, quæ maiora sunt
longè. Nam qui occasionem damni dat, damnum dedisse videtur. Ad-
dit Gabr. Quod etiam debet fieri secundum æqualitatem Arithmeti-
cam omnis restitutio. Et ita debet reddere efficacem inductionem ad
pœnitentiam. Et si id non satis est, quia difficilius est conuertere, quam
peruerrere: tenetur lege iustitiæ per se orando, vel aliorum oratio-
nes mendicando, conuersionem impetrare.

HORVM ego Doctorum sententiam probare nunquam potui.
Quare vt distinctè ac planè de mōre procedam quibusdam punctis
meum sensum explicabo. Primum de inducente ad peccatum nō pla-
50 cet teneri speciali lege iustitiæ ad gratiæ restitutionem, sed tantum
lege charitatis ob fraternam correptionem, ita vt obligatio non sit
specie distincta ab ea quam alius habet, vel ipse haberet si non indu-
xisset, licet sit maior in eadem specie. Quia fuit occasio damni. Ita ar-
bitratus est doctè ac resolutè Syluester verb. *restitutio.* 3. quæst. 1. Le-
desma 24. quæst. 18. artic. 2. §. sed quid dicendum. Cordoua in sum-
ma quæst. 172. Pedraza præcepto 5. §. 7. Sotus 4. de Iustitia quæst. 6.
art. 3. conclusiōe 3. Merca. tractat. vltim. de restitut. cap. 2. D. Thom.
opusculo 17. & 19. Quorum certè sententiam ante eram libenter se-
cutus, quàm eos legissem vno aut altero argumento conuictus. Pri-
mum enim vbi non est iniuria vlla, neque iniustitia esse potest, nec
restituendi obligatio, vt omnes fatentur, & suprâ ostensum est à no-
bis.

bis. At iniuria esse non potest. Scienti enim & volenti non fit iniuria.
Omnis autem gratiæ amissio scienter fit, & omnino voluntariè. Ergo 87
sicut, si aliquis alicui cōsuleret, vt se infamaret, aut mutilaret, aut rem
familiarem perditum iret, quamuis grauius peccaret, iniustitiam non
committeret vllam, nec ad restitutionem teneretur ei cui consilium
dedit, cum ille non patiatur inuoluntarium, sic, &c. Deinde quia vel
ille vult redire in gratiâ, & id satis est, vt recuperet: si autem non vult,
nihil illi aliorum consilia produnt, vt reducatur ad gratiam. Deniq;
nulla est restituendi obligatio, vbi læsus remittit iniuriâ: remittit au-
rem cum in peccato liberè perseuerat, & non vult exire, quemadmo-
dum, si ego abstuli pallium à Petro, qui sola sua voluntate posset recu-
perare & non vult, non ego amplius teneor, sed ille videtur condo-
nare iniuriam, quam rationem adhibent Ledes. Sylu. & Cord. Postre-
mò ex dicta sententia sequitur vt omnis scandalizans, id est, suo malo
exemplo, aut verbo est occasio ruinæ spiritualis alterius, peccaret cō-
tra iustitiam & absolui nōn deberet nisi dictam restitutionem faceret,
quòd absolum videtur. Imo etiam sequitur, vt qui multos annos per 88
varia loca ambulans multas seduxit mulieres, & ad peccandum inci-
tauit teneretur ad eas redire, vt eas traduceret ad pœnitentiam. Vnde
meritò neque D. Thom. huius rei mentionem fecit, nec vllus confes-
sor de tali restitutione quidquam interrogat. Per quæ patet solutio
ad argumenta in oppositum: Fatemur enim grauius peccare eum qui
lædit in his bonis, gratiæ & virtutum, non tamen iniuriam facere vel
ad restitutionem obligari.

DICAT fortassè quispiam: Saltem quando induxit ad peccatum
vel metu graui, vel seducendo, tenebitur restituere dicta spiritualia
bona. Cum tunc patiatur inuoluntarium læsus. Forsan in hoc casu
teneri posset illorum opinio, & ita videtur fuisse Richardus elocu-
tus, cum dicit, *Damnificans ex fraudulento consilio*, &c. Quamuis
instari posset. Nam cum metus etiam mortis, vt quis peccet, non
possit cadere in constantem virum, nec possit esse tantus dolus ac se-
ductio vt quis ignoranter peccet, aliàs si esset inuincibilis ignorantia 89
non esset peccatum: ideo videtur quod semper voluntariè ac scienter
damnum subeat: Et ita non fiet illi iniuria. Sed adhuc stare pos-
sumus communi, vt dixi sententiæ in hoc casu. Quia semper fit ini-
iuria cum ratione deceptionis & metu extorquetur consensus in
peccatum, qui aliàs non fieret. Constat enim dolum & metum tolle-
re voluntarium, & ita committitur iniustitia. Sicq; hanc nostram sen-
tentiam imitasse video Cordubam, Ledesman, Sotum & Syluestrum,
quod etiam videtur extendere Syluest. vt procedat prima opinio cum
quis non solum timore humano, sed etiam vt complaceat stat in pec-
cato, quod de timore reuerentiali fortasse verum est. Vt cum quis
ne gratiam principis amittat solummodo, vt illi complaceat perseue-
rat in peccato, tunc enim princeps videtur iniusta causa illius damni:
Sed si alius quispiam esset æqualis, cui complaceret peccando (imo

nec in dicto casu) putarem teneri ad restitutionem, sicut nec persuadens, ut dictum est, quia licet metus ille reuerentialis intercedat: tamen princeps non intendit consensum in peccatum inuoluntariè extorquere, sed precibus aut suasionem, vel certè imperio, non cogere tamen inuitum. Idem extendit Sylu. ad eum qui dans alicui consilium nõ adhibita diligentia est peccati alterius occasio. Quia, inquit, ignorantia crassa prope dolum est. Sed idem dicerè, quod de reuerentiali metu dixi. Nam reuera dans tale consilium non intendit iniuriosè consensum ab inuito extorquere, sicut neque princeps, cui ut complaceas, peccatum committis. Atque ita docuit Caiet. in summa, verb. *restit. c. 7. in fin.*

SECUNDO mihi videntur de aliis spiritualibus bonis naturalibus vel supernaturalibus pertinētibus ad intellectualem portionem, ut de scientia, artibus, memoria, fide, doctrina, & omni alia bona cognitione atque instructione benè docuisse Ledesima & alij auctores, Caiet. in d. c. 7. Merc. c. 2. vers. *qualquier*, eandem esse rationem ac de corporalibus. Vnde qui falsam docuit doctrinam tenetur reuocare proximum ab errore lege iustitiæ. Et similiter qui habens docendi officium sua negligentia ignorantem discipulum parit, siue sit vera scientia, ut Theologia, philosophia, &c. siue ars, ut Grammatica, & qui accipiunt famulos, ut eos vel scribere, vel suam artem doceant texendi, pingendi, sarcindi, &c. Siue etiam sit supernaturalis instructio, ut catechizare, prædicare, confessiones audire, & sacramenta conferre. Nam in his rebus non habens ex officio docens falsam, vel habens, non docens verã, magnam facit iniuriã proximo, in quam aliet nullo modo consentit. Neque verò satis mihi videtur damna inde secuta resarcire, sed vtilem illam doctrinam, & cognitionem veritatis docere si neglexit, cum ex officio teneretur, vel si errorem docuit reuocare etiam si ex officio non habeat. Caiet. tamen videtur, quod vel docere veritatem teneretur, vel significare illi falsa esse quæ docuerat. Verum si ex officio habeat, non putarem satisfacere, nisi verè doceat, si falsè docuit, & ut instruat si omisit. Si autem ex officio non habet, tum satis esset, ut ait Caiet. significare illi falsa esse, quæ docuit. Ex officio autem videtur habere Doctor, confessor, prædicator, aduocatus, cathedraticus, &c. Secus esset omnino, si neque falsum docuit, nec habet docere ex officio, sed tantum verum docere omisit. Nam in his casibus, si esset cognitio ad salutem & supernaturalem finem necessaria, tantum peccaret contra charitatem & præceptum fraternæ correptionis. Non enim vlli in hoc facit iniustitiã, ut suo loco diximus. Si verò esset cognitio naturalis, artis vel scientiæ: nec peccaret, nec restituere teneretur. Non enim debet quis suam scientiam vel vtilem cognitionem cuiunque manifestare, cum id ex officio non habet, nec lege iustitiæ, nec charitatis: sed illam prudenter occultare potest, & suis filiis, vel hæredibus tradere, quamuis contra senserit Ioan. Medi. C. de rest. quæst. 30. versus fin. Quia inquit sciens

certam

certam artem, & nolens docere nisi suos filios caritatem inducit in Rempubicam, quam opinionem libet confirmare per l. nostri regni Alphonfi II. ut habetur in legibus part. vbi inter genera monopoliorum hoc annumerat dicēs: *Y run ponen coto ò precio en otra manera, que no muestren sus menesteres, sino a los descendientes de su lineaie. Y per ende mandamos que estos ni otros semejantes cotos sean puestos sin etorgamiento y sabiduria del Rey.* Verumtamen, ut dixi, nec peccant, nec restituere tenentur, qui suam artem sic occultant certa quadam prudentia, & filios suos tantum docent: Non enim lege iustitiæ, cum non accipiat stipendium pro illa doctrina, neque ex l. charitatis tenetur omnibus ostendere: nisi forsan, quando talis est ars, ut esset in Rep. simplicitet necessaria, & communibus remediis vel alia via succurri non potest. Tunc genus coactionis inferretur & ita esset, iniustus conspirationis & monopolij modus. In quo casu Medinae sententia vera est, de quo infra cap. 5. latius dicemus.

Si tamen ignorantia iniecta, non esset ad hos fines utilis aut necessaria in se, sed solum propter damnum imperfectionis in intellectu, qui vel illis veritatibus caret, vel falsam existimationem habet, non viderur quod teneatur in conscientia lege charitatis vel iustitiæ (nisi forsan haberet ex officio, aut stipendium acciperet) reuocare à falsa opinione concepta: In hoc enim neminem damnificat. Cum de istis homines parum curent. Et nullius utilitatis sint, nisi perficiendi in intellectu illa vera cognitione. Fortassèque melius esset, nunquam ea narrare, ne homines in republ. ociosi nutriantur, ex sola curiositate nouitatum, & impertinentium rerum cognitione. Vnde colligo quod qui mentiuntur, sæpe seminando nouitates falsosque rumores, non tenentur se retractare & proximum abiecta falsitate reuocare, nisi aliud damnum speciale annexum haberet. Dico speciale, quia reuera commune damnum esse puto Reipub. illatum. huiusmodi esse homines, qui essent ab illa eiiciendi, & maximè ij, qui libros scribunt fictionum & falsitatum plenos, quos vocant de *cauallerias*. Nam & ociosos homines gignunt, sicut eorum auctores ex otij abundantia scripserunt, & sæpe (quod peius est) falsas doctrinas & fictas continent, quæ facile à iuuentibus creduntur, non sine superstitione. Quod religionis Christianæ sinceritati & veritati maximè repugnat. Quod malum non ego Christianus dolere solum soleo, verum dolebat Ethnicus ille, qui his verbis secum conquerebatur: *Simul (inquit) atque editi in lucem & suscepti sumus in omni continuo prauitate & in summa rerum peruersitate versamur, ut pœnè cum lacte nutricis, errorem suxisse videamur. Accedunt etiam poëta, qui cum magnam speciem sapientia doctrinaq; præ se tulerint leguntur, discuntur, audiuntur, & inhaerescunt penitus in mentibus. Quæ si de libris inutilibus & fictitia habentibus vera sunt, quanto rogo erunt ista veriora de libris ad bonos mores corrumpendos conscriptis? Quales sunt quos vocant Gelestinam, Dianam, &c. Quorum ego authores veluti multorum malorum semina à peccato non ex-*

f 3

cusarem, eosque cum eorum libris de Republ. eliminandos putarem.
 9 Vt enim hæretici doctrina & libris contra fidem scriptis magna in
 Rempubl. damna intulerunt, ac propterea legi & haberi sanctissime
 prohibentur, sic certè ij libri & haberi, & legi, imo excudi, verari de-
 berent, tanquam qui sanctitatem, morum puritatem, & disciplinam
 omnem Christianam penitus euertunt. Tantòque perniciosius quan-
 to amatoria verba teneros iuuenum animos magis vel capiunt, vel
 incendunt, vt cum leguntur & discuntur, inhærescant pœnitentibus.
 Quod si vera est tantorum Doctorum, quos supra citauimus illa
 sententia. Quis hos librorum inuentores, nisi prius restitue-
 rent tot tantaque, damna, absolueret! Oporteret enim eos iuxta eam
 opinionem, vel singulos quos suis libris à Dei gratia auerterunt, re-
 uocare, vel alium honestissimum librum componere, vt vel sic spiri-
 tualia illa damna Reipubl. & singulis facta compensarent, & sic abso-
 lutionis beneficium consequerentur. Quare vnusquisque à princi-
 10 pio, quid agat, quodve molitur, viderit. Et suæ & proximorum con-
 scientiæ consulat. Quoniam verò inter hos Reipubl. & synceræ ver-
 ritatis damnificatores & errorum seminatores omnium perniciosis-
 simi mihi videntur, superstitiosi quidam homines veræque religioni
 inimici, qui Astrologiæ nomine, & specie prauas opiniones & super-
 stitiosos errores in hominum mentes ingenerant, de quibus August.
 lib. 5. de Ciuitat. Dei cap. 7. sic ait. *His omnibus consideratis non immeri-
 to creditur cum Astrologi mirabiliter multa respondeant occulta instinctis
 fieri spirituum non bonorum, quorum cura est, has falsas & noxias opiniones
 de astralibus fati inserere humanis mentibus atque firmare. Non Horoscopi
 notati & inspecti aliqua arte, qua nulla est. Vbi August. non solum vana
 esse istorum Astrologorum iudicia docet, verum etiam falsa & noxia
 & instinctu diaboli facta. Et secundo super Genesim ad liter. & se-
 11 cundo de Doctrina Christiana: Sunt inquit, iudicia ex pactis cum de-
 monibus & instinctu eorum occultissimo, quem nescientes humana mentes pa-
 tiuntur, illegitimum est fortunatio in predicendo, qui fauentiorem habet demonem
 magisq. propitium. Ideo idoneum tempus nacti possemus hic de isto-
 rum hominum in iudiciis faciendis, peccato & restitutione differere:
 sed ne filum huius quæstionis rescindere videamur in fine huius du-
 bitationis breuiter differemus.*

DE auertente igitur alium à voto vel proposito religionis; deni-
 que à quocunque meliori bono Scotus, Rosel. Palud. Anton. 2. illa
 parte, Adrian. quæst. illa de restitutione, Maior & Nauarrus vt dice-
 bam, fatentur locis citatis, lege iustitiæ teneri eum, qui aliquem à re-
 ligionis proposito retraxit alium æquè bonum restituere, vel si id
 persuadere non potest, seipsum religioni tradere, quod Nauarrus
 & Maior limitant, si retractus erat professus, & tunc dicunt hi duo
 auctores, non se sed alium tradere debere, quo ad possit. Hanc ipsam
 12 sententiam tenet Syluest. verb. restituit. 3. quæst. 1. distinct. 2. docer-
 que eam esse D. Thom. probat. Syluest. Quia vbi quis potest resti-
 tuere

tuere rem sublatam vel æquivalentem non liberatur, nisi id faciat:
 ergo tenetur retractum reducere, vel seipsum, si idoneus est, religio-
 ni tradere.

DOMINICVS Soto artic. illo 3. par. 5. conclusionis, & in solu-
 tione ad secundum, contrariam penitus doctrinam astruit (nec im-
 meritò) docet enim quòd si absque vi & fraude, siue ante, siue post
 ingressum, imo post professionem & animo etiam iniquo nocendi
 extraxit vel retraxit, non tenetur restituere religioni quidquam: si
 verò vi & fraude, non tenetur alium illius loco subrogare vel ipse in-
 trare, quamuis si erat frugi religioni (ait Sotus) tenetur fortè aliquid
 pro damno satisfacere, ipsum tamen tenetur liberum efficere & veri-
 tatem docere.

MIHI tamen tertio, videtur in hac re de nondum professo, quòd 13
 qui hunc etiam post ingressum sine vi & fraude retraxit, non tenetur
 restituere, contra Paludanum, & Antonium: etiam si animo nocendi
 faceret, cõtra Adrianum, Scotum, Rosellem, & Syluest. Primum pro-
 bo. Quia religioni non fit iniuria. Quoniam ante votorum accepta-
 tionem, ius non habet in promittente, sicut in votis realibus & in omni
 promissione contingit. Acceptatio autem fit per professionem, ergo
 ante professionem nulla illi fit iniuria sicut in legatis contingit. Qui
 enim sine vi & fraude aliquem auertit à legato faciendo, nullam lega-
 tario facit iniuriam, qui non aliter ius habebat quàm media voluntate
 testatoris. Vnde qui sine vi & fraude illius voluntatem auertit nihil
 tenetur restituere. Neq; verò inductio tenetur, vt patet, cum ipse sua
 spõte dimittat, vt ergo inducens ad peccatũ (q̄ est maius dñum, cum 14
 priuet vita æterna) non tenetur restituere inducto, vt supra probaui,
 multò minus tenebitur, qui vouere volentem adducit, vt non voueat.
 Cum id vita æterna non priuet, aut si iam vouit voto simplici, vt non
 impleat, quod idem est ac si ad peccatum induceret. Nulla ergo rati-
 one tenetur alicui aliquid restituere. Secundum verò ex eo probo.
 Quoniam animus vel intentio nocendi non valet inducere obliga-
 tionem restitutionis, quãdo exterius non efficit damnum, vt apertum
 est. Si ergo exterius non dat efficaciter: damnum nihil restituendum
 est de iustitia, peccat tamen contra charitatem, vt patet, qui eo animo,
 id facit, non solum ob malevolentiam in religionem: verum etiam con-
 tra charitatem ipsius qui retrahitur. Nam si votum emiserat simplex,
 planè inducit ad peccatum, si autem solam habebat propositum vo-
 uendi, nisi id aliquo bono fine faciat, vt ait Syluest. d. 2. in fine etiam 15
 peccat, vt alibi ostendit. Quamuis non putarem esse mortale. Et in
 hoc tertio puncto consentit Sotus, & Ledesma.

VBI animaduertendum, quod Nauar. & Syluest. verè docet, quòd
 qui bono fine ob suam vel alterius vtilitatem sine vi & fraude auer-
 tit ab ingressu vel professione non peccat, sed quandoque esse po-
 test charitatis & prudentiæ officium. Quamuis si quis crederet vtile
 esse & conueniens volenti intrare, & ipse ob suam vtilitatem animum
 eius

eius auerteret, vt solent patres & matres, & cognati carnales facere adhibitis persuasionibus importunis & assiduis lachrymis, quibus animum ingressuri emolliunt, & à suæ animæ utilitate & Dei vocatione ad carnalem amorem, & mundi laqueos traducunt non certè omnino à peccato excusarem. Vnde sibi consulant, qui non dico importunis precibus & blanditiis, sed qui filios intra cancellos cogunt, ne religiosi fiant, & falsis informationibus litteras petunt à Regio Senatu, vt eos tradat Monasterium (vt ipsi dicunt) in suam libertatem, &c. Qui certè moraliter peccare videntur, nisi ita purgato effectu efficerent, vt non eos à sancto proposito, & Dei vocatione reuocare, sed vt liberè eos ingredi cognoscant, vel si necessitatem patiuntur, vt hereditatis aliquam liberam & voluntariam renunciationem faciant ante ingressum vel post ingressum, ante professionem, maximè si talis est religio quæ non adquirat ius hereditatis, vt est ordo S. Francisci, Societas Iesu, &c.

16 **Q**UARTO videtur mihi, quòd si vi & fraude id fecerit, tenetur restituere, sicut dixi de inducente ad peccatum, ita de hoc minori bono ad quod inducit. Ille enim patitur inuoluntarium, & ita ei fit iniuria, & tenetur vim amouere, ac veritatem docere. Ita fatentur omnes DD. citati. An religioni verò restitutionem personalem facere teneatur, iam dicere properamus.

17 **Q**UINTO putamus, quod si quis professum extraxit siue professione, siue vi & fraude, non tenetur ipse intrare, & à fortiore si non erat professus retractus, contra Scotum, Palud. Ricard. Adri. Rosel. Sylu. Sic enim docuerunt Sotus conclusione 4. Ledesma conclusione 4. Maior & Nauarr. num. 45. Cuius ratio est: quia vota religionis spontanea, & liberrima esse debent, iuxta illud: *si vis perfectus esse, &c.* Et etiam, quia esset intolerabile onus inuitum ad religionem cogere, propter summam eius arduitatem, & ob id datur annus probationis, vt deliberet de professione. Nullo ergo vnquam grauissimo quoque delicto quis cogi potest, ad profitendum. Sed nunquid tenebitur a-
18 lium substituere? Sotus putat non teneri ob rationem factam. Sed mihi distinguendum videtur, quia si alter non libenter ingreditur, non tenetur alium subrogare. Quia vt dictum est professio libera esse debet. Vnde censetur ac si non posset restituere, si verò in animo habet, & meo consilio efficaciter ingredietur, tunc putarem lege iustitiæ debere inducere, & in hoc casu verum habet prima opinio. Imo ipse Sotus conclusione tertia. Licet sub verbo *forfan* dicit, quod tenetur procurare ex tractatum vi & fraude reducere. Moneor in hanc sententiam ea ratione. Quia religio passa est inuoluntarium idque iniuste, non solum extrahendo professum, sed etiam impediendo ingressurum vi, fraude, aut mendatio: sicut qui legatum vi, aut mendacis impediret, ergo damnificans tenetur si facile potest personale illud damnum resarcire. Dixi, *si commode potest*. Quia non tenetur, quæ-
19 rere ingressuros per ciuitatem, sed si alicuius notitiam haberet aut fa-

cilè quærere posset, qui esset ad religionem propensus. vbi etiam obi-
19 ter adnotandum, id quod dixi de professione esse etiam verum ante professionem, si forsan vota simplicia essent à prælatis acceptata, vt in sanctissima Societate Iesu, iuxta eorum institutum à Sede Apostolica sæpius approbatum: Vbi ante professionem biennio expleto tria religionis simplicia vota Deo nuncupant, quæ a religione acceptantur, ita ius habet religio ex d. acceptatione, sicut ex professione. Vnde, vt dixi restitutio esset facienda. Verè enim & propriè sunt religiosi post prædicta vota emissa & acceptata, quidquid nonnulli dixerint, vt infra latius dicitur in hoc 2. lib. cap. 5. Religionis enim ratio iudicio nostro non votorum exegit solennitatem, sed trium substantialium votorum etiam simplicium emissionem & obedientiæ potissimum in communi viuendo sub vnus prælatis obedientia. Hæc enim virtus maximè cum ex
20 voto protestatur reddit omnia opera religiosa, modò satis fuerit hanc veritatem nuperrimè esse declaratam per Bullam sanctissimi Domini nostri Gregorij Papæ XIII. adeo vt de religione fugientes etiam non professi & apostata & ipso facto excommunicati, ac si verè professi essent ibidem sint declarati.

POSTREMÒ ergo nobis videtur, quoad damna temporalia secuta, quòd seclusa fraude, & professione, nō tenetur, vt satis liquet. Quāuis Syluest. d. illo 2. ex Richar. doceat quòd etiam ante professionem si fecit animo nocendi religioni tenetur ad interesse arbitrio boni viri. Sed quòd de animo nocendi dicitur iam supra est refutatum. Vnde eadem est ratio, quo ad restitutionem, ac de alio aliter auertete, sed si erat professus vel eius vota licet simplicia à religione admissa, atque recepta precibus & persuasionibus vel certè vi & fraude est extractus, maior quæstio est: Sotus, namque dubius hæret & conclusione quinta magis
21 inclinatur vt non teneatur. Quia inquit non est ille, vel vt seruus religioni mancipatus, quod si teneretur, (ait Sotus) non in integrum teneretur, vt si erat lector Theologiæ, ex quo religio prouentus capiebat, sed tantū teneretur ad arbitrium boni viri. Veruntamē ego putarem in integrum teneri. Nam causa damni totius dedit efficaciter, & id iniuste. Et ita totum damnum dedisse constat. Cùm ergo monasteriū hoc damnum totum incurrat ob iniustam vim & fraudem, sequitur &c. Id fateor quòd si monasterium in effectu nō esset percepturum omnes prouentus. Quia vel monachus erat moriturus vel alia via impediri poterat, solum teneretur vel arbitrio boni viri, vel ad fructus qui reuera essent percipiendi, vt infra c. 6. huius 2. lib. latius dicemus.

SED quid si vis & fraus facta esset religioni, non ipsi lectori, sed voluntate ipsius ex quadam persuasionibus fieret, clam tamen religione: aut
22 vi apertè facta: disputabilis sanè videtur hic casus, quia videtur impedire consecutionem boni vi & fraude. Crederem tamen cum Soto non teneri in totum, imo vt existimo nec arbitrio boni viri, nec vllò modo. Nam reuera si vllò pacto teneretur, in solidum teneri deberet, aut nullo modo. Illa enim arbitraria Soti restitutio, non probatur ab ipso, nisi vt dicebam, quando probabile esset impediri posse illud lucrum, sicut

de restitutione ab homicida facienda ob lucra impedita dicemus fusè lib. 3. capit. 1. Quare sicut si aliquis illum in religione ipsa manentem consuleret ne legeret, etiamsi obedientia oppositum præciperet, non teneretur religioni, sicut nec ipse religiosus si apostataret non teneretur aliquod temporale restituere ratione interesse quo priuatur monasterium, ita cum ipsi lectori nulla vis inferatur, aut fraus &c. Monasterium enim ius non habet ad redditus nisi supposita illius voluntate legendi. Non enim quoad hoc eadem est ratio ac de seruo, vt benè docet Ledesma. Quia seruus emprus est in vtilitatem temporalem Domini principaliter, sicut equus: at religiosi qui se voluntariè voto manciparunt, non possidentur à Prælato vel monasterio ob temporale commodum Monasterij, sed contra, ob ipsorum Monachorum spiritalem commoditatem ac profectum. Siquidem religiosi non sunt propter religionem aut prælatum, sed religio: Monasterium, aut prælatus propter religiosos: sicut rex propter regnum & Episcopus propter oues pascendas. Vnde seruitus illa libertate plena dicitur, & est. Licet ergo peccet non legendo contra superioris præceptum vel abeundo: & similiter, qui eum extrahit ab obedientia. Quia ius spirituale habet religio ad præcipiendum illi lectionem & alia religionis ministeria, prædicandi, confessiones audiendi &c. tamen ad prouentus ex his ministeriis secundario prouenientes exigendum ius non habet, nisi supposita illius voluntate legendi, & efficaci lectione, vnde non tenetur ob hoc ipse apostata, vel extrahens quidquam soluere, sed tantum ad emendam: quod si teneretur, non in solidum, sed ad aliquid ratione vis & doli facti religioni, non omnino improbabile videtur. Si vt dixi probabile erat prædictum lucrum impediendum fore.

SECVNDA dubitatio esse potest propterea quod supra promissimus disputare de Astrologis propter damna spiritualia quorum sunt causa, vt dubitatione præcedenti dicere incipiebam. De quibus hoc loco eam solummodo quæstionem disputare placet, vtrum de actibus humanis à libero pendentes arbitrio possint per astrorum configurationes verum certumque aliquid prænuntiare. Et quidem certum est, nullo pacto posse per astrorum concursum aliquid de electionibus humanis cognoscere tanquam per causas immediatas, sicut possunt de pluuiis, ventis, complexionibus, & inclinationibus hominum: Cælum enim est causa directa complexionis & inclinationis naturalis hominis, vel saltem est causa directa & immediata eius, quod immediate agit, sicut hominis generantis hominem. Quod enim sic non sit causa cælum nec aliquod astrum actuum liberorum latè probari S. Thom. 5. lib. contra gentes, cap. 83. & Bonauentura d. 14. 3. parte distinctionis quæst. 3. in 2. li. Sententiarum, & omnes Doctores Catholici. Estque, de fide tenendum, aliàs fatum esset admittendum. Circa quod nõ est modo immorandum. Solum ergo est quæstio an per non necessariam & indirectam causalitatem in actus liberos possit aliquod verum iudicium, frequenter saltem, licet non infallibiliter, prænuntiarum ex astrorum aspectibus & concursu.

TRES

TRES inuenio opiniones. Prima est negantium omninò tale iudicium. Ita sensit Picus Mirandula per duodecim libros contra Astrologos, Palatius in 2. Sententiarum distin. 15. disputatione 1. §. porro. Sixtus Senensis lib. 5. Bibliotheca sanctæ annotatione 15. & latius libr. 6. annotatione 10. Gabr. in 2. distinct. 14. quæst. vnic. ar. 3. dub. 3. qui tam inclinationes, quàm actus liberos negant villo modo cognosci posse. Et ita nec indirectè & inclinatiuè concedunt astra agere in actus liberos, sed plura dicere falsa quàm vera, & si vera aliquando dicunt, vel casu vel arte diaboli fieri. Cuius sententiæ videtur Dominicus Soto 8. lib. de Iustitia, quæst. 3. art. 2. & Alexand. 1. part. quæst. 43. vbi agit de præstigiis, & quæst. 164. vbi de diuinatione, & 165. vbi de fortilegio. Ij enim duo authores indistinctè & vniuersaliter dicunt non posse cognosci motus voluntarios. Omnium verò acerrimè hanc sententiam Michaël Medina lib. 2. de Recta in Deum fide, c. 1. sine vlla dubitatione defendit.

SECVNDA sententia in alio extremo est eorum, qui dicerent posse cognosci actus liberos adhuc in particulari per astrorum aspectus & natiuitates, vel alterius syderis conspirationes. Ita citari solet Albertus Magnus, cap. 13. in opusculo Astronomiæ circa finem Paruorum naturalium. Licet ego non inuenerim in eo loco. Eandem sententiã dicitur tenuisse Abulensis super Leuiticum 19. q. 30. licet q. 19. & 29. oppositum docuerit.

MIHI placet media sententia: Quod scilicet cognosci possunt actus liberi. Non in particulari, sed in communi. Non certitudinaliter, & necessario, sed fallibiliter, & contingenter. Non quicumque sed illi soli ad quos homo naturaliter, & sensibilibiter inclinatus est. Nec quomodocumque, sed cognita natiuitate & inclinatione, qua media de actibus liberis iudicatur frequenter. Hæc sententia est aperta S. Thom. nam tertio contra gentes, cap. 85. in fin. dicit: *Astrologus non debet iudicare rem specialiter, sed vniuersaliter. Quia scilicet impressio stellarum in pluribus sortitur effectum, qui non resistunt inclinationi qua est ex corpore.* & in secunda distinctione 15. quæstione prima artic. vlt. ad vltimum idem prorsus dicit exemplo medicorum, & 1. 2. quæstione 9. artic. 5. ad 3. dicit *vt plurimum verificantur, qua pronunciantur de actibus humanis secundum considerationem cælestium corporum,* & 1. par. quæst. 115. Vt plurimū Astrologi vera prædicunt, & maximè in cõmuni, non autè in speciali. & 2. 2. q. 95. ar. 5. ad 2. Astrologi ex cõsideratione astrorum frequenter vera prænuntiare possunt dupliciter. Primò, quia plures homines passiones corporales sequuntur, & ideo actus eorum disponuntur, secundum inclinationem cælestium corporum, & ideo Astrologi frequenter vera prænuntiant, & præcipuè in cõmunibus euentibus, qui dependet ex multitudine. Et quãuis D. Tho. solū ponat illã limitationem de actibus in cõmuni, nõ in particulari, & illã, quod nõ infallibiliter, tamè etiã ponenda est illa, quod sint actus ad quos hominum passiones inclinant. Nam de aliis actibus, vt. l. quod homo mortificabitur, aget penitentiam, &c. nec in communi, nec villo modo potest iudicare, nisi per coniecturas. Item

§ 2

ponenda est illa, cognita natiuitate illius, aliàs nõ, vt ex ratione conclusionis patebit. Huius etiam sententiæ est apertè Scotus in 2. d. 14. q. 1. §. dico ad quaestionem, vbi sic dicit. Propter istam pronitatem ad sequendum appetitum sensitium quam causant corpora cælestia accidunt frequenter Astrologos vera pronosticare de moribus hominũ. Puta quod erunt luxuriosi, & huiusmodi propter constellationes natiuitatis. & Bona. in eod. 2. d. 19. citata ad secundum idem sentit dicens. Quia multi sunt sectores passionis, & ei se subiiciunt, hinc est, quod multi se subiiciunt impressionibus astrorum, & ideo Astrologi vera prædicunt, maximè circa homines animaliter viuentes. Vnde quando in solutione alterius argumenti dicit. In his quæ sunt liberi arbitrij frequenter dicunt falsa sicut vera. Et si aliquando dicunt vera, vel casu, vel arte Diaboli fit, intelligendum est, quado deest inclinatio ad illũ actũ. Tũ enim necesse est, vel casu, vel arte Diaboli dicere: aliàs esset aperta contradictio in Bona. Eadẽ sententiã sequitur Sylu. verb. superest. 1. q. 6. Ferrar. c. illo 85. Cai. q. illa. 95. in princ. & clarius ar. 5. Lucius Ballantijs Senensis in docta sanè quadam defensione contra Picum Mirand. q. 1. ar. 1. ad 3. qui primã opinionẽ errorem esse in Astrologia docet, atque idẽ habet li. 1. responsionum Ioan. Pico Mirand. §. videmus, quã variã. Ij ergo autores apertè prædictã sententiã tenent, in eam autem inclinant Dur. in 4. d. 14. q. 2. ad tertium, Rosell. verb. sortilegium. Ant. 2. p. tit. 12. c. 1. §. 3. 4. 5. & 6. & cap. 10. per totum. Ang. verb. fors. §. 3. Altriod. lib. 2. c. 2. §. de operibus. 6. diei, ad medium fol. 61. Docent enim necessariò, & in particulari non posse cognosci hos actus, sed solum inclinatiuè, & ita videntur dicere, quod indirectè possunt cognosci: vt in pluribus, sed non certitudinaliter secundum limitationes suprapositas: & forsan sic intellexerunt Soto, & Alexand.

RATIONE autem probo hanc sententiã. Est autẽ ratio D. Th. Bona. Scot. Caiet. & Ferra. Quia vt supra ostensum est inclinatio sensibilis cognosci potest, sed homines, vt in pluribus sequuntur inclinationes sensitivas, licet sua libertate id faciant. Ergo &c. Parũ autem refert, an iudiciũ hoc voces coniecturã, vt Caiet. in Sum. & ar. illo 5. & S. Th. ar. 1. q. 95. vel opinionem, seu scientiã moraliter certã. Si enim constat illud iudicium veritatẽ habere, vt in pluribus, nihil refert an cõiecturale, vel opinabile dicatur, vel scientificũ: melius tamen, videtur appellari scientia moralis, cum sit de actibus humanis, quæ moraliter loquendo, idest, in pluribus, veritatem habent. Coniectura enim videtur esse leue argumentum, quod suspicio dicitur, quod raro verum habet. Hac ergo ratione intelligo hæc iudicia de actibus liberis reduci in astra. Nã astrorũ positio. v. g. tales humores, & cõplexiones per productionẽ primarum qualitatũ taliter tẽperatarum gignit. Ex hac mixtione sequitur naturaliter hæc, vel illa aptitudo naturalis, scilicet vires corporis potentia generandi magis, vel minus vehemens imaginationis, & aliorum sensuum profectio ad quẽ sequitur intellectus nobilitas, dicente Ari. molles carne esse ingenio aptiores. Denique multæ aliæ naturales vires, potẽtiæ, & aptitudines naturaliter resultant ex dicta humorum proportione, ex

apritu

aptitudine autem & vi ad peculiare operationes nascitur inclinatio: nã vnusquisque naturaliter inclinatur ad id quod naturalem habet potentiam, & alia respuit, & fugit, & ita ex bonitate corporalis roboris inclinatur quis ad luctam, bella, rixas, &c. ex bonitate verò intellectus ad scientiam, & artes etiam supposita inclinatione, requiritur vt plurimũ libera operatio secundum illam.

AT verò vnum est in hac re maximè cauẽdum, ne fictitias & occultas virtutes cœlis tribuamus, quæ non efficaci ratione, vel certa experientia constant: Astrologi enim præcipuè imperiti, nescio quas defluxiones & afflatus & innumeras virtutes & effectus confingunt. Non nego præter lumen & motum quæ sunt communia omnibus stellis esse proprias virtutes vniciq; stellæ, vt infra ostendemus ex S. Tho. imo & Aug. qui afflatus valere dicit sydereos, sed has plus iusto multiplicare, & eis varios euentus adscribere ad quos forsan nullum habet ordinem aut virtutem, reprehendi debet, vt quod hoc astrum habeat circa hoc membrum, illud circa aliud &c. influentiam & dominium, & alia quæ ipsi docent: neque Aug. probat nec S. Th. neque vllus Theologorum aut Philosophorum, neque vlla est ratio. Neque probatã experientia qua credamus causæ naturali eosdem effectus esse tribuendos, vt refutat Greg. in homil. 10. ante medium.

Ex his vtriusque extremæ opinionis argumenta diluï possunt. Pro prima enim opinione extat multa sanctorum testimonia, iudicia Astrologica de actibus liberis grauitè impugnantia, præcipuè Aug. 5. de Ciuitate per plura capita & 4. confess. cap. 3. lib. 5. ca. 3. lib. 7. ca. 6. libr. 1. de Doctrina Christiana à cap. 21. vsque ad 24. & Enchir. cap. 79. & 2. de Genesi ad literam cap. 26. & 27. & ser. 18. de verb. Domini, Ambros. in Hexam. c. 4. lib. 4. & multa alia quæ habentur 26. quæst. 2. 3. 4. & 5. ex Hierony. & Basilio. imò in c. ex tuarum de Sortilegijs, de fide videtur definitum oppositum & l. 2. C. de Maled. & l. 3. & 5. & Epiph. de ponderibus & mensuris docet, Aquilam fuisse ab Ecclesia repulsum quia nimis ingenituris vacaret, Richar. de Sancto Victore eam damnat lib. 14. except. cap. 12.

VERVM hæc non cogunt contra nos: Partim enim ex dictis locis agitur de alijs speciebus diuinationis, & de magia, incantatione, augurio, &c. Partim agentes de Astrologis loquuntur de illis qui habent pactum explicitum vel implicitum cum Dæmone. Nos autẽ supra causam assignauimus naturalem: Partim quia dicunt infallibiliter euentura etiam naturalia. Præsertim, quia de liberis actibus iudicant in particulari vel certitudinaliter. Partim quia in naturalibus attribuunt effectus fictitios & virtutes imaginarias stellis, quæ omnia constat esse illicita. Imo & licita rectè vituperantur, quia sunt occasiones superstitionum, saltem rudibus, & quia nimium homines detinentur in his, & curam suæ salutis omittunt, & alia multa, ob quæ vsus illius merito damnandus est, & ab Ecclesia Dei reiiciendus, solumque priuatim ob recreationem inter doctos tantum tractandum. Decretalis autem non est ad rem. Quia ibi tantum est sermo de interrogationibus furtoꝝ,

quæ non supponunt, natiuitatis cognitionem & inclinationis. Sed de hoc infra. Propter hæc igitur omnia & singula Patres, & Concilia hæc artem reprehendunt vt illicitam, & partem licitam non consulunt vt diximus, propter prædictas occasiones superstitionum, quæ occasio non est remota, vt Theologia est hæreticis: Sed proxima veluti per se causa. Vnde merito Sco. & D. Thom. in 4. vbi supra, quamuis eam approbent circa supra dicta, non esse tamen in ea nimis insistendum docent, propter rationes dictas.

37 **NOTANDVM** pro explicatione supra dictorum, quod id quod concessimus ex sententia D. Tho. supposita inclinatione, intelligi debet de actu proprio & immediato illius, de aliis verò remotis iudicium dari non potest, vt plurimum quod imperiti faciunt Astrologi. Verbi gratia, quis habet signum inclinans ad natandum, non licet inde mortem illius submersionis propterea pronuntiare. Ille enim non est inclinatus ad sic moriendum, sed ad natandum, vnde rectè iudicabitur, pluries natabitur, supposita tamen commoditate fluminis, &c. Sed iudicare quod sic morietur, etiam si inclinatio esset ad submersionem, non licet. Non enim vt plurimum, sed raro talis mors euenit, licet actus immediatus illius inclinationis, vt in pluribus impleatur. Idem est dicendum de aliis mortibus violentis, ferro vel bello, &c. quas iudicare non licet ex signo Martis. Solum enim inde haberi potest, quod pluries rixabitur, cæterum verò, raro fit & non est actus vllius inclinationis directus.

38 Tandem iudicatur de actu libero in particulari, quod est illicitum. Propter ea ergo illi sancti merito damnant illud, quod de Aquario dicitur. Præterquàm quod ille Astrologus ex signo tantum Aquarij omnes euentus iudicabat, quod ipsi Astrologi periti negant. Vnde præclare Cicero 3. de Natura deorum, sic isti disputant (ait ille) qui natalitia defendunt signifero in orbe qui Græci Zodiacus dicitur, &c. ô delirationem incredibilem, (non enim omnis error stultitia dicenda est) quibus certè Diogenes Stoicus concedit aliquid, vt prædicere possint, dumtaxat quali quisque natura, idest, complexione, & ad quam quisque rem maximè aptus futurus sit.

ARGVMENTA verò pro opinione Astrologorum qui de omnibus iudicari posse censent, cum quibus videtur sentire Albertus Magnus, & Abulensis, licet quæst. 30. ad finem dubius sit in hac re & nihil esse determinandum censeat, tamen ego suspicor ipsum huius opinionis non fuisse. Quin potius additam esse dimidiam illam quæstionem, vel potius totam. Tum quia ipse expressè damnauerat id tanquam superstitiosum quæst. 19. & 29. Tum etiam quia quæstione illa 30. vbi dubius manet, habentur hæc duo signa ☉. ☽. inter quæ illa dubitatio continetur, vnde videtur esse indicium adiecta esse illa omnia. Sed quidquid de hoc sit eorum potissimum argumentum est de diuturna experientia talium euentuum etiam liberorum. Vnde ad argumentum Med. quod non reddunt rationem suarum conclusionum, ipsi respondent se
40 experientia & à posteriori id habere, & hanc solutionem Cicero adhibuisse videtur 1. lib. de Diuinatione dicens. *Hæc vt ego arbitror veteres*

rerum magis euentis docti, quàm ratione muniti putauerunt & probauerunt. Et infra, *Quarum quidem rerum euenta magis, arbitror, quàm causas queri oportere, quod & ratio suadet.* Nam si omnes aliæ sciētiae ad experientiam velut ad fundamentum reducuntur, vt Arist. docet 1. Meta. quod patet in Agricultura & Medicina, vt ibi Cicero exemplificat, cur hæc non experientiae innitetur, & si hæc experientia dæmoniaca est, cur cæteræ non tales censebuntur. Satis ergo est habere, vt Ciceronis verbis vtar, obseruata hæc esse tempore immenso & significationis euentus animaduersa & notata.

VERVM respondetur veram experientiam reiiciendam non esse. Cum sit omnium scientiarum fundamentum. Est autem vera experientia, quæ est de re possibili, cuique ratio nulla repugnatiã inuenit, cuiusmodi est in medicina, & magnete attrahente ferrum. Hæc enim Diaboli suggestioni non tribuimus, cum ea quotidie fieri videamus, nullaque est cum ratione repugnantia. Talis denique est omnium artium, & verarum scientiarum experientia: at experientiae quas isti Astrologi se habere dicunt, sunt earum rerum, quæ cum ratione minimè consentiunt quæque omnino impossibiles videntur. Cum enim cælum signum esse non possit eius, quod non est causa, vt S. Thom. optimè probat, & recta docet Philosophia, fit vt si cælum euentus illos significet eorum causa esse debeat, & cum secundum ipsos in particulari & certitudinaliter significet, erit eorum in particulari causa necessaria. Quis autem dixerit cælum esse causam sufficientem humanorum actuum? quæ à solo Deo & nostro libero pendent arbitrio. Et cum ad hunc meum actum permul-
41 ti alij actus liberi soleant præcurrere, tam mei quàm aliorum, quomodo cælum illas circumstantias & actus liberos apponendos vel significabit, vel certè causabit? Quis enim credat esse possibile, vt astorum positio & influentia indicet, quod ego tali die veste alba induar, quod ædificare incipiam, quod occidendus sim, &c. Vt enim ex supra dictis patet, non aliter causat cælum volitiones nostras, quàm causando humores corporeos & inclinationes sensibiles. Cum ergo hæc causa dispositiua sit & ex parte obiecti se habeat, vt supra probauimus non necessitat, sed inclinat & attrahit, ex illa haberi non potest certò, quod operabitur.

Et hinc est quod cum hæc certa experientia causæ naturali attribui non possit. Quia nullum est agens in humanam voluntatem nisi inclinando & proponendo obiectum, sequitur suggestionem Dæmonis, qui omnia naturalia nouit & libera sagacissimè coniectat, fieri. Et hæc est ratio cur Incantatorib. & Magis non sit credendum, quia eorum effectus impossibiles natura videntur. Aliàs argumentum hoc in ipsos Astrologos facile conuertemus. Si enim experientia præcisa sufficit, sic etiam Magi & Augures, &c. propter diuturnas etiam experientias credendi essent. Hæc quæ dixi intelligo, quando illæ adducerentur experientiae fide dignæ: Nā circa actus liberos in particulari existimo aliter se rem habere, quod scilicet sæpius dicunt falsa quàm vera, & forsan plura falsa, vt bene docuit Bona. Altrifod. & alij, imo & Augustinus. Quo
modo

modo autem Dæmones talia futura omnino contingentia cognoscere possunt, vt suggerat, docet benè Altifiod. & Sixtus Sen. ex 4. capitibus prouenire, qui ex Aug. sumpserunt. Vnde meritò damnata est Astrologia iudiciaria, circa hos actus in catalogo Pij V. ex Concil. Trident. Reg. 9.

44 SED nunquid poterit esse aliqualis coniectura de his actibus? Resp. quod supposita inclinationis cognitione & occasionis & aliorum, quæ circumstantiæ dicuntur, benè potest hæc coniectura ferri, vt S. Th. fatetur. 1. p. quæst. 14. art. 13. & quæst. 95. art. 1. 2. 3. Sic enim intelligo hunc locum, scilicet de actibus in particulari. Et ratio est quia coniectura est veluti quædam suspicio, quæ aliquilibus signis generatur etiam si leuia sint.

TERTIA difficultas circa hanc principalem dubitationem sit, vttrum idem sit dicendum de euentibus casualibus; vt quòd quis moriatur vulneratus à regula cadente, vel de equo casurus sit, vel fulminis ictu, &c. S. Th. Scot. Abul. Caiet. & alij docent idem quòd de actibus liberi arbitrij, scilicet nullo modo citra reuelationem pronuntiarì posse sine superstitione. Vnde peccatum esse mortale docet Alcocer in sum. cap. 14. de his iudicare actibus fortuitis, vt de morte in aqua, aut bello, de successibus itinerum, negotiorum, litium ludorum, nauigationum, &c. Ratio Abulens. est: quia si cognosci possent aliqua naturali causa, iam non essent casu & præter intentionem, sed hæc ratio parum 45 probat. Quia licet sit præcognitum ab Astrologo, respectu tamen illius cui accidere debet præter intentionem & casuale est. Vnde de hoc est quæstio, vttrum id quod respectu alterius est casuale & incognitum, posset alicui esse præcognitum. Et pro sententia Astrologantium hos effectus & euentus potest effici hæc ratio. Quia hi effectus sunt naturales, licet rarò eueniant. Ergo causa naturalis eorum cognosci potest, & ita sine superstitione prænuntiarì. Adde quòd vt supra D. Thom. docet, potest per astra cognoscere aliquem esse fortunatum, quod autem in brutis est casuale in homine à fortuna dicitur, teste Arist.

VERISSIMA tamen est sententia Theologorum, & ratio est, quæ S. Th. assignat quæst. illa 95. art. 5. vt explicatur à Caiet. imò ab ipso D. Th. 3. contra Gentes c. 92. §. 2. differentia, & Fer. ibi. §. circa illam, & §. circa hæc duplex, quia eius quod per accidens est, nulla est causa naturalis nec scientia, vt Arist. docet. 4. Mera. tam in casualibus liberis quàm merè naturalibus. Licet enim Theauri in hoc loco sit causa naturalis, & effodiendi similiter, vt si brutum aliquid pedibus & manibus inueniret, vt de gallina dicit fabula, tamen illi simpliciter sunt duo effectus, & 46 duas habent causas, vnde in quantum vnum, id est, in quantum hic est illi coniunctus, nulla est causa, nec vna, nec plures. Similiter est in casualibus liberis: licet enim nauigandi sit inclinatio, similiter submergendi se, tamen huius effectus coniuncti, quod nauigans submergatur, nulla causa etiam inclinatiua fieri potest, impossibile est ergo tales effectus pronuntiarì, maximè cum secundum Abulensem, isti effectus secundi sint liberi, quod sufficeret, vt supra vidimus, vt non possint cognosci, & per hoc

hoc patet ad argumentum: solum enim probat, quòd quando aliquis 47 effectus est necessariò coniunctus alteri, cognosci possit, non verò quādo per accidens, vt hic supponimus. Et sic saluari potest ratio Abulensis: quia si natura sua, habet ille effectus per accidens & præter intentionem cæli, cum alio coniungi non poterit vllò principio naturæ, quæ ad vnum determinata est præcognosci.

SECUNDA difficultas esse potest, vttrum aliquem esse fortunatum possit deprehendi ex signo natiuitatis. Huic dubio responderetur ex doctrina S. Thom. cap. illo 92. 3. contra gent. quòd homo dicitur benè vel malè fortunatus. 1. ex Deo dirigente. 2. ex Angelo custodiente, sua persuasione. 3. ex cælo inclinationem imponente: quamuis 48 differenter, quod D. Thom. probat, quia illud est fortuna, quod præter intentionem contingit, vt patet ex Arist. 2. Phy. Vnde si illud sit bonum & eius cui contingit dicitur bona fortuna, si malum, dicitur infortunium, homo autem quoad voluntatem subiicitur Deo directe illam mouente. Angelo verò, vt operanti per suasionem: cælo verò, vt inclinanti per impressionem in corpus: quando igitur ex prædictis causis mouetur, vel inclinatur ad aliquas actiones, quæ re ipsa sibi sunt vtiles, licet ipse non præcognoscat, dicitur ex talibus causis fortunatus vel infortunatus.

EST tamen differentia, primò, quia ex dispositione cælestium corporum dicitur homo non solum benè vel malè fortunatus, sed etiam benè vel malè natus, at ex dispositione Angeli vel Dei solum dicitur benè custoditus, vel gubernatus. Secunda, quòd non semper homo habet illas vtiles electiones ad quas disponunt cælum & Angelus, at 49 semper habet ad quas adeo dirigitur efficaci voluntate: vnde qui ex dispositione Dei est fortunatus potest esse semper in omnibus fortunatus, quia Deus cum omnia cognoscat, & præordinet sua prouidentia: scit quod est coniunctum electionibus & inclinationibus hominum, & cum effectus sint fortuiti respectu cæli, vt supra diximus, cum non sit causa duorum, scilicet inclinationis, & eius quod illi accidentaliter coniungitur, sequitur, &c.

EX his colligo. Primum quòd ex syderum positione non potest cognosci aliquem fore fortunatum. Quia cum effectus etiam sint fortuiti respectu illius, vt patet de inuentione thesauri in fodiendo sepulchro, sequitur nullam esse causam horum duorum effectuum, nisi Dei reuelationem, vt supra probauimus. Licet enim re ipsa cælum in- 50 elinare possit ad electiones vel operationes coniunctum bonum habentes, & propterea homo dicatur fortunatus ex cælo, tamen cum tales effectus per accidens sint, ab illo cognosci non poterunt certò vel vt frequenter: si autem quis videret causam per se illius, quæ vnica tantum est, scilicet diuinum decretum, posset certò de illis iudicare: licet enim motus causa naturalis sit, & similiter auri: tamen montis aurei nulla naturalis causa esse potest, sic &c.

COLLIGO secundum, posse cognosci aliquem hominem esse fortunatum ex cælo, alia tamen ratione, quam tangit S. Thom. c. illo 92.

§. quia verò, non enim solum primo modo dicitur aliquis fortunatus vel infortunatus, quando scilicet aliquod bonum vel malum ei accidit præter intentionem, sed etiam quando ei accidit ex præcedenti cognitione. Homines enim bonis affluentes, vt pulchritudine, diuitiis, honoribus, sapientia & virtute, fortunatos appellamus, carentes verò his omnibus infortunatos. Quamuis non ita propriè. Propriùs enim dicerentur fœlices aut beati. Fœlicitas enim seu beatitudo in omnium bonorum retentione consistit, & contrà, miseria in carentia illorum. Vnde etiam in Hispano sermone primi propriè dicuntur, *venturosos*, secundi verò *dichosos* vel *bienaventurados*. De fortuna ergo seu fœlicitate, hoc secundo modo mihi videtur per astrorum positionem posse iudicari, vt plurimum, saltem in communi. Cuius ratio est meo iudicio. Quia cœlum est causa per se & directa bonorum corporalium, quæ inhærent homini, vt bonæ complexionis, roboris, pulchritudinis, aptitudinis naturalis & inclinationis, quæ cum bona sunt homines reddunt gratos, amabiles, &c. & ita honorantur ab aliis, magni habentur, & aliis bonis corporalibus externis cumulantur. Deinde bonam inclinationem communiter sequuntur boni mores, vt diximus, & ita ad beatitudinem naturalem, quæ in virtute consistit sunt valde idonei. Econtrà verò, homines malè nati, id est, malæ complexionis, turpes, infirmi, inepti, & prauè inclinati, naturaliter contempnuntur, & parui habentur, & ita pauperes & miseri sunt, & ex mala inclinatione, etiam morali beatitudine, quæ in actu virtutis consistit priuati. Bene ergo potest Astrologus, &c.

T R I A tamen sunt aduertenda, meo iudicio. Primum est, quod hæc quæ diximus sunt vera de naturali fœlicitate, quæ in bonis corporis & naturalibus animæ consistit. Nam de supernaturali, quæ in hac vita est per gratiam, & in futura per gloriâ nihil ex cœlo potest cognosci. Hæc enim non ex natura, sed ex gratia, & vocatione Dei est, independenter à cœlo. Et quamuis supposita cognitione eius qui nascitur, quia scilicet baptizatus est & aliis Christianæ religionis bonis vititur, & fruatur, possit aliquo modo iudicari de gratia illius & beatitudine supernaturali huius vitæ, sicut potest iudicari de aliis actibus liberis naturalibus, tamen de fœlicitate æterna in gloria, nullo modo. Cùm hæc pendeant ex prædestinatione Dei, & actu vltimo vitæ hominis in particulari, quæ constat nec certò, nec vt plurimum cognosci posse per astra cœlestia.

S E C V N D V M est, quòd nec de fortuna secundo modo, id est, de fœlicitate alicuius, vel infœlicitate in particulari certa notitia haberi potest, vt quod erit rex, vel princeps, diues, &c. Tum quia multa hæc à libero pendent arbitrio: Tum quòd etiam si essent merè naturali, cùm neque eorum causæ, vel eorum impedimenta naturalia planè cognoscantur, sequitur, &c.

T E R T I V M est, quod hæc fœlicitas etiam quodammodo est fortuna primo modo. Nam respectu eius qui nascitur, præter intentionem est, quòd hoc vel illo concursu planetarum, vel ex nobilibus, vel ignobilibus paren

parentibus natus sit, & ita filij regum dicuntur fortunati vtroque modo. Tum quia multa possident bona. Tum quia ea præter intentionem habent, & ita de hac fortuna benè possunt astrologi iudicare.

Q V I N T A difficultas esse potest de interrogationibus furtorum & huiusmodi. His enim maximè vtuntur astrologi, magnamque sibi isto modo pecuniam & quæstum comparant, de quorum restitutione statim dicemus. Has igitur interrogationes ipsi colligunt ex natiuitate eius qui interrogat, vel quod frequentius est ex illa commotione, & angustia qua impellitur ad interrogandum. Has videtur approbare Abulensis quæst. illa 30. ad finem & Albertus Magnus vbi suprâ, & est ipsorum Astrologorum iudiciorum concors sententia, & veluti basis eorum facultatis. Verum tamen superstitionissima sunt ista meo iudicio, & ab omni sincera pietatis & religionis ratione aliena, & quæ omnes scholastici doctores meritò condemnant, Alex. Alfisi. S. Th. Bona. & omnes vno ore. Imo oppositum asserere periculosum in fide esse arbitror. Nam in capite ex tuarum, de Sortileg. Alex. 3. sic ait. *Accepimus, quòd presbyter quidam, cum quodam infami ad priuatum locum accessit, non ea intentione, vt vocaret demonium, sed vt inspectione astrolabij furtum cuiusdam Ecclesia posset recuperari. Verum licet hoc ex bono zelo & simplicitate se fecisse proponat id tamen grauissimum fuit, & non modicam inde peccati maculam contraxit, mandamus quatenus pro expiatione tanti delicti, &c.* Et ratio est aperta, quia vt suprâ probauimus ex omnium Scholasticorum sententia actus liberi in particulari cognosci non possunt. At hoc furtum vel adulterium, vel mulieris huius virginitas & similia talia sunt: Ergo impossibile est sine Dæmonis opera implicita cognosci, nec ipsi peritiores Astrologi, vllam huius rei rationem reddunt, sed experientiam, quæ vt suprâ vidimus, ex arte Diaboli prouenire potest, cum effectus causæ naturalis est improportionatus, vt sunt actus liberi in particulari.

S E D nunquid illa decretalis facit conclusionem de fide? Mihi videtur, quòd non. Primò, quia non constat an Pont. loquatur definiendo. Secundò, esto constaret, videtur ibi sermo esse de vocante dæmonem implicitè. Tum quia dicit illud fuisse cum quodam infami. Tum quia dicitur quòd per astrolabium inspexit furtum. Constat autè astrolabium non esse instrumentum quo astrologi has interrogationes faciunt. Illud enim est ad motus, magnitudinem & distinctas siderum positiones accipiendas. Quæ ex omnium sententia naturaliter cognosci possunt, idque certò & infallibiliter: cum ergo illud nullam haberet proportionem cum dictis furtis inferri videtur sola opera dæmonis illum planè vsum fuisse.

H I N C damnandi videntur quidam minus pij Astrologi, qui irrident respõsionem illam, dicentes Pont. nescisse astrologiam cum dicat Astrolabij vsum esse illicitum, quòd tamen constat esse licitum & præcipuum Astronomiæ, scientiæ considerantis ipsas cœli affectiones & motus instrumentum. Hoc enim ex dictis constat esse solutum. Non enim Pont. damnat vsum Astrolabij ad proportionatos sibi effectus &

motus cognoscendos, sed ad improporcionatos, vt ad furtum, &c. Vti enim illo instrumento & ex illo furtum declarare non potest non esse superstitiosum. Tertio verò quare videtur illa Decretalis non facere nostram conclusionem, de fide est: quia cum in talibus interrogationibus necessarium sit diffamare proximum de furto, vel alio peccato merito dixit Pontif. grauissimum fuisse peccatum: non verò quia neget possibile esse, vt cognoscantur, & ita forsan si non esset peccatum occultum non damnaret. Hæc dixi, vt videamus qualiter etiam si definitio esset de fide posset aliter explanari, ne sit hæretica sententia illa quæ videtur esse Abul. & Alberti, non tamen quia non existimem, non solum esse peccatum detractionis, sed etiam superstitionis ex illa Decretali.

Ex his facile erit iudicare de aliis interrogationibus, verbi gratia an exercitus vincet. Quidam enim dicunt per radicem natiuitatis, cognosci posse, vt si stellæ dominantes in exercitum sunt robustæ, vt Mars, Saturnus, & dominantes in alterum debiles, &c. hoc enim ridiculum videtur, quæro enim an exercitus ille natus sit simul vna die & puncto, & esto, ita esset quis qui horam cognouit in qua tot homines nati sunt, impossibile ergo est illam interrogationem esse veram etiam in quantum conformatur cum radice natiuitatis. Hæc audiui à peritissimis Astrologis, & ita impugnare potui. Cætera verò magis particularia, quæ ipsi docent impugnari non possunt nisi prius audiantur; satis est vti regulis vniuersalibus traditis. Vnde multa quæ ipsi dicunt de iudicio actuum horum particularium per natiuitatem, per electiones, per reuolutiones, & per impetum & angustiam, qua quis interrogat, & quod planeta qui dat cognitionem eius à quo furatur quis, debet dare cognitionem eius, qui furatur & similia, non video qua ratione vera esse possunt & superstitione libera.

VERVM post hæc legi, Lucium Bellacium: qui quæstione 14. ab art. 6. vsque ad vltimum, de his disputat. Et cum acris sit Astrologorum defensor, nobiscum in hac re conuenit. Docet enim artic. 6. in corpore, interrogationes veras esse posse de futuris, presentibus, & præteritis actibus, cogitativæ & aliarum potentiarum corporearum, non de actibus intellectus & voluntatis, nec de actibus cogitativæ, vt imperantur à voluntate, vt patet ex solutione ad primum: & articulo 7. eiusdem quæstionis per totam, imo nec iudicari possunt tales actus, vt pendent ex permutatione spirituum vitalium, vel humorum, vel vt pendent ex aliqua causa corporea particulari extrinseca ad cogitandum impellente: Ex quo ego colligo rarissimè interrogationes has posse esse veras cum raræ sint cogitationes, vel operationes externæ, quæ non imperantur à voluntate, vel non pendent ex humorum mutatione, vel spirituum vitalium, seu extrinseca causa, sed solum præcisè ex cæli influenza. Colligo secundo ex sententia huius authoris, & veritate, quod nisi de furtis hominum amentium vel de aliis actibus indeliberatis hominum, non dico volitionibus & intellectionibus, sed vel cogitativæ vel externæ potentia, iudicare nequeunt per cælum. Imo nec de iis, nisi

nisi longo studio & obseruatione, sicut nec de omnibus animantium motibus, plantarum, & elementorum in particulari: cum multa casu fiant, multa impediuntur, multa non sint obseruata, multis memoriis præcedentibus, & aliis, quæ infra dicemus. Alia etiã necessaria esse docet Lucius ad Canonicam interrogationem, quæst. illa 14. artic. 7. in corpore, & inter alia ex parte respondentis, est necessaria ex parte interrogantis idonea complexio, quæ actionem cæli aptè percipiat. Si enim inepta sit compositio sensuum spirituum, &c. eodem tempore alio, & alio modo mouebitur.

QUARTAM difficultatem hinc mouere placet pro intelligentia aliorum quæ dicemus, ac eorum quæ dicta sunt. An cælum possit esse signum, eius quod non est causa, quæ sanè disputatio, etsi Metaphysica videatur, ac proinde à nostro instituto quodammodo alienior, visa tamen necessaria est, quæ explicetur hoc loco. Ex ea si quidem falsorum Astrologorum vana superstitio euidentius refellitur, igitur Lucius Bellac. quæ. illa 14. artic. 6. in corpore putat astra cælestia signa esse posse alicuius, etiam si illius causæ non sint, & apertè ita sensisse videtur Damascenus 2. lib. de fide orth. cap. 7. dicens planè astra esse signa, sed non causas generationum. Et videtur sententia Origenis quam Augustinus approbare videtur 5. de Ciuitate Dei c. 1. dicens, quod cælum non causet, sed significet euentus, doctissimorum fuisse sententiam, quod dixisse propter Origenem docet Sixtus in Biblioth. annotati. 15. probat autem Lucius suam sententiam, quia minus est effectum producere, quam illum mouere ad aliquam actionem. Ergo figura similis ei quæ produxit, etsi non valeat producere, valebit tamen illum significare. Si ergo ob similitudinem quam habet figura mouens sensum cum præterito vel futuro euentu, illum fecit vel eius cogitationem impressit, ob eandem similitudinem effectum productum iudicare poterimus, secundum sui dispositionem & qualitatem futurum aut præteritum. Verum D. Tho. id ex professo impugnat quæst. illa 95. 2. 2. Quia signum alicuius rei naturale (de hoc enim ipse loquitur) vel est effectus, sicut fumus est signum ignis, vel est effectus eius, quod est causa alterius rei, sicut iris licet non sit effectus serenitatis, est tamen effectus eius quod causat serenitatem, at isto modo cælum signum esse, non potest. Non enim est effectus euentus futuri, neque alterius causæ communis ipsi euentui & cælo, cum nulla sit causa corporalis cælo superior: solum ergo ex inspectione syderum potest cognosci euentus, sicut effectus cognoscitur ex causa. Hos tres modos signi refert Cai. ibidem & omnes alij Doctores id ipsum farentur. Ego tamen adderem quartum modum significandi in cælo præter dictos, scilicet quod cælum sit causa, alicuius causæ occultæ quæ illum effectum producit. Fieri enim potest & forsan frequentissimè, quod obseruetur aliquis effectus semper fieri, quando talis est dispositio in cælo, & quod cælum sit huius rei signum, non sicut illam causam ignoramus. putamus cælum esse purè signum, cum videmus non habere similitudinem & proportionem cum hoc effectu, habet

ramen cum illo effectu occulto, quod est causa illius euentus. Sicut S. Thom. & Caiet. dicunt de effectu ipso, quod est signum alterius, quod etiam causatur ab illa causa, & ita significando immediatam causam, quæ est effectus primæ, significat etiam primam, siue ergo effectus sit alterius effectus, siue causa alterius causæ, semper est vera sententia D. Thom. quod cælum non potest esse purum signum euentus futuri vel præteriti, nisi illud causet mediatè vel immediatè & per hoc patet ad rationem Lucij.

65 **R E S P O N D E O** enim quod cum illa similitudo cæli cum illo effectu non sit ad placitum, sed naturalis, impossibile est illud significare. Nisi habeat aliquem naturalem ordinem ad illum, per aliquam causalitatem. Non enim potest esse hæc sola relatio similitudinis, sicut vnū album naturaliter significat aliud album, & imago seu figura significat suum prototypum, cuius nec causa est, nec effectus, quia cælum potius est dissimilis, cum sit alterius naturæ, imo genere differat, sicut corruptibile & incorruptibile, & quamuis similes essent aliqui effectus in terra stellis, non cōtinuò sequitur illos effectus existere: sicut ex eo, quod sit vna imago non sequitur quod aliud extremum existat vel quia sit album, debeat esse aliud. Nullo ergo modo effectus similes, vel dissimiles significare potest cælum, nisi propter relationem causæ, vel effectus.

66 **A D** autoritatem Damasc. qui id planè dicere videtur. respon. Negasse esse causas. Quia non sunt causæ totales & sufficientes. Sol enim solus non generat hominem, vel vt ipse se explicat non immediatè sed media immutatione aëris, & ob id dicit, quod stella causa non est sed signum.

D V B I T A T etiam Lucius quæst. 14. art. 9. vtrum figura interrogationis sumi debeat à principio motus, & impetus sensitiui, an tempore quo quis se applicat ad interrogandum? Refert quorundam Astrologorum opinionè, quod à tempore interrogationis accipi debet, & multi Astrologi hoc tempore efficiunt. Probant, quia sic se habet conceptio ad natiuitatem sicut conceptio interrogationis ad illius expressionè, sed de homine iudicium sumi potest per natiuitatem, ergo tunc, quia ille impulsus debilis causa est ad iudicandum, non debet iudicium ferri, sed cum exprimitur & veluti nascitur interrogatio. Verum contrarium ipse tenet, & tanquam falsissimam & fatuam iudicat hanc sententiam: & meritò. Nam explicatio variari potest multis extrinsecis causis, vel voluntariè, vel extrinsecò impedimento, vel tarditate, vel aliis modis quos supra diximus. Adde, quod fieri potest, vt Petrus distet ab astrologo per decem leucas, Paulus per viginti cum vterque ad eandem rem quærendam moueri possit, accedat Petrus cum sua petitione & detur iudicium secundum significationem præsentis interrogationis, Paulus accedit post octo horas. Tam ergo necessarium est in altero iudiciorum falli & præter vllam significationem iudicare. Attèdi ergo debet tempus impulsus, & non ad quascunque res, sed ad effectus proportionatos stellæ impellenti eo tempore. In quo sanè circa effectus adhuc proportio

portionatos magna & fideli obseruatione opus est, sed vt dixi, his interrogationibus nihil fidei est adhibendum.

A D primum resp. quod in natiuitate sumitur significatio: Quia tum cælum immediatè & fortius imprimit in tenerum subiectum, quod nõ 68 competit expressioni. Quamuis mihi probabilior in hoc videtur sententia Lucij, quod non tam ex natiuitate, quàm ex conceptione significationes sumi debeant. Neque enim corpus matris impedire potest influentiam cæli in puerum. Adde, quod cognita natiuitate, cognoscitur conceptio, non autem cognita expressione cognosci potest certò tēpus impulsus. Et quamuis efficax applicatio signum sit fortioris impetus, tamen non ex ipsa sed ex motu ipso iudicium dari debet.

V L T E R I V S dubium est, vtrū Astrologus possit cognoscere actus cogitatiuæ, & appetitus sensitiui: Certum est, quod si aliquo modo imperentur à voluntate, non potest Astrologus cognoscere, vt supra probatum est. Secundò, mihi videtur, quod motus primo primos (quos vocat) & alios indeliberatos & merè naturales (vt sunt multi in hominibus sanis, & alij omnes amentium & cogitationes etiam brutorum) non potest Astrologus cognoscere, nisi rarò, & hoc magno studio & obseruatione. Nihil enim est, quod tam facilè mutetur, quàm hominis 69 motus imaginationis & appetitus. Nam à complexione & humoribus, & ab spiritibus, à cibo vel extraordinario potu, à fixa de re quærenda imaginatione, & aliis particularibus causis, tam intrinsecis quàm extrinsecis. Rarò ergo imaginatio & appetitus ex sola cæli impressione mouetur, & tunc requiritur longa obseruatio & experiētia, vt possimus iudicare, an hæc vel illa stella, influxui huic habeat proportionè. Vnde mihi videtur non sine falsitate de cogitationibus adhuc naturalibus, vt amentium, dormientium, motuum indeliberatorum, ac brutorum posse iudicare, & non sine vanitate obseruari.

T A N D E M circa electiones est dubium. An possit dies & horas obseruare. Picus enim Mirandula lib. 2. cap. 2. & alij, eas euertunt. Mihi videtur cum Lucio quæst. illa 14. artic. 11. prodesse hanc obseruationem, ad mala vitanda, vel quod (sæpius contingit) minuenda, & bonum au- 70 gendum: vel consequendum. Supra enim ostensum est esse stellas maleficas & fauorabiles, hominem etiam dici fortunatum ex illis. Conducit ergo ad negotia aggredienda tempus obseruare quo conueniētior sit cælorum dispositio & influentia, quod præcipuè, in seminando, plā-tando, vites amputando, arbores cædendo cernitur. In hominibus etiā ægrotis id medici efficiunt & proportionabiliter ad alios proportionatos effectus, tam inclinationum quàm aliorum. Vnde nouimus quen- 71 dam Astrologum, atque etiam Theologum non infimum, qui cum similes impressiones cholæræ vel alterius inordinati motus animiq; perturbationis ex cæli dispositione metuebat, ad eam horā animū præparabat suū, vel occasionè fugiendo, vel religiosè orādo, &c. Et simile est de aliis. Vnde patet ad argumentū Pici: si enim influentia est conueniēs iuuabitur per causas secūdas quas applicamus, si discōueniēs hac obserua-
tione

72 rione vel præparatione vel in totum impediatur vel minuerur.

Ex dictis colligo primò, quid sit dicendum de iudicio Astrologorum circa euentus naturales horum inferiorum. Neque dubitatur de euentibus futuris qui in ipsis cælis contingunt, vt est eclipsis, ortus & occasus planetarum, & fixarum stellarum, coniunctiones & oppositiones, &c. Omnes fatentur hæc omnia posse infallibiliter pronounciari. Et ratio est, meo iudicio, quia cùm cælum sit incorruptibile, & constantes habeat morus, & nulla cæusa inferiori possit impedire, necesse est, vt infallibiliter eueniant hæc futura.

73 QUIDAM tamen de euentibus circa hæc inferiora, asserunt nulla iudicia esse vera: ita, vt nec frequenter eueniant. Ratio eorum est quia sunt multæ causæ impediens, nobis occultæ, ergo frustra iudicamus de talibus euentibus, putà de pluuiis, siccitatibus, tempestatibus, serenitatibus, pestilentis, caloribus, frigiditatibus, &c. Huius sententiæ sunt Picius & Gabr. dub. illo 3. Palatius imo Abulensis, quæstione illa 29. qui negat infirmitates cognosci posse, quamuis quæstione sequenti eas concedat: vnde varius est in hoc sicut circa actus humanos, vt supra diximus.

74 VERUNTAMEN mihi videtur id esse falsissimum, quin potius, aliquos esse effectus in his inferioribus, vt sunt prædicti de quibus esse potest cognitio non infallibilis, sed scientia certa frequenter, & vt in plurimum. Hæc enim est omnium Scholast. sententia, S. Tho. locis citatis, Alex. quæst. 164. 6. §. deinde quæritur, Bonau. d. illa 14. Gre. Lop. in l. 1. titul. 23. par. 7. denique omnes fatentur prædictos effectus posse vt in plurimum cognosci ab Astrologis: Legatur Lucius Bell. quæst. 1. artic. 1. vbi id optimè probat, in corpore & ad primum & secundum, & Aug. 5. de Ciuit. ca. 6. & 7. non vsquequaque absurdè dici potest ad solas corporis differentias status valere sydereos, ex quo expressè impugnatur sententia Pici de causalitate stellarum in communi, supra citata & Damas. 2. fidei, vt citat S. Tho. 3. contra Gentes (diuersæ planetæ diuersas complexiones, habitus & dispositiones in nobis constituunt) & ratio huius est, meo iudicio aperta, quia tales effectus nullo modo pendent à libero arbitrio, sed à causis naturalibus, ergo cognitio omnibus causis naturalibus, vt Angelus cognoscit, potest infallibiliter præcognosci, & ita concedit Scot. de Angelis, vbi supra: Ergo qui præcipuas causas & plures cognoscit, licet non infallibiliter, saltem vt in plurimum pronuntiare potest effectus hos naturales. Vnde ad argumētum facilè respon. quod probat non infallibiliter cognosci, non tamen, quod non vt plurimum vera dicat, ita vt deficiat aliquando & rarè. Aliàs sequitur, 74 medicinam esse reiiciendam, cùm multas occultas causas ignorent medici & eorum iudicia interdum fallant, vnde meritò stultum iudicauit Caietanus hæc iudicia totaliter negare, nec in iure Ciuili & Cano. vbi aliæ diuinationum species damnatæ sunt, Astrologia iudiciaria est in totum reprobata.

RATIONES autem Pici benè soluuntur à Ferr. sed quoad hanc conclusionem nihil probant, nam respectu pluuiarum, calorum, tempestatum,

75 pestatum, agriculturæ, &c. Non operatur per causas secundas, sed immediatè, & ita diuersitas effectuum non potest attribui causis secundis. Secundò colligo, quid sit dicendum circa hominum humores, complexiones, aptitudines, naturales inclinationes, & alia similia, quæ naturaliter sunt in homine, an possint cognosci ab Astrologis. Picius vbi supra respondet negatiuè, & eum sequuntur multi nostri temporis viri graues, & vt videtur Gab. & probatur hæc sententia à Pico vbi supra: quia cælum est causa Vniuersalis, causæ autem Vniuersales non distinguunt effectus: ergo diuersa syderum positio non causat distinctionem in effectibus: vnde quantumcunque sit diuersa syderum positio, semper ex homine nascitur homo, & ex equo equus. Imo ex tali homine, scilicet albo, sanguineo, frigido, &c. talis nascitur filius. Vnde filius non est imago causæ Vniuersalis & remotæ, sed patris. Adde quod nati in eodem puncto ex diuersis parentibus, locis, & cibis nutriti, &c. diuersissimi euadunt fortuna, ingenio, &c. Ergo solùm causæ secundæ, non tamen cælum causa est horum effectuum, vt August. argumentatur 5. de Ciuit. cap. 1. Secundò possumus probare, quia sequitur Astrologiam esse magis certam circa hos effectus, quàm medicinam: hæc enim causas proximas attendit, illa solum cælestes, quod tamen est falsum. Vnde August. 5. de Ciuit. (vt referam infra in solutione cuiusdam quæstionis) de duobus fratribus eodem tempore ægrotantibus, & eadem ægitudine refert, quod cum rogatus esset Hippocrates de causa. Resp. similem complexionem esse causam. Astro- 76 nomus verò, respondit causam esse identitatem constellationis, magis commendatur ab ipso August. medici quàm Astrologi responsio cap. 1. & 2. dicti lib. 5. de Ciuit. Tertiò & efficacissimè, quia Horoscopus, id est, punctum natiuitatis raro est cognitum: ergo etiam si daremus astra esse causas totales & præcisas, non posset certò cognosci etiam frequenter complexio, inclinatio, &c. hoc argumentum est Sixti Senensis lib. 6. Bibliothecæ sanctæ, anno 10. a. §. ex his, qui hanc sententiam tenet expressè, & videtur esse August. cap. illo 1. 2. & præcipuè 3. 4. & 5. ac 6. libr. 5. citati. Et eiusdem sententiæ videtur esse Procopius vt citat Senensis, annotatione 15. & eam tenet Palatius, vbi supra & §. hinc iam colliges. Est ergo horum doctorum sententia, quod astrorum constitutio, nec causat, nec inclinat, nec significat huiusmodi effectus, sed multò sæpius in his iudiciis falli Astrologos. Verum mihi non probatur omnino hæc sententia, nec S. Thom. & omnibus fere aliis Theologis, vt infra dicam. Pro cuius explicatione, not. 77 significationem horum terminorum, *infallibiliter, vt plurimum, frequenter, infallibiliter* significat omnimodam certitudinem, ita vt nunquam, etiam rarissimè deficiat, *vt plurimum* significat, fere semper fieri, ita vt rarè deficiat, *frequenter* verò significat quod erit quidem pluries, vel vt in pluribus, deficiet tamen non solum aliquando & rarè, sed aliquoties: his accedit, id quod dicitur ad vtrumlibet quod ita æqualiter se habet ad opposita, vt aliquando fiat & deficiat: sæpè & sæpissimè fiat, & sæpè & sæpissimè fallat.

tione vel præparatione vel in totum impediatur vel minuerur.

Ex dictis colligo primò, quid sit dicendum de iudicio Astrologorum circa euentus naturales horum inferiorum. Neque dubitatur de euentibus futuris qui in ipsis cælis contingunt, vt est eclipsis, ortus & occasus planetarum, & fixarum stellarum, coniunctiones & oppositiones, &c. Omnes fatentur hæc omnia posse infallibiliter pronounciari. Et ratio est, meo iudicio, quia cum cælum sit incorruptibile, & constantes habeat morus, & nulla causa inferiori possit impedire, necesse est, vt infallibiliter eueniant hæc futura.

72 **Q**UIDAM tamen de euentibus circa hæc inferiora, asserunt nulla iudicia esse vera: ita, vt nec frequenter eueniant. Ratio eorum est quia sunt multæ causæ impediens, nobis occultæ, ergo frustra iudicamus de talibus euentibus, putà de pluuiis, siccitatibus, tempestatibus, serenitatibus, pestilentis, caloribus, frigiditatibus, &c. Huius sententiæ sunt Picius & Gabr. dub. illo 3. Palatius imo Abulensis, quæstione illa 29. qui negat infirmitates cognosci posse, quamuis quæstione sequenti eas concedat: vnde varius est in hoc sicut circa actus humanos, vt supra diximus.

VERVNTAMEN mihi videtur id esse falsissimum, quin potius, aliquos esse effectus in his inferioribus, vt sunt prædicti de quibus esse potest cognitio non infallibilis, sed scientia certa frequenter, & vt in plurimum. Hæc enim est omnium Scholast. sententia, S. Tho. locis citatis, Alex. quæst. 164. 6. §. deinde quæritur. Bonau. d. illa 14. Gre. Lop. in l. r. titul. 23. par. 7. denique omnes fatentur prædictos effectus posse vt in plurimum cognosci ab Astrologis: Legatur Lucius Bell. quæst. 1. artic. 1. vbi id optimè probat, in corpore & ad primum & secundum, & Aug. 5. de Ciuit. ca. 6. & 7. non vsquequaque absurdè dici potest ad solas cor-
73 poris differentias status valere sydereos, ex quo expressè impugnatur sententia Pici de causalitate stellarum in communi, supra citata & Damas. 2. fidei, vt citat S. Tho. 3. contra Gentes (diuersæ planetæ diuersas complexionem, habitus & dispositiones in nobis constituunt) & ratio huius est, meo iudicio aperta, quia tales effectus nullo modo pendent à libero arbitrio, sed à causis naturalibus, ergo cognitis omnibus causis naturalibus, vt Angelus cognoscit, potest infallibiliter præcognosci, & ita concedit Scot. de Angelis, vbi supra: Ergo qui præcipuas causas & plures cognoscit, licet non infallibiliter, saltem vt in plurimum pronounciare potest effectus hos naturales. Vnde ad argumētum facilè respon. quod probat non infallibiliter cognosci, non tamen, quod non vt plurimum vera dicat, ita vt deficiat aliquando & rarò. Aliàs sequitur,
74 medicinam esse reiciendam, cum multas occultas causas ignorent medici & eorum iudicia interdum fallant, vnde meritò stultum iudicauit Caietanus hæc iudicia totaliter negare, nec in iure Ciuili & Cano. vbi aliæ diuinationum species damnatæ sunt, Astrologia iudiciaria est in totum reprobata.

RATIONES autem Pici benè soluuntur à Ferr. sed quoad hanc conclusionem nihil probant, nam respectu pluuiarum, calorum, tempestatum,

pestatum, agriculturæ, &c. Non operatur per causas secundas, sed immediatè, & ita diuersitas effectuum non potest attribui causis secundis. Secundò colligo, quid sit dicendum circa hominum humores, complexionem, aptitudines, naturales inclinationes, & alia similia, quæ
75 naturaliter sunt in homine, an possint cognosci ab Astrologis. Picius vbi supra respondet negatiuè, & eum sequuntur multi nostri temporis viri graues, & vt videtur Gab. & probatur hæc sententia à Pico vbi supra: quia cælum est causa Vniuersalis, causæ autem Vniuersales non distinguunt effectus: ergo diuersa syderum positio non causat distinctionem in effectibus: vnde quantumcunque sit diuersa syderum positio, semper ex homine nascitur homo, & ex equo equus. Imo ex tali homine, scilicet albo, sanguineo, frigido, &c. talis nascitur filius. Vnde filius non est imago causæ Vniuersalis & remotæ, sed patris. Adde quod nati in eodem puncto ex diuersis parentibus, locis, & cibis nutriti, &c. diuersissimi euadunt fortuna, ingenio, &c. Ergo solùm causæ secundæ, non tamen cælum causa est horum effectuum, vt August. argumentatur 5. de Ciuit. cap. 1. Secundò possumus probare, quia sequitur Astrologiam esse magis certam circa hos effectus, quàm medicinam: hæc enim causas proximas attendit, illa solum cælestes, quod
76 tamen est falsum. Vnde August. 5. de Ciuit. (vt referam infra in solutione cuiusdam quæstionis) de duobus fratribus eodem tempore ægrotantibus, & eadem ægitudine refert, quod cum rogatus esset Hippocrates de causa. Resp. similem complexionem esse causam. Astronomus verò, respondit causam esse identitatem constellationis, magis commendatur ab ipso August. medici quàm Astrologi responsio cap. 1. & 2. dicti lib. 5. de Ciuit. Tertiò & efficacissimè, quia Horoscopus, id est, punctum natiuitatis raro est cognitum: ergo etiam si daremus astra esse causas totales & præcisas, non posset certò cognosci etiam frequenter complexio, inclinatio, &c. hoc argumentum est Sixti Senensis lib. 6. Bibliothecæ sanctæ, anno 10. a. §. ex his, qui hanc sententiam tenet expressè, & videtur esse August. cap. illo 1. 2. & præcipuè 3. 4. & 5. ac 6. libr. 5. citati. Et eiusdem sententiæ videtur esse
77 Procopius vt citat Senensis, annotatione 15. & eam tenet Palatius, vbi supra & §. hinc iam colliges. Est ergo horum doctorum sententia, quod astrorum constitutio, nec causat, nec inclinat, nec significat huiusmodi effectus, sed multò sæpius in his iudiciis falli Astrologos. Verùm mihi non probatur omnino hæc sententia, nec S. Thom. & omnibus fere aliis Theologis, vt infra dicam. Pro cuius explicatione, not. significationem horum terminorum, *infallibiliter, vt plurimum, frequenter, infallibiliter* significat omnimodam certitudinem, ita vt nunquam, etiam rarissimè deficiat, *vt plurimum* significat, fere semper fieri, ita vt rarò deficiat, *frequenter* verò significat quod erit quidem pluries, vel vt in pluribus, deficiet tamen non solum aliquando & rarò, sed aliquoties: his accedit, id quod dicitur ad vtrumlibet quod ita æqualiter se habet ad opposita, vt aliquando fiat & deficiat: sæpè & sæpissimè fiat, & sæpè & sæpissimè fallat.

78 PRIMO ergo mihi videtur infallibiliter cognosci non posse per astra conceptionis seu natiuitatis, ægritudines, humores, inclinationes & aptitudines naturales, & hoc omnes fatetur. Nam si pluuia, &c. quæ diximus dubio præcedenti, hac ratione præcognosci non possunt ab hominibus propter multas ignotas causas naturales, longè minus certò cognosceret hos effectus, qui non à cælo immediatè, sed à parētibus, educatione, cibis, loco patriæ, dependent: & semper à causis liberis, sicut ab applicante actiua passiuus.

SED nunquid Angeli & dæmones infallibiliter cognoscent ista? Mihi videtur nequaquam cognosci posse, quia cum ægritudo sanari possit applicando remedia, & similiter complexio, aptitudo, & inclinatio variari per bonam educationem, mortificationem, &c. Et hæc omnia liberè adhibeantur, non potest Angelus scire, an adhibendæ sint, vel non, vt patet cum de actionibus futuris liberi arbitrij nequeat iudicare, habebit autem cognitionem multò certiore quam nos. Et ideo mihi videtur. Secundò quòd Angelus, vt in plurimum potest ista cognoscere, homo verò frequenter. Primum probatur: Quoniam Angelus habet omnium naturalium perfectam cognitionem & omnia naturalia hominis, vt humorum proportionem, complexionis robur, vel debilitatem, naturales aptitudines, non solum corporis, sed animæ, vt bonitatem intellectus, & habitus scientificos & voluntatis naturam, vt potentia quædam est, & ipsam animæ essentiam, & omnes potentias & inclinationes ab homine naturaliter fluentes. Hæc inquam omnia, per propriam speciem cognoscit, vnde non solum per natiuitatem & alienas species, vt homines, sed proprio conceptu hæc omnia nouit, sed omnia naturalia raro variantur, vt patet: ergo, &c. Imo cum actus liberos cognoscat quando exterius prodeunt, posset computare, an ad habitum virtutis generandum sufficiant, vel vitij, &c. Quamuis cum ipse nesciat qua intentione fiunt, sed solum illorum substantiam, cognoscat, & eos qui non prodierunt extra, neque ad ipsum directi sunt, adhuc quoad substantiam non cognoscat: ideo nunquam infallibiliter potest iudicare de quantitate inclinationis, complexionis, humoris, &c. Et hoc etiam secundum certum est apud omnes. Tertiò, ergo mihi videtur, secunda pars, quòd scilicet Astrologus per positionem syderum cognita natiuitate potest verè pronuntiare frequenter, ita vt aliquoties fallatur. Hæc est sententia S. Thom. expressa, quidquid neget Sixtus. Nam quæstione illa 95 artic. 7. duplices tantum effectus dicit subtrahi à iudicio Astrologorum, scilicet casuales, qui raro eueniunt, & liberi, qui sunt ad vtrumlibet, & 1. 2. quæst. 9. ad 3. sic ait: *nihil prohibet ex impressione corporum cælestium aliquos esse habiles ad irascendum, vel concupiscendum.* Et in corpore, corpora enim cælestia possunt dispositiue inclinare ad operationes liberi arbitrij in quantum imprimunt in corpus hominum, & per consequens in vires sensitivas, quæ inclinant ad actus humanos. Et tertio contra Gen. approbat sententiam Ptolomæi dicentis, quod cum Mercurius fuerit in natiuitate alicuius in aliqua domorum

Saturni.

Saturni, erit fortis in esse suo, & dat bonitatem intellectus: & expressus adhuc c. 92. Vbi multa circa hæc docet quæ leget curiosus. Idem tenet Alexand. in illo memb. 6. §. deinde quæritur, vtrum peccatum sit, respondens ad argumentum: inquit, *enim scientia Astrologia non reprobatur, nec vniuersaliter omnia iudicia, sed quia illa non sufficiunt ad investigationem eorum, quæ pendent ex libero arbitrio circa huiusmodi est reprobatio, & Bonauent. distinct. 14. quæst. illa 3. ad secundum. Frequenter, inquit, Astrologi vera prædicunt, maxime circa homines animaliter viuentes, & in solutione alterius argumenti, docet idem quòd D. Thom. & Alexand. quod scilicet præter ea quæ subsunt libero arbitrio possunt Astrologi iudicare: & Scot. in illa distinct. 14. ita scribit: *in viatore voluntas rationalis inclinatur ad appetendum ex appetitu, & ideo planta & alia corpora cælestia inclinant voluntatem salua libertate, & Altiſiod. §. illo. ad quod respondendum, sic habet (dicunt Astrologi, quòd de complexione hominis iudicandum est secundum signum ascendens in natiuitate illius, &c. quod bene potest esse verum neque abhorret à veritate. hæc ille. Durã. q. illa 2. in sol. ad primum, Caiet. Ferr. & ceteri omnes citati, imo Sotus qui 83 acrius loquutus est, solum excipit à cognitione certa Astrologorum casus fortuitos & actus liberos.**

HÆC communis sententia probari potest ex Augustino, & Damascen. supra dub. præcedenti citati: *non absurde dici potest (ait Augustinus) ad solas corporis differentias flatus valere sydereos, & Damasc. diuersi, inquit, planeta diuersas complexionones & dispositiones in nobis constituunt, quid clarius? Et apertius capite illo septimo libro vigesimo: fatetur sydera esse signa generationum. Et Origenes in tomis super Gene. ad literam, vt refert Eusebius, libro sexto de Præpar. Euangelica, capite nono stellas, dixit, à Deo positas in cælo, vt essent insignia, vt scilicet per varios earum aspectus & coniunctiones significarent circa liberi arbitrij coactionem futuros euentus, &c. Et Hieronym. vt citat Alexand. 84 §. illo deinde, sic ait: *discant ea mente dogmata & doctrinam Chaldaicam, qua & Moses omnem sapientiam Aegyptiorum didicerat.* Vnde Cicero secundo de Natura deorum. Cum delirationem incredibilem, posse Astrologos de actibus humanis prædicere, iudicaret, subdit, concedi posse cum Diogene Stoico aliquid prædicere posse, dumtaxat quali quisque natura seu complexione, & ad quam quisque rem maxime aptus futurus sit, & in l. 1. tit. 23. part. 7. de naturalibus his effectibus probatam legimus Astrologiam. His verbis *Son dos maneras de adiuinança, la primera es la que se faze por arte de Astronomia, esta segun el fueros non es defendida de vsar a los que son Maestros e la entienden, porque los juyzios, y los asnamientos que se dan por esta arte, son catados por el curso natural de los planetas y de las otras estrellas, y fueron tomadas de los libros de Ptholemeo y de los otros sabidores.**

ET ratione probatur hæc sententia. Quia quando plures causæ ad vnum effectum concurrunt ea quæ potentior est vincit & prædominatur, vt patet in mixtis. Cum ergo stellæ propter earum virtutem altiore, & summam magnitudinem longè præstent causis pro-

ximis, sequitur effectus horum inferiorum efficacius, & principalius illorum impressiones recipere, & secundum illarum actionem facilius mutari. Adde diurnam experientiam, qua videmus filium natum ex parentibus, verbi gratia sanguineis & cibis selectissimis educatum, &c. si tamen nascatur conspirantibus Saturno & Marte, seu Luna vel alia maligna configuratione Astrorum fixorum fore melancholicum, vel colericum, &c. Vnde Cardanus super Philolo. 112. genituras obseruauit secundum astrorum positionem euenisse. Et Cypri. Leoui. edidit historiam 500. hominum. Et Lucas Gauricus 200. similes veras compe-
86 ruit. Cum ergo varia sydera varios humores, & complexiones imprimant per proprias virtutes, vt supra diximus ex humorum temperatura, & ex complexione aptitudo naturalis fluat naturaliter, & similiter inclinatio sequatur naturaliter ex vtroque, sequitur, &c.

Vnde ad primum respondet bene Ferr. c. 84. q. cælum & astra non dicuntur causæ vniuersales, quia non habeant determinatas virtutes & effectus, sed quia illas non influunt immediatè, sed modificantur per causas secundas, & ita licet media causa secunda, verbi gratia homine, generetur homo, tamen ipse verè & efficacius operatur medio illo homine. Aliàs probaret, quòd Deus non causat varios hos effectus, siquidem est causa omnium vniuersalissima, similiter in actione instrumentorum, licet ars non faceret arcam sine ferrà, sed non pro-
87 pterea dicendum est artem in mente artificis non verè operari arcam, & varios effectus, qui per ferram fiunt, idque principalius. Adde quòd non semper cælum operatur, media causa secunda. Id enim tantum est verum in generationibus substantialibus, & non omnium rerum, sed animalium tantum perfectorum. Generationes autem substantialium inanimatorum, vt lapidum pretiosorum, mineralium, murium, &c. immediatè operatur, & accidentales omnium generationes & alterationes sæpè causat, se Sol media luce, & influenza. Vnde cum primum nascitur animal, statim imprimit immediatè, cum tenerrimum sit tunc passum, & ipsi illi subordinatum. Et hæc est ratio cur non in conceptione, sed in natiuitate fiat obseruatio. Tum etiam, quia punctum conceptionis ignotum est, & ita puncto natiuitatis cognoscitur. Et ita non rejicitur à consideratione Astrologi ad hos effectus ipsa conceptio.

88 FATENDVM tamen est quòd tot concurrere possunt causæ secundæ oppositionem habentes cum stellis natiuitatis, verbi gratia, parentum complexio, pueri lactatio, ciborum vsus, aëris & loci temperies, medicorum cura, & huiusmodi. Possunt etiam istæ omnes causæ esse efficaces, vt si magna erat vtriusque parentis consanguinea complexio, & sic de aliis, quòd plurimum temperent inclinationem & impressionem melancholicam astrorum, & forsan penitus commutent & eradicent, sed hæc non vt plurimum vel frequenter accidunt. Potius enim frequenter, vel non ita efficaces sunt causæ secundæ, vel non tot applicantur, vel denique non oppositæ in astro natiuitatis, sed potius iuuantes causam vniuersalem, & ideo semper, vel vt plurimum præ-
ualet

ualet virtus & operatio causæ vniuersalis. Bene autem Astrologi est has omnes causas secundas temperantes considerare, vt docet Ptolomæus 3. & 4. quadripartiti. Non dicitur autem filius imago cæli seu causæ vniuersalis. Quia ab illa specificatur, & substantialem distinctionem habet sicut à causa vniuoca, bene autem secundum rationem corporis, qua à cælo producitur illius imago dici potest, sicut homo dicitur secundum rationem spiritualis substantiæ imago Dei.

Ad argumentum ex August. præcipuè ex cap. 2. & 5. quinti lib. de Ciuit. respon. quòd August. non affert ibi argumenta ad hoc propositum, sed vt conuinceret mores hominum bonos aut malos, & electiones, & alia quæ à libero pendent arbitrio, non esse regulanda per constellationes natiuitatis, non autem ad complexiones corporales & inclinationes sensibiles. Imo ex ipso oppositum ostendimus. In prædi-
cto enim cap. 6. non vsquequaque (inquit) absurdè dici potest ad solas corporis differentias afflatus quosdam valere sydereos, non autem animi voluntates positionibus syderum subdi. Vnde cum in cap. 2. acceptabiliorem dicit esse sententiam Hippocratis & medicorum, qui diuersitatem vel similitudinem effectuum ad causas secundas referunt, quam Posidonij Stoici multum Astrologiæ dediti, qui ad astrorum constitutiones recurrebat, id sanè verum est quemadmodum paulò antè explicabam, sed non negat Augustinus causalitatem cælorum respectu horum corporalium effectuum sæpèque potentiorum quàm causarum secundarum.

Ad rationem ergo bene respondent Ferr. & Altiflod. qui sic interpretantur Augustinum, quantum ad duo semina animata duorum arborum, illud probare non esse hoc iudicium infallibile. Nam impediri potest ex indispositione materiæ, & multis aliis causis ignotis, tam vniuersalibus, quàm particularibus, vt paulò antè dicebamus. Imo nec iudicium est certum, vt plurimum (vt diximus) sed tantum frequenter, & ita sæpè fallere potest. Vnde loquendo frequenter potius oppo-
situm contingere experimur. Nam duo filij, vel tres eiusdem patris diuerso tempore nati, licet ex eisdem parentibus, loco, patria, educatione, cibis, &c. longè dissimiliores euadunt, quàm duo alij filij diuersorum parentum eodem tempore, & sub eadem constellatione nati. Porro si hoc argumentum probaret, facilè retorqueri posset contra ipsos, si enim illo argumento contendunt, cælum impertinenter se habere ad varietatem effectuum, solùmque causas secundas & proximas hanc
distinctionem inferre, cum constet duos filios eorundem parentum eadem educatione, cibis, patria, cura medicorum, &c. longè diuersissimos habere humores, ac aptitudines, & inclinationes, colligeremus causas proximas nihil operari, sed referendam totam rem esse ad temporis diuersitatem, cæli, & astrorum positionem. Circa materiam, secundi argumenti Palatius & Bonauentu. vbi supra in fine corporis (imo id sentire videretur Augustinus capite illo 20.) existimant certiora esse iudicia medicorum, quæ innituntur causis propinquis, quàm Astrologorum, quæ causis remotis innituntur, idem docet Palat.

de agricultura: & Abulen. quæst. 14. docet secundas causas esse potentiores.

93 SED videtur dicendum, quòd primò non est consummatus medicus qui astrorum influentias non nouit, saltem planetarum, sed solum secundas causas obseruat. Sicut contra non est bonus Astrologus, vt ex Ptolomæo diximus, qui causas inferiores & proximas non cognoscit, & ita, si medicus cœlestes causas & inferiores cognoscens, & per inferiores præcipuè iudicat, non videtur ita certum futurum iudicium, sicut est Astrologi, qui omnibus perspectis potentioribus cœli causis
94 innititur. Vnde medicorum iudicia sæpissimè falsa esse videmus. Item si Astrologus solum causas cœlestes, medicus solum inferiores, attenderet: similiter videretur, quod certiora essent iudicia Astrologica propter eandem rationem.

Ex triplici autem capite prouenit, vt Astrologi fallantur magis quàm medici. Primò, quia astra sunt longè à nostris sensibus vt Aristot. docet de Partibus animalium. Et ita modicū de illorum natura, & virtutibus scimus, vnde fit vt sæpè decipiamur: at causæ proximæ sunt sensibus magis propinquæ & connaturales, & de illarum virtute plurimum scimus: Secundò prouenit, quando tot aut tantæ causæ, & tam efficaces concurrunt, & cœlestes pauca sint, & non ita efficaces, quæ in natiuitate inclinauerunt, vt multum temperent, & aliquando mutant inclinationem ex cœlo habitam, vt diximus. Tertiò & potissimè, quia punctum natiuitatis vt plurimum est ignotum, ita vt rari sint, qui illud sciunt, at punctum infirmitatis notius est multò, & ita melius iudicare possunt medici de morte, quàm Astrologus, & sic est vera sententia Aug. ex natura autem rei, & cæteris paribus causis, multitudine, efficacia & notitia, certiora essent Astronomica iudicia, sed id ferè impossibile est.

CIRCA tertium argumentum ego sanè existimo, vt sæpius dixi, hæc quæ diximus solum vera, esse supposito puncto natiuitatis, quod non debet esse adeo indiuisibile temporis, vt iudicia sint falsa, si aliquantum erreretur. Cum potentiores causæ & principales perseuerent.
95 Et quamuis velocissimè moueantur vt ille philosophus (quem refert Aug. lib. illo de Ciuitate) respondit: tanta est stellarum magnitudo, vt etiam si velocissimè moueantur, non ita breui tempore, coniunctiones, aspectus, & configurationes tollant. Vnde hæc solutio quæ certa visa est August. facilè ruit. Quamuis alio etiam argumento impugnetur ab August. Et ita ego existimo quod duo filij ex eodem patre gemini nati, eisdem cibus, lacte, educatione, &c. educati, vt plurimum erunt similes in humoribus, inclinatione & naturalibus aptitudinibus, propter identitatem astrorum, & causarum secundarum, rarò tamen diuersi euadent, propter occultas causas naturales tam cœlestes, quàm proximas & propter liberi arbitrij vires & moralem educationem, & cooperationem cum gratia Dei, &c. vt patet de Iacob, & Esau, non tamen propterea negandum est, id quod vt plurimum & frequenter
96 accidit. Quidam tamen Astrologiæ, & Theologiæ satis doctus addit, quòd

quamuis ipse qui nascitur ignoret punctum suæ natiuitatis: tamen per Animodarium. Ptolomæi, & Tutrimen. Herm. & per euentus subsequutos scitur instans, & momentum natiuitatis, sed ego id non facile credo, nisi efficaci ratione probetur. Vnde ad hoc propositum August. capite illo 3. sic arguit contra Nigidium figulum Astrologum: *si tam multum in cœlo interest, quod constellationibus comprehendere non potest, vt alteri geminorum hereditas eueniat, alteri non obueniat teste eodem Nigidio (ab Astrologis tanquam subtilissimo vehementer laudato) cur autem cæteris qui Gemini non sunt cum inspexerit eorum constellationes talia pronuntiare contendit quæ ad illum secretum pertinent, quæ nemo potest comprehendere & momenti annotare nascentium: hæc August. Ad quod elegans argumentum, cum contra se suamque artem Iulius Firmicus posuisset, pollicitus se soluturum, postquam satis in locis se communibus iactasset, solo silentio respondisse sibi visus est. Lucius quæst. 1. 97 artic. 1. ad septimum, putat non ex natiuitate, sed ex conceptione sumenda esse iudicia, & id quod dicitur de Animodario docet aliquando deficere. Ponit ergo ipse multos modos cognoscendi punctum necessarium. Primum inquit conceptio potest cognosci (appellat autem conceptionem casum seminis in matricem) ex functione virgæ ad matricem. Secundò ex accidentibus mulieris, putà, Vomitu, & huius sententiæ videtur D. Thom. qui in his temporis & loci minutis se irretit opusculo de fato, dicens. Propterea esse in geminis varia ingenia, quod in locis maternis non in eodem momento totum semen reciperetur. Tum etiam centrum cordium amborum geminorum, cum non sit idem, sed varia variisque in locis, esse quoque horizontes varios necessum est. Tertium signum addit Lucius, ex natiuitate, & ad hanc cognoscendam ponit alios modos, scilicet per Astro- 98 labium: cui ego objicio, quid si natus est nubiloso cœlo? Secundus est horologium, sed quid si non perfectè mouetur? Tertius est per directiones & profectiones. Quartus per Animodarium. Sed certè quamuis Animodarium, profectiones, Horologium, &c. perfectam notitiam darent illius momenti nascentis, hoc tamen verum esse potest quando Astrologus simul & has figuras leuat, & puer nascitur, vel concipitur. Hoc autem rarissimum est, atque ita rarò iudicia vera: maximè, quia vt dicebam, quantula potest esse illa partium seminis mora? quantulum rogo illud interstitium cordium, vt ea res totam naturam hominum mutet? denique non satis esset ad Mathematicum attulisse, natum esse aliquem Toleti vel Romæ, sed à quo patre, in quo momento, in quo cubiculo, in qua cubuli parte, incerta igitur sunt ista iudicia, imò certè 99 incertissima, nihilq; spei, nihil fidei vanis istis superstitionisq; opinionibus est adhibendum.*

TERTIO colligo, quid sit dicendum de agricultura? Minus enim benè Palarius docuit agriculturam esse certioram Astrologia. Non enim ista comparari possunt, cum ipsa agricultura sit Astrologiæ pars. Rusticus siquidem iudicans per experientias quas habet, ideo facit, quia habet Astrologiam practicam, sicut medicus curans ex vsu, tamen

men hoc & illud ex Theorica nascitur, sicut ex causa. Vnde rusticus præbens hæc iudicia non est secludendus à ratione Astrologi, licet id à priori non cognoscat, sicut Astrologus domi & sub tecto agens. Aliàs iudicans de pluuiis rusticus, tempestatibus & aliis temporalibus, &c. alio habitu quàm Astrologiæ prædiceret.

100 **Q**UARTO colligo consimiliter minus bonam esse illam distinctionem Sixti Sen. Quòd alia est diuinitio Astrologica, quæ est fictitia & imaginaria, vt quæ de afflatibus & influxibus ignotis tractat. Alia est Physica, quæ de lumine, & motu cœlorum agit: hanc concederet D. Thom. non illam. Vnde primas illas virtutes dicit esse deliramenta, vt Veneris afflatus ad libidinem, Martis defluxionem ad iram, Lunæ ad insaniam motum, Capricornij vim quæ reges efficiat, &c. Hoc inquam non placet. Primum enim supra reiecit hanc contrariæ referentem D. Thom. quasi hoc negaret cum apertissimè contrariæ fuisse sententiæ supra ostenderimus. Imò verò nullum ego legi doctorem Theologum, qui tantum Astrologis concedat in hac parte, quem paulò antea tacitè (licet indignus) reprehendebam, eo quòd in opusculo illo de Fato, in his minutiis se irretiret, vt diceret propterea esse
101 Geminorum varia ingenia, quòd in locis maternis non eodem momento totum semen reciperetur. Et vt ex August. vidimus, sydereos afflatus ille approbat. Deinde quoniam petit principium, dicens eam esse fictitiam & imaginariam, quòd probare debebat. Tertio denique quia distinguit Physicam ab Astrologia, vt dixerat Palatius de agricultura, cum tamen Astrologia pars sit Physicæ, vel illi subalternata, non solum in quantum considerat cœlorum affectiones, figuram, lumina, motus astrorum, &c. vt Arist. fecit in libris de Cœlo: sed etiam in quantum habet naturales influentias, & proprias virtutes & effectus in his inferioribus, tam circa inanimata, vt mineralia, de quibus in libris Meteor. quàm etiam circa viuientia, arbores, animalia, homines, &c. Est tamen Mathematica, & vera scientia in quantum magnitudinem cœlorum & computationes numerorum circa cœlos considerat: non ergo est vel ex æquo Philosophiæ distincta, vel penitus fictitia circa corporales effectus humorum, inclinationum, & complexionum, vt satis ostensum est. has tamen occultas virtutes nimis multiplicare superstitiosum est, vt supra diximus.

102 **Q**UINTO colligo, quid sit dicendum de pyromantia, & areomantia, an per Cometam igneam, qui apparet, possint mors regis, bella & pestilentia significari? S. Thom. 3. part. quæst. 36. artic. 7. ad primum concedere videtur Cometam significare Regum mortes, & est aperta sententiâ Damasceni lib. 2. fidei cap. 7. Vbi planè fatetur esse signa bellorum, Bonauent. in 2. distinct. 14. 3. part. d. quæst. vltima, ad penultimum, docet non significare Regum mortes, sed casu accidere mortem principis in eius apparitione, & idem de bellis, & aliis huiusmodi. Quia naturaliter loquendo, non est maior ratio cur in morte principis, quàm rustici appareat. Vel secundo (inquit) dici potest id significare non naturaliter, sed ex iussu Dei. Tunc enim ex diuina prouiden-

tia

tia maior ratio est, Tum quia est persona communis: Tum quia ex morte frequenter solent oriri perturbationes, bella, &c. in cuius etiam¹⁰³ custodia magis sollicitantur Angeli propter dictam rationem, quod planè fatetur Damascen. cap. illo 7. dicens ex diuina iussione cometas significare Regum mortes, quod latè prosequitur Clitovæus in dicto cap. Diuus Antoninus secunda parte tit. 12. capite 10. postquam explicauerat ex qua materia cõfletur cometa, docet absolutè esse signum mortis principis. Quod sic explicat: nam mors, bella, & mortes regentium significat, imò causat, sicut inclinans per iram, calorem, & siccitatem, ex quibus prouenit animositas: & ira docet cometam immediatè significare Martem prædominantem, qui est causa talium effectuum: & hæc ex sua docet sententiâ, quod rarò facere solet. Refert etiam in¹⁰⁴ morte D. Thom. apparuisse stellam super Monasterium Fossæ nouæ, vbi iacebat infirmus. Et anno 1400. in morte Ducis Mediolan. Et in Papatu Eugenij quarti. Ex quo sequuntur fuerunt multæ tribulationes, de quibus multa reperies animaduersa, & notata apud Illescam historiæ Pontificiæ authorem, & apud alios historiographos. Nos autem, anno 1578. vidimus crinitum Cometam, quo tempore multorum principum mortes sequuntur sunt, & bella excitata, inter quæ accidit Sebastiani Lusitanorum Regis immatura & Christiano populo dolenda mors, ac multorum in eo bello excidium. Vnde colligit Ant.
cometam non significare malum, vel bonum euentum inducendo, vel causando illum, sed tantum signum esse talium euentuum. Itaque D. Thom. Anto. & Damascen. huius sunt sententiæ. Sed Diuus Bo-¹⁰⁵ nauentura & Caietanus tertia parte quæstione illa 36. articulo 7. ad primum contra docent, non magis significare Regis quàm pauperis mortem, sed quia huius mors non ita notatur, sicut illius, ideo, &c. Neque verò Caiet. putat, D. Thom. ex sua sententiâ loqui, sed ex communi opinione. Non probant autem Bonauentura & Caietanus suam sententiâ, Sed ea ratione probari posse videtur. Quoniam vel est signum naturale vel supernaturale, ex Dei speciali voluntate, præter ordinem naturæ. Secundum planè fatetur Bona. & Damascen. dum dicunt ex diuina iussione, & sollicitudine bonorum Angelorum fieri, sed id non adeo firma ratione constat, vt miracula, aut specialia Dei opera supernaturalia concedere cogamur. Maximè, quia ea semper, aut certè frequenter contingere videmus, & apud omnes etiam barbaras nationes, quod signum videtur esse merè signum naturale, vel nihil omnino significare istorum: sed esse quendam effectum naturæ ex inflammatione cuiusdam exhalationis prouenientem. Alias cur etiã¹⁰⁶ non dicemus eclipsim, tam Lunæ quàm Solis, esse etiam signa mortis principum? cum tamen naturali necessitate eueniat, & ita experientia constat per hæc tempora, principem aliquem mori, vel bellum excitari, nemo tamen dixerit hos cœlorum vel effectus, vel coniunctiones Solis, & Lunæ esse signa talium euentuum ex diuina iussione: Sed quia tot sunt in orbe principes, tot hominum rixæ, & bella, hinc est, quod ea, quæ in his notabilibus horis accidunt, cœlo tribuamus. Si

autem dicas esse signum naturale, contra hoc est. Tum quia naturaliter loquendo, seclusa Dei speciali iussione, non est maior ratio, de diuine, quam de paupere, ut Bona. docet. Præterea, quia ut supra ostensum est, ex mente D. Thom. nullum potest esse signum naturale, nisi sit vel causa, vel effectus, eius rei, cuius est signum: quod verissimum esse, & satis probatum supra reliquimus. Constat autem comeram non esse effectum ipsius mortis, seu belli, ut patet; nam mors priuatio est, & esto: Sit ens positium: nullam causalitatem, aut connexionem, habere potest cum ignea illa substantia. Neque verò causa mortis aut belli naturalis esse potest, quia cum sit agēs naturale, per calorem, siccitatem & huiusmodi agere debet, & hæ qualitates, non plus in rege, quam in aliis operantur. Naturaliter enim agunt, atque ita in magis propinquum operantur distemperiem, siue sit rex siue rusticus.

Id autem concedi potest, quod dum prædictus cometa magnæ quantitatis est, & intensi caloris, acrius operabitur in eos, qui delicatioris complexionis sunt. Et quia huiusmodi solent esse principes, qui mollibus vestiuntur, & vescuntur, & similiter mulieres, pueri, & senes; ideo prædicti potest, non de alicuius morte in particulari, sed in communi, quod principum, & similium personarum mortes euenient. Atque idem est de bello, ut Ant. supra docebat. Excitat enim iram per calorem, & siccitatem nimiam, quæ bellorum causa est. Et ita existimo dici posse de eclipsi. Tunc enim debiles, vel infirmi, aut delicatioris, detrimentum patiuntur, ob vim & intemperiem stellarum conspirantium. Et ob id temporibus eclipsis, & similium solent principes mori, & similes personæ minimè robustæ. Neque aliter veram priorem sententiam putarem.

SEXTO colligo quid dicendum sit, de chiromantia, quæ est diuinationo per lineas naturaliter descriptas in manu. Multi enim probant, hanc diuinationis speciem, propter longam experientiam, quam haberi dicunt, de veritate euentuum. Verum meo iudicio, rectè Palatius eam damnat loco citato, & Cyruelo in suo tractatu de reprobandis superstitionibus par. 2. cap. 4. fol. 14. Alcocer. cap. illo 14. addens esse peccatum ea vti. Symanc. de Catholic. institution. cap. 21. nume. 18. Naua. in summ. lati. cap. 11. nume. 31. ad finem. imo in tit. illo 23. l. 2. part. 7. damnatur expressè diuinationo per palmas. Probat Cyruelo. Tum quia videmus filios, habere similes lineas cum parentibus, & tamen longe diuersos fortiuntur effectus. Vnde etiam duo extranei eademque habentes lineas diuersi euadunt.

SECUNDO quia sapius mutantur lineæ & tamen complexio non mutatur. Ego sic obijcio: contra hoc Astrologorum seu diuinandi genus. Nam quam proportionem habent illæ lineæ cum euentibus futuris non dico liberis, & omnino contingentibus (nam de his supersticiosum esset & vanissimum, & grauiter puniendum) sed etiam de euentibus naturalibus: ut cum iudicantur complexio, humores, & inclinationes, & naturales aptitudines, ad scientiam, &c. Quam enim (ut dicebam) connexionem habere possunt lineæ cum iis effectibus?

Non

Non enim eorum causæ esse possunt. Quam enim causalitatem habere potest linea in humorem & inclinationem, ad matrimonium, religionem, literas, &c. Nec signa etiam alterius causæ. Non enim apparet, ut sæpè ex doctrina D. Tho. docuimus. Quomodo sit signum naturale, nisi vel causa sit, vel effectus, vel saltem effectus causæ illorū euentuum, cuius certè connexionem vel rationem vix non dico vera sed ne apparens quidem poterit assignari. Neque video cur sit maior ratio de lineis manuum, quam pedū vel totius corporis. Vnde casu magis quam ad signandum euentus futuros, istæ lineæ factæ videntur. Est enim naturale, ut si manum constringas illæ lineæ resultent, quod cum fecerimus circa initia natiuitatis, cum teneram habeamus carnem, facilius tunc effici poterant, & vsu temporisque decursu magis confirmari. Quia tamen non omnes eodem modo aut pedes aut manus mouent, hinc est diuersitas in delineamentis multorum.

VERVM est sanè Arist. in Sect. problematum quæst. 48. docere respectu longitudinis & breuitatis vitæ, has lineas habere significationem. Quem locum Palatius interpretatur de lineis, & refert causam ad calorem cordis. Mihi tamen videtur ibi Arist. non loqui de lineis, sed de articulis, ut legenti parere potest, quamuis etiam de palmæ scissuris loquatur, de lineis tamen loqui non videtur. Sed tamen esto: demus habere significationem, respectu longitudinis vitæ, quasi sint signa complexionis bonæ, aut malæ: quod vix crediderim, non tamen illorum euentuum, vilo modo signa esse possunt. Et sanè etiam ridendum videtur, quod ij chiromantici dicunt, esse in palma 7. montes, Lunæ, Veneris, &c. atque eum qui in monte Veneris multas habeat lineas, fore mulieribus deditum, eum qui tot, aut tot lineas alibi habeat tot filios esse habiturum, & alia multa omni vanitate & superstitione plena. Sed non oportet in hoc opere de restitutione ista fufius persequi, quare ad nostrum institutum propius accedamus.

SEPTIMO igitur colligo, quod ad restitutionem attinet, istorum omnium; est enim iudicio meo distinguendum, nam vel id quod prædicunt, scibile est ea arte, aut omnino sciri non potest. Rursus si sciri non potest, aut re ipsa euenit, uti erat prædictum, aut omnino non euenit. Secundum hoc enim de restitutione est variè sentiendum.

PRIMUM igitur mihi videtur, quod si eam rem prænosticauerit, quæ & sciri poterat, & certò futura erat, ut de eclipsi & huiusmodi non peccat, nee restituere tenetur aliquid, siue spirituale, siue temporale, ut de se patet. Vbi enim nullum est peccatum, sed honestissima & laudanda ars, non est iniustitia, & per consequens non est restitutionis obligatio. Secundò videtur, quod si erat res, quæ sciri potest, sed non certitudine naturali, sed (ut supra explicauimus) vel frequenter, aut ut in pluribus, aut ut plurimum, ut sunt pluuia, tempestates, atque idem est de humoribus, inclinationibus, infirmitatibus, &c. est distinguendum; nam vel de re in particulari non iudicant, sed in communi, & secundum regulas à nobis supra datas, aut in particulari: si primo modo, nihil etiam tenetur restituere etiam si res non ita eueniat,

autem dicas esse signum naturale, contra hoc est. Tum quia naturaliter loquendo, seclusa Dei speciali iussione, non est maior ratio, de diuite, quàm de paupere, vt Bona. docet. Præterea, quia vt supra ostensum est, ex mente D. Thom. nullum potest esse signum naturale, nisi sit vel ¹⁰⁷ causa, vel effectus, eius rei, cuius est signum: quod verissimum esse, & satis probatum supra reliquimus. Constat autem cometam non esse effectum ipsius mortis, seu belli, vt patet; nam mors priuatio est, & esto: Sit ens posituum: nullam causalitatem, aut connexionem, habere potest cum ignea illa substantia. Neque verò causa mortis aut belli naturalis esse potest, quia cum sit agēs naturale, per calorem, siccitatem & huiusmodi agere debet, & hæ qualitates, non plus in rege, quàm in aliis operantur. Naturaliter enim agunt, atque ita in magis propinquum operabuntur distemperiem, siue sit rex siue rusticus.

Id autem concedi potest, quod dum prædictus cometa magnæ quantitatis est, & intensi caloris, acrius operabitur in eos, qui delicatioris complexionis sunt. Et quia huiusmodi solent esse principes, ¹⁰⁸ qui mollibus vestiuntur, & vescuntur, & similiter mulieres, pueri, & senes; ideo prædici potest, non de alicuius morte in particulari, sed in communi, quod principum, & similium personarum mortes euenient. Atque idem est de bello, vt Ant. supra docebat. Excitat enim iram per calorem, & siccitatem nimiam, quæ bellorum causa est. Et ita existimo dici posse de eclipsi. Tunc enim debiles, vel infirmi, aut delicatiores, detrimentum patiuntur, ob vim & intemperiem stellarum conspirantium. Et ob id temporibus eclipsis, & similium solent principes mori, & similes personæ minimè robustæ. Neque aliter veram priorem sententiam putarem.

SEXTO colligo quid dicendum sit, de chiromantia, quæ est diuinationio per lineas naturaliter descriptas in manu. Multi enim probant, hanc diuinationis speciem, propter longam experientiam, quam haberi dicunt, de veritate euentuum. Verum meo iudicio, rectè Palatius eam damnat loco citato, & Cyruelo in suo tractatu de reprobandis superstitionibus par. 2. cap. 4. fol. 14. Alcocer. cap. illo 14. addens esse peccatum ea vti. Symanc. de Catholic. institution. cap. 21. nume. 18. Naua. in summ. lati. cap. 11. nume. 31. ad finem. imo in tit. illo 23. l. 2. part. 7. damnatur expressè diuinationio per palmas. Probat Cyruelo. Tum quia videmus filios, habere similes lineas cum parentibus, & tamen longe diuersos sortiuntur effectus. Vnde etiam duo extranei eademque habentes lineas diuersi euadunt.

SECUNDO quia sapius mutantur lineæ & tamen complexio non mutatur. Ego sic obijcio: contra hoc Astrologorum seu diuinandi genus. Nam quam proportionem habent illæ lineæ cum euentibus futuris non dico liberis, & omnino contingentibus (nam de his supersticiosum esset & vanissimum, & grauiter puniendum) sed etiam de euentibus naturalibus: vt cum iudicantur complexio, humores, & inclinationes, & naturales aptitudines, ad scientiam, &c. Quam enim (vt dicebam) connexionem habere possunt lineæ cum iis effectibus?

Non

Non enim eorum causæ esse possunt. Quam enim causalitatem habere potest linea in humorem & inclinationem, ad matrimonium, religionem, literas, &c. Nec signa etiam alterius causæ. Non enim apparet, vt sæpè ex doctrina D. Tho. docuimus. Quomodo sit signum naturale, nisi vel causa sit, vel effectus, vel saltem effectus causæ illorū euentuum, cuius certè connexionem vel rationem vix non dico vera sed ne apparens quidem poterit assignari. Neque video cur sit maior ratio de lineis manuum, quàm pedū vel totius corporis. Vnde casu magis quàm ad signandum euentus futuros, istæ lineæ factæ videntur. Est enim naturale, vt si manum constringas illæ lineæ resultent, quod cum fecerimus circa initia natiuitatis, cum reneram habeamus carnem, facilius tunc effici poterant, & vsu temporisque decursu magis confirmari. Quia tamen non omnes eodem modo aut pedes aut manus mouent, hinc est diuersitas in delineamentis multorum.

VERVM est sanè Arist. in Sect. problematum quæst. 48. docere respectu longitudinis & breuitatis vitæ, has lineas habere significationem. Quem locum Palatius interpretatur de lineis, & refert causam ad calorem cordis. Mihi tamen videtur ibi Arist. non loqui de lineis, sed de articulis, vt legenti patere potest, quamuis etiam de palmæ scissuris loquatur, de lineis tamen loqui non videtur. Sed tamen esto: demus habere significationem, respectu longitudinis vitæ, quasi sint signa complexionis bonæ, aut malæ: quod vix crediderim, non tamen illorum euentuum, vllō modo signa esse possunt. Et sanè etiam ridendum videtur, quod ij chiromantici dicunt, esse in palma 7. montes, Lunæ, ¹¹¹ Veneris, &c. atque eum qui in monte Veneris multas habeat lineas, fore mulieribus deditum, eum qui tot, aut tot lineas alibi habeat tot filios esse habiturum, & alia multa omni vanitate & superstitione plena. Sed non oportet in hoc opere de restitutione ista fufius persequi, quare ad nostrum institutum propius accedamus.

SEPTIMO igitur colligo, quod ad restitutionem attinet, istorum omnium; est enim iudicio meo distinguendum, nam vel id quod prædicunt, scibile est ea arte, aut omnino sciri non potest. Rursus si sciri non potest, aut re ipsa euenit, vt erat prædictum, aut omnino non euenit. Secundum hoc enim de restitutione est variè sentiendum.

PRIMUM igitur mihi videtur, quod si eam rem prænosticauerit, ¹¹² quæ & sciri poterat, & certò futura erat, vt de eclipsi & huiusmodi non peccat, nee restituere tenetur aliquid, siue spirituale, siue temporale, vt de se patet. Vbi enim nullum est peccatum, sed honestissima & laudanda ars, non est iniustitia, & per consequens non est restitutionis obligatio. Secundò videtur, quod si erat res, quæ sciri potest, sed non certitudine naturali, sed (vt supra explicauimus) vel frequenter, aut vt in pluribus, aut vt plurimum, vt sunt pluuia, tempestates, atque idem est de humoribus, inclinationibus, infirmitatibus, &c. est distinguendum; nam vel de re in particulari non iudicant, sed in communi, & secundum regulas à nobis supra datas, aut in particulari: si primo modo, nihil etiam tenetur restituere etiam si res non ita eueniat,

k 2

vt est prædictum. Primum enim spirituale non tenentur restituere, cum non docuerint falsam, vel superstitiosam doctrinam, vt supponimus: neque temporale, quia ipse bona fidei iudicauit & diligentiam adhibuit in iudicio ferendo. Sicut ergo medicus non tenetur restituere acceptum, etiã si res non ex voto contingat, vt putauerat, neque etiam damna secuta, modò diligentiam adhibuerit in officio debitam, ita &c. Vnde prædictus Astrologus neque acceptum, vt pluuiam prædiceret, vel lignorum cæsionem, vel vineæ: nec damna secuta, si forsan res non ita eueniat, tenebitur; & per consequens minus tenebitur, cum res ita euenierit, vt fertur hisce temporibus, de quodam aliàs pio Astrologo, qui secreto consilium dedit amico, vt seruaret triticum, & etiam vt fereret in aquoso loco, quia anno futuro sterilitas summa ventura erat: quod ita accidit, adeo vt amicus eius secutus consilium diues euaserit eo anno. Ille enim qui ita admonuit, proculdubio acceptum restituere non tenebatur, vt constat. Si autem de re in particulari iudicat, quæ sciri non potest, idem est iudicium ac cum de actibus liberis & similibus iudicat, vt de furtis, adulteriis, &c. De quo mihi tertio videtur dicendum. Primum facere restitutionem spirituales debere, falsæ scilicet & superstitiosæ doctrinæ, vt supra docebamus latius. Deinde etiam certum putamus, quòd damnorum restitutionem ex iudicio suo secutorum & reparationem debet: vt si quis de furto, vel de aliquo, quod sciri non erat possibile, vel de lite aliqua, & huiusmodi in qua spe confusus, alter expensas fecit, vel alia sensit damna. Sicut etiam non excusarem medicum, qui impossibilem, & omnino incurabilem morbum sanare se profiteretur, maximè sciens esse incurabilem; ille enim proximum fallit, & damna sentire iniuste facit. De acceptis autem pro iudicio tali ferendo, posset aliquis dicere generaliter esse restituenda. Est enim turpe lucrum contra legem & per peccatum acquisitum. Igitur ex sententia ferè omnium Theologorum infra citandorum. c. 2. lib. 3. est pauperibus restituendum. Et ita apertè docuit Gratianus in cap. qui habetis 14. quæst. 5. sic dicens, *ex malo acquiritur, quod ex causa turpi possidetur, veluti cum Mathematicus ex arte quam docet, vel ex futuris qua prænuntiat nonnulla lucratur, quæ inquit pauperibus restituenda sunt.* Ego tamen distinguendum puto, nam vel res ita euenit, & tunc aut euenit casu, vel arte Diaboli. Humana enim arte prouenire non posse iam supponimus, & probauimus, aut certè res non euenit. Si non euenit planè non pauperibus sed danti restituere tenetur: cum enim sciri non possit, non potest verè dici fecisse, quod est in se, sicut dicebamus cum res sciri poterat, sed alia extrinseca causa, sine culpa sua est impeditus effectus. Et sicut de medico, qui non efficaciter sanat, faciens quòd est in se, dicebamus. Sed potius dici potest illulisse proximum, & pecuniam iniuste & inuoluntariè retinere, sicut ceteri seductores, & alij qui falsis vanisque verbis proximos eludunt.

Si autem euentus est subsecutus; quia scilicet, res perdita est inuenta, & huius

& huiusmodi, tum puto non esse restituendum etiam pauperibus, quia licet turpe lucrum sit ex arte Diaboli, & peccato acquisitum, tamen illi voluntariè oblatum est: & ipse suam operam licet turpem apposuit, vt latè cap. 2. lib. 3. probabimus, licet contra communem sententiam. Si verò casu eueniat res, sane difficilis est hic articulus, videtur enim teneri, quia pecunia datur illi propter laborem seu operam aliquam ab eo impensam, at ille nihil in ea re est operatus. Sicut si aliquis ignarus penitus medicinæ, se magna infirmitate aliquem curaturum profiteretur, cui herbas impertinentes applicaret, casu tamen ille sanus est effectus, non videtur sanè quòd acceptum retinere possit. Dans enim potest iuste esse inuitus, cum nihil omnino contulerit, sed ipse alia via sanatus sit, sic &c. Longiores fortasse fuimus in hac quæst. quàm necesse alicui videretur, ignoscat tamè lector, res enim pernecessaria & à paucis disputata, ita postulabat. Quare de temporalibus pœnis omnium illicitorum Astrologorum hic non disputamus, legatur caput, ex tuarum, de Sortilegiis, & 26. quæst. 5. can. non oportet, & cap. si quis episcopus, & alia plura capita dictæ quæstionis & in l. 3. tit. 23. par. 7. pœna mortis infligitur illicitis diuinatoribus, & in pragmatice regis Ioannis 2. & 1. tit. 4. lib. 8. ordinamenti.

*Secunda pars huius capituli de lædente in bonis
spiritualibus annexis.*

HIMVS in prima huius capituli parte de lædente in spiritualibus bonis, quæ ad animum pertinent. Modò agere oportet de damnificante in spiritualibus annexis. SIT igitur. Prima dubitatio, vtum qui in his bonis annexis damnificant teneatur ad restitutionem, vt prælatus, qui confert dignitates, & beneficia Ecclesiastica, vel indignis, vel minus dignis? In qua quæstione, vt manifestum suppono, esse peccatū mortale indignum eligere, digno prætermisso, vt docet D. Thom. 2. 2. quæst. 63. art. 2. & omnes qui de hac re disputarunt. Imo ad restitutionem faciendam teneri Ecclesiæ, vt infra dicemus & docet Syluest. rest. 3. quæst. 5. dicto primo. Si enim mortale esset peccatum (quod est sine dubio) in secularibus officiis indignum admittere, quantò magis in Ecclesiasticis officiis & beneficiis honoribusque deferendis peccatum erit mortale cum restituendi obligatione, vbi multò maiora damna non solum temporalia, sed spiritualia in animarum perniciem consequi necesse est? Secundò fatentur omnes quos infra citabo & singulariter Gabr. in 4. dist. 15. quæst. 7. dub. 1. not. 2. & concl. 1. Syluest. verb. *acceptio personarum*, quæst. 1. & elect. 1. quæst. 16. Palud. in 4. d. 15. quæst. 2. art. 2. cõc. 4. Coua. in regul. peccatorum 2. part. §. 7. Nauar. cap. 17. num. 72. Anto. 2. part. tit. capit. 20. §. 1. Adria. in 4. §. determinatum quæst. de rest. Henr. Quodlib. 14. quæst. 11. in fin. Merc. capit. 17. *vers. cerca de las*, ad finem &

verf. si fueren, & verf. todo esto. Omnes ij & quotquot ego legi, maximè Theologi fatentur esse peccatum mortale acceptionis personarum ex-
 121 cluso digniori, minus dignum, etsi dignus sit, eligere. Id primum probatur ex cap. licet ergo 8. quæst. 1. Vbi sic ait Hieronym. *Vt sciant omnes & certi sint, quòd qui præstantior est ex omni populo, qui doctior, qui sanctior, qui omni virtute eminentior, ille eligitur ad sacerdotium.* Et in capite Metropolitano 63. dist. inquit: *Metropolitano defuncto, &c. omnium clericorum & civium voluntate discussa ex presbyteris optimus eligatur.* Idem docuit Bernardus libro de consideratione ad Eugenium quem ego nõ vidi. Ad idem citatur Chrysoft. Idem docuit August. in illud Iacobi 2. *Nolite fratres mei in panarum acceptione habere fidem Domini nostri Iesu Christi gloria: Quis ferat* (inquit Augustinus) *eligi diuitem ad tenendum honores Ecclesie gloria contempto iustiori & sanctiori?* Et Innocentius 3. in c. vnico tit. vt Eccles. benefi. sic ait: *Debuit ecclesiasticum officium & beneficium in persona magis idonea dispensare.* Ex quibus Pontificum & sanctorum sententiis, videtur sequi esse peccatum mortale minus dignum eligere prætermisso digniori. Maximè ex illo Leonis Papæ. Et Innocent. 3. Quæ Decreta saltem iuris positiui esse videntur. Cui accedit sacri Tridentini Concilij apertum decretum Sess. 24. decreto. 2. de Reformatione capitul. 1. Monet sancta synodus, vt meminerint eos alienis peccatis communicantes mortaliter peccare, nisi quos digniores & Ecclesie magis vtiles iudicauerint, non precibus aut humano affectu, aut ambientium suggestionibus, sed eorum exigentibus meritis præfici curauerint. Et de Episcopis docuit in d. capit. 1. & in capit. 18. de Beneficiis Curatis non minus apertè statuit id esse obseruandum, vt scilicet ex approbatis idoneis melior eligatur. Vnde in pragmatica Concil. Basl. iuramentum exposcitur ab electoribus, vt
 122 meliorem eligant.

123 Ex quibus colligo peccatum esse mortale dimittere digniorè etiam si dignus eligatur, saltem in beneficiis Episcopalibus, & parochialibus ob dispositionem prædictorum iurium. Vnde sententia Glossæ in cap. licet ergo citatum, asserentis non esse necessarium eligere digniorem, vt ex dictis patrum, & iurium dispositione constat, rationes verò Glossæ facile solui possunt. Quia si tantum esset vnus bonus licitè eligeretur. Cur ergo aliorum bonitas maior debet isti præiudicare. Item quia tutor sufficit, vt bonus eligatur si sit de eadem ciuitate, ergo similiter si beneficiatus de eadem Ecclesia eligatur, sufficere esse bonum, si tamen de aliena Ecclesia prælatus, vel de aliena ciuitate tutor eligendus sit fatentur ipsi debere esse optimum. Tertiò denique obiicit, quia ex alia opinione sequitur, quòd aliquis peccaret benefaciendo. Quia posset meliorem rem facere, & quòd magister peccaret legendo. Quia posset melius facere scilicet orare. Hæc igitur omnia, & alia quæ adducit ex ratione nostræ conclusionis eneruantur, quia probauimus esse de iure naturali & diuino meliorem eligendum. Quoniam est personarum ac-
 124 ceptio, quòd planè contra iustitiam est.

S E D

S E D tamen quo pacto ratione ostendi possit esse peccatum acceptionis personarum, quòd est iustitiæ distributiue aduersum, non facile est. Si enim D. Th. & omnes Scholastici (vt diximus) ex eo probat esse peccatum mortale, quia violatur distributiua iustitia, tamen id nõ ita lucidè mihi ab ipsis probari videtur. Posset enim quis dicere tenès opinionem Glossæ, quòd cum Ecclesiastica beneficia, vel ex sua institutio-
 125 ne, vel ex præcepto superioris sint in vtilitatem Ecclesie, vt illis veluti stipendiis prouideantur in Ecclesia idonei ministri, & id satis impleatur per bonos & dignos, sequi, non facere contra iustitiam vel fidelitatem, qui dignos præficit, etiam si digniorem dimittat, nec est vlla personarum acceptio, cum illis nihil debeat, sed Ecclesie debeat potius recta gubernatio, cui debito optimè satis fit per bonorum ministrorum electionem. Et quando non satisfaceret, tamen non esset personarum acceptio, sed infidelis quædam dispensatio, cum illis quibus danda sunt beneficia nihil debeat in communi. Sicut dato quòd dispensator Regiæ eleemosinæ daret eleemosinam indigentibus, etiam si indigentiores non admitteret, non esset peccatum acceptionis personarum, contra iustitiam distributiua, cum illis nihil debitum sit, sed tantum eleemosina illa instituta sit pro indigentibus. Vnde si indigentibus da-
 126 ta est, non videtur peccasse dispensator. Quare elaborandum est, quo rationem naturalem reddamus, cur illud peccatum sit acceptionis personarum, siue id sit ex institutione, & de natura beneficiorum, siue ex præcepto & dispositione iuris positiui, vel superioris alterius.

S O T V S ergo inter omnes plures confert rationes, vt probet de iure diuino esse meliorem eligendum. Primum ex fundamento proximè citato. Quia scilicet ista bona sunt stipendia ministrorum, ergo lege iustitiæ cõmutatiue & fidei seruandæ Deo & fidelibus decimas soluētibus, tenetur meliorem eligere. Sed vnde locus? Primum non inde colligitur esse acceptionem personarum, sed violari commutatiua iustitiam cum damnum fiat toti Ecclesie, & Deo iniuria, quibus non seruatur fides. Imo neque hoc conuincit, sed oppositum potius. Quia si instituta sunt hæc bona pro alimentis ministrorum bonorum, non facit vlli iniuriam, qui bonos ministros eligit. Vnde enim probat iure diuino aut naturali esse institutum, vt alantur meliores? Dicit Sorus conclus. 2. quòd Ecclesia se habet ad instar principis, qui certa stipendia assignat ministris suis, præcipiens eis vt dignioribus dispensentur, & ita lædit iustitiam commutatiua cum decimas ob id soluat Ecclesia prælatis, sed iam rem ad præceptum Ecclesie reducit. Nec est verum, quòd ea
 127 lege dentur decimæ prælatis, vt meliores eligant. Vbi enim est ista conditio. Licet enim conditio, vt bonos instituant ministros sit implicita in decimarum solutione (alias esset elector in culpa lata) tamen quòd melioribus conferat, nec ex vi contractus decimalis implicita conditio est, cum non teneatur de leui aliquis ex delicto, sed ex lata culpa, & ita non tenetur esse diligentior, & esto, teneretur (quia vt c. 5. in hoc lib. 2. dicemus de leui culpa in officio teneretur, qui stipendiū ob officiū habet) satis esset diligentior esse in bonis ministris prouiden-
 128 dendis.

dendis. Deinde obiicit, quia iure diuino beneficia sunt gratis conferenda. Sed qui meliorem dimittit iam non gratis confert, sed humano respectu, sed friuolum est hoc. Quia si confert digno, nihil refert, si aliqua humana affectio intercedat, modo absit pecunia. Hæc enim sola facit, ut non gratis conferatur beneficium, sicut etiam quando sunt pares, necesse est aliquo humano fine moueri, aliàs nullum eligeret. Deinde obiicit. Quia qui ex duobus beneficiis confert pingius minus digno, iam excipit personam, cum consideret qualitatem extra causam. Ergo similiter, qui vnicum beneficium minus digno confert. Responderi enim potest, quod cum talia beneficia non sint communia bona illis debita, sed tantum sit debitum respectu Ecclesiæ, ut habeat idoneum ministrum, nullam facit Ecclesiæ iniuriam, si bonum eligit, etiam si non det illi meliorem. Denique nisi prius probetur Ecclesiastica beneficia esse debita fidelibus laborantibus, ut communia bona, quemadmodum debita sunt spolia militibus, nunquam probabitur esse personarum acceptio. Imo neque vllum peccatum contra ius naturale, aut diuinum, etiam si eminentior relinquatur, si dignus in dignitate præficitur. Dixi *contra ius naturale, aut diuinum.* Quia, ut supra ostendi contra Glos, peccatum est mortale contra ius humanum. Alia argumenta sumit Sotus ex Paulo describente mores Episcoporum. Et ex Christo eligente Petrum, qui tunc erat melior, quæ rem minimè conuincunt. Quæ verò ex humano iure, & patrum testimonio adducit, iam ea quæ vim habent supra attulimus. Modo de ratione naturali, aut diuino iure contendimus.

129 *QVARE* ea ratio vrgentior mihi videtur ad hanc rem probandam, quæ tangitur à Soto in secundo loco. Quia præmia ex iustitia distributiva debentur dignioribus. Hoc enim postulat ratio præmij, ut melius decertanti tribuatur. At Ecclesiastica beneficia præmia sunt laborantium in virtute & litteris, quod etiam si Sotus non ita planè explicuit, ex eo tamen ita declaratur ab aliquibus. Quia ex omnium sententia (dicunt isti) personarum acceptio committitur dimittendo digniorem, quod est contra iustitiam distributiuam. Igitur illa sunt bona communia & laborantibus debita, & propterea debentur digniori. Hæc est præcipua ratio huius, rei ut isti explicant. In qua videtur esse duplex defectus. Primum quia supponit probandum. Probare enim contendimus quo pacto sit personarum acceptio, quod rectè probant, quia sunt præmia, & de ratione præmij est, ut digniori detur, sed vnde constet esse præmia hoc non probant, nisi quia doctores dicunt esse *130* personarum acceptioem dimittere digniorem, & ita vel committunt circulum (ut aiunt) in reddenda ratione, vel res ad authoritatem hominum deuoluitur, non ad ius diuinum, vel naturæ. Secundo, quia vel sunt præmia ex sua institutione, vel ex præcepto Ecclesiæ, non ex institutione beneficij, quia aliàs simplicia beneficia essent dignioribus conferenda: nec est dicendum esse in statu damnationis, qui Canonicatus, præstimoniam, & alia simplicia beneficia sine oppositione & disquisitione dignioris conferunt, ut infra dicemus. Item ante Concil. Trid. neque Episcopatus, neque Curatus dignitates, &c. dignioribus conferebantur, *131* sed

sed satisfieri putabat, si digni assumerentur. Si verò ex Ecclesiæ statuto, tunc tantum esset personarum acceptio in curatis & episcopatibus. Nam id solum videtur cautum in iure, & etiam, quia iam ad ius positiuum reuoluitur tota res ista. Hæc sunt quæ Doctores docent, & quæ nos eis obijcimus, nunc quæ nos arbitramur attendite.

132 *PRO* declaratione igitur, quasdam propositiones ponere placet. Prima qui eligit indignum peccat mortaliter, ut initio dicere incipiebam. Tum propter transgressionem legis positivæ. Tum quia facit contra iustitiam commutatiuam, ut Sot. bene probat lib. 3. quæst. 6. art. 3. in 2. conclus. Ob id enim fideles decimas pendunt, ut sibi idonei ministri assignentur, qui sacramenta conferant, prædicent, &c. Et ita apertè declaratur in cap. graue nimis, de Præb. & dig. Vbi sapientissimus ille Innocentius 3. sic ait. *graue nimis est & absurdum, quod quidam Ecclesiasticorum prelati, cum possint, &c. & suspensionis pœna damnatur tam conferens, quam recipiens,* qui sunt horum damnorum efficaces causæ, ut Innocentius in dict. cap. subiicit dicens, *quanta in Ecclesia damna proueniant, nemo sana mentis ignorat.* Tum ob acceptioem personarum, quæ hic plana est. Tum quia non solum damna Ecclesiæ facta restituere tenetur tam conferens, quàm recipiens, sed etiam beneficium ipsum restituere tenetur ei, qui dignus erat. Denique quia qui beneficium acceptat *133* indignus cooperatur peccato conferentis, & furtum committit vsurpando, quod ad se nulla ratione pertinet. Imo fructus perceptos restituere tenetur, quos nunquam fecit suos, ut infra latiùs explicabo.

SECUNDA propositio. Qui confert Episcopatum, vel curatum beneficium, aut cathedram digno, relicto digniore, peccat contra ius naturæ iustitiæ distributiæ & contra ius diuinum. Ratio est, meo iudicio, quia Ecclesiastica beneficia ex Ecclesiæ saltem & fundatorum ordinatione digniori conferenda sunt, quod ob iustissimas causas Ecclesia & fundator statuerunt. Iam ergo, illa bona facta sunt communia ab eo, qui illa communia facere potuit, scilicet ab Ecclesia, vel fundatore, vel certè à fidelibus decimas soluentibus, ac proinde pro personarum dignitate distribuenda: sed cum est aliquid diuidendum inter aliquos, *134* siue id sit factum commune ex lege humana, vel ex natura rei, debitum est iis, inter quos res est distribuenda secundum proportionem dignitatis personæ. Ergo hîc reperitur vera ratio iustitiæ distributiæ. Ergo qui illam inæqualem æqualitatem lædit, iustitiam distributiuam lædit, sicut qui æqualitatem æqualem iustitiæ commutatiuæ lædit, iustitiam lædit commutatiuam. Accedit etiam secunda ratio quam ex Soto, sicut meliorem reputauimus. Quia ista saltem beneficia sunt ab Ecclesia & eorum institutoribus, ut præmia virtutis & literarum proposita. Ita enim docuit dictus Soto conclu. 9. in 2. ratione. Licet libr. 4. art. 3. in solutione ad tertium, quæst. 6. contra senserit. Sed id latè probat Gab. dubio illo 1. concl. 2. Et Anto. 3. part. tit. 1. cap. 21. citans caput nihil de electionibus. Quod in Cathedralis euidentius apparet. Nam licet & *135* episcopalia beneficia, & curata ex principali institutione sint ad stipendia ministrorum soluenda, tamen etiam sunt præmia eorum, qui

in Ecclesia proficiunt meritoque ne doctrina & virtus neglecta iaceat si ista præmia & dignitates non essent propositæ. Nam honos alit artes & omnes iis præmiis capti ad studia literarum, & excellentis virtutis accenduntur. Vnde quo minus honoris erat olim Theologis, eò minora studia fuerunt: Ecclesia ergo, vt optimorum ministrorum copiam haberet, voluit, vt d. beneficia, & simul stipendia essent ministrorum, & laborum præmia. Et cum de ratione præmij sit vt digniori concedatur, sequitur ex iustitiæ distributiæ ordine atque præcepto esse dignioribus conferenda. Vnde non indoctè Sotus in postrema præcipuè ratione arbitratus est hanc conclusionem ex eo etiam comprobari. Quia nisi in beneficiorum dispensatione haberetur tam exacta ratio meritorum, & mutua emulatio. Nemo esset qui studia literarum sequeretur. Nemo qui virtutem, Nemo qui in has dignitates præficeretur nisi qui essent potentiores, vel ad Curiam aptiores ex quo magnum detrimentum Christianus populus acciperet, vt egregiè docuit Innocen. in d. c. graue nimis. Cuius profecto rei ipsa experientia potest esse testis. Nam vbi ista beneficia & officia melioribus conferebantur, vt tempore Augustini, Basilij, Ambrosij, &c. in magna doctrinæ, & virtutis luce Ecclesia fuit. Et hæreses & ignorantia, & morum peruersitas e contra ob vnam in hacre negligentiam introducta in eadem Ecclesia fuerunt. Adeo, vt non solum meliores, sed ne boni quidem Prælati & Curati inuenirentur. Atque ita post salubrem constitutionem Tridentini Concilij, tam in episcoporum, quam in parochialium prouisione, reuocata illam antiquam virtutem, & doctrinæ lucem videmus. Et deinde morum reformationem tam ipsius cleri (qui in litteris occupati otium non admittebat) quam ipsius Christiani populi, qui sana doctrina & moribus optimis talium prælatorum imbutus, summa cum laude, ne dicam propria salute florere cœpit & floret. Est igitur in summa, hæc ratio, quod cum ex dicta meliorum sacerdotum prouisione Ecclesiæ bona disciplina confurgat, ex contrario verò summum Ecclesia damnum capiat (ex penuria nempe non modo optimorum verum etiam bonorum ministrorum) aperte consequitur prædicta bona esse in Ecclesia tanquam præmia laborantium & magis proficientium, ac proinde lege iustitiæ distributiæ iure ipso naturali, & diuino cogente esse melioribus conferenda. Tertia propositio. Non modo peccatum est mortale, verum ad restitutionem tenetur, qui magis dignum dimittit. Ita docuit Caiet. 2. 2. super q. 62. ar. 2. dub. 3. & Barth. Medi. li. 1. sum. c. 14. §. 32. Et primum declaro restitutionem Ecclesiæ nullam deberi, sicut reuera debetur, cum eligatur malus, vt supra dicebam. Nam si bonus est, Ecclesiæ nulla fit iniuria, cum suum officium rectè & laudabiliter exsequatur. Quod enim alius laudabilius, & rectius faceret, non est iniuria aut damnum Ecclesiæ, nisi forsan. (vt supra dixi) ob periculum futuri damni in bono communi. Quia boni etiam deficerent, huic tamen ecclesiæ in particulari non videtur fieri iniuria. Restitutio ergo facienda est dimisso.

IN quo scire oportet plures esse Theologos, vt Sotus lib. illo 4. q. 6. ar. 3. ad 6. & Nauar. c. 17. nu. 72. qui cum fateantur esse peccatum mortale

tale non eligere digniorem, dicunt tamen restitutionem nullam esse faciendam dimisso. Quia dicunt peccatum est contra charitatē, non contra iustitiam. Quod nos sic probare possumus. Quia licet beneficia prædicta sint bona & præmia communia. Et consequenter sint præstantioribus conferenda, tamen ista constitutio non est facta in fauorem eligendorum, sed in gratiam Ecclesiæ, vt non desit illi perpetuo copia saltem bonorum ministrorum. Si ergo fauore Ecclesiæ & non eligendorum edita est prædicta constitutio, sequitur, vt si semel satisfecit Ecclesiæ eligendo dignum, non teneatur aliquid restituere dimisso. Licet contra fidelitatē boni æconomi peccauerit. Ponit exemplum Nauar. de domino, qui suo ædificio præciperet, eligi magis idoneos. Præfectus enim dimittens digniorē, nō dimisso, sed domino cuius ædificiū est malè vel non ita bene constructū, tenebitur. Aliàs posset dignior in iudicio petere quod est dimissus. Talis enim vsus ait Nauar. nusquā in Ecclesia fuit visus. Et huius sententiæ à Soto refertur Adrianus q. de Restit. beneficiorum, & tenet Couar. §. illo 7. num. 6. Sed hæc doctrina mihi certè non placet, ideo claritatis gratia rem paulatim explico. Primum, fatendum est illā cōstitutionē, vt digniori detur, principaliter factā esse fauore Ecclesiæ, vt ratio facta à nobis pro istorum opinione probat. Quā latius explicauit in si. secundæ propositionis. Et id ex eo etiam constat. Quia si essent duo beneficia, vnū pingue, sed nō adeo indigens, vt episcopatus Toletanus, & aliud minus pingue, sed magis indigens, vt Granatenfis (sic enim Sotus exemplū ponit. Nā tunc Sarraceni ibi degebant) non dubium quin posset Papa, & Rex digniorem minus pingui beneficio afficere, nec rationabiliter conqueri posset, id ergo signum est præcipuè in gratiam Ecclesiæ statutum esse, vt digniori detur, id est, vt ille semper eligatur, qui melior sit Ecclesiæ. Vnde (sicut supra dixi) quod bonus præficiendus est Ecclesiæ iure naturali, & diuino ex præcipua obligatione, & institutione beneficiorum, quæ est ad alendos dignos ministros minus verò præcipuam esse, vt dignioribus dentur, vt sint communia præmia, ita modò dicendum de hoc secundo membro quod esse communia bona, & melioribus conferenda præcipuè in fauorem Ecclesiæ institutum est ab humano iure, vel superiore.

SECVNDO ergo dicimus, quod esto, ita sit, vt ratione Ecclesiæ principaliter sit dignior eligendus, tamen nō est negandū, quinetiā fauore eligendorum sit illa edita cōstitutio. Licet minus principaliter, ita vt, cessante vtilitate Ecclesiæ habenda sit ratio vtilitatis eligendorum, quod ex eo constat. Quia vnde colligunt oppositū, cum hæc obligatio prima secundā non tollat. Tum quia ipse Nauar. Sot. & Adria. fatentur esse communia bona, licet ex secundaria obligatione. Tum quia vt probauimus & ipsi fatentur, illa sunt præmia proficietium in Ecclesia, & ita ad illos habitū esse respectū necesse est. Præmium enim non est propositū Ecclesiæ, sed eligēdo. Tum quia aliàs cessaret studiū & honestissima æmulatio, nisi vnusquisque intelligeret aliquo pacto ad suos labores & merita esse respiciendum. Vnde tandem accederet tempus; vbi etiam idonei deficerent. Tum denique si essent duo beneficia non æque

¹⁴² pingua, & ecclesie æquè indigentes, & essent duo, alter dignus, alter dignior, non dubium, quin ex præcepto saltem Ecclesie pingue esset conferendum digniori, & tamen tunc non ratione Ecclesie, quia utraque æquè indiget, ergo ratione eligendorum conferendum est iuxta iuris constitutiones, id est, meliori. Tandem quia aliàs nulla esset personarum acceptio. Si enim non gratia ipsorum, sed solum Ecclesie facta est institutio. Ergo illi nullum ius habent. Ergo nullum esset peccatum acceptionis personarum cuius contrarium fatentur Theologi. Igitur utraque obligatio est, nempe ad Ecclesiam, & ad eligendos. Licet ad Ecclesiam sit principalior.

¹⁴³ Et propterea alij fatentur esse quidem peccatum, non solum contra charitatem; sed etiam contra iustitiam, sed dicunt non esse obligationem restituendi: Quia est contra iustitiam distributivam, quæ non exposcit restitutionem. Hanc sententiam possumus hac vrgenti ratione (vt mihi quidem videtur) probare. Quia vt omnes doctores ex D. Thom. fatentur. Et latè suprâ probauimus lib. 1. c. 2. Omnis restitutio est actus iustitiæ commutatiuæ. Ergo nullus tenetur restituere ex sola læsione iustitiæ distributiuæ. Sed qui malè distribuit prædicta beneficia, digniorem scilicet dimittendo, solum peccat contra ordinem iustitiæ distributiuæ. Ergo nulli est obnoxius restitutioni, & huius etiã sententiæ, est Merc. c. 17. versicul. *todo esto* tracta. de restitutione, & Sor. lib. 4. quæst. illa 6. art. 3. ad 6. Quia inquit, licet sit contra iustitiam distributivam, sed non obligat restituere. Quia non est iustitia distributiva, sicut cum agitur de bonis communibus ciuitatis, &c.

¹⁴⁴ M I N I sanè longè videtur secus, teneri scilicet restituere digniori officium seu beneficium, imò & fructus quos percepisset ex tempore quo exclusus est, vt docuit Caiet. dub. illo 3. & Med. vbi supra. Hanc sententiam mihi persuadeo hac valida ratione. Quia vt lib. 1. cap. 2. probaui duplici constanti ratione, sola iustitiæ distributiuæ læsio inducit obligationem restituendi, vt enim hîc vno verbo dicam, iustitia omnis est dare vnicuique, quod suum est. Ergo qui quamcunque iustitiã lædit, aufert à proximo quod suum est, sed quicumque abstulit à proximo quod suum est in conscientia restituere tenetur. Igitur apertissimè consequitur ex cuiuscunque iustitiæ transgressione, nasci obligationem restitutionis. Aliàs diceremus ducem in bello, qui in distribuendo spolia, non seruat debitam proportionem, secundum personarum dignitatem, non teneri ad restitutionem. Quod est planè absurdum. Cùm ergo probatum sit ista beneficia esse conferenda, secundum dignitatem personarum, tam ex legis positiuæ ordine, quàm ex eo quòd sunt communia præmia bonorum, non dubium, quin illi habeant ius, & distributiuam iustitiam ad illa, secundum personarum dignitatem, & per consequens præteriens hunc ordinem damnum manifestum inferat, & ad restitutionem teneatur. De Episcopalibus verò beneficiis, vide infra illatione 16. vbi hanc propositionem temperabimus Sed responderet Sotus in illa solutione ad sextum, concl. 2. quod licet iniustitia prædicta obliget ad restitutionem, id est solum verum, quando bona reip. vel exerci-

tus sunt

tus sunt distribuenda, quia tunc illis principaliter debentur, &c. Sed id iam nos exclusimus. Adde, quia cur rogo impediens à beneficij consecutione tenetur restituere, nisi quia ille habet ius petendi & procurandi? Si ergo iste præ aliis maius ius habet petendi: illi ergo fit iniuria distributiua non conferendo.

¹⁴⁶ Q V A R T A propositio sit de alijs generibus beneficiorum à duobus prædictis, scilicet de Canonicatibus, & personatibus Ecclesiarum Cathedralium, & collegiatarum, de præstimonijs, & simplicibus beneficijs, & sanè de his facile est iudicare. Nam cùm Doctores citati indistinctè doceant de omnibus beneficijs Ecclesiasticis esse dignioribus conferenda, sub peccato acceptionis personarum, & id iura antiqua, & patres docuisse videantur, indèque necessario colligatur obligatio restitutionis (vt dixi) dicendum esset & mortaliter peccare prælatos, qui non conferunt dignioribus, & ita ferè omnes essent in statu damnationis, & quod ad restitutionem tenerentur. Quæ acerbissima esse videntur, si concedantur, maximè cùm Concilium Trident. sola Episcopalia beneficia & Curata dignioribus esse conferenda decreuerit, ex quo videtur concessisse cætera ad arbitrium Prælati distribui posse. Et cum de Canonicatibus esset sermo. Sess. 5. decreuit Canonicatum ¹⁴⁷ lectoris, & si qui alij sunt huiusmodi, digniori esse conferendos, & ita hodie seruat. Vnde videtur cæteros Canonicatus arbitrio superioris legitimi reliquisse. Et in his fortasse locum haberet opinio Glossæ suprâ citatæ Hugonem secutæ, quamuis illa de prælatis apertè loquatur, & fateatur, si de aliena Ecclesia assumatur, non satis esse, vt sit bonus, sed optimum esse debere.

¹⁴⁸ R E S P O N D E O ergo vt nobis. pro nunc videtur, non esse peccatum ista beneficia dignioribus denegare, modò tamen dignis conferantur, quis verò sit dignus infrâ dicemus. Ratio est, quia si de iure humano sermo est, nullum videtur peccatum. Nam Concilium Tridentinum de Episcopatibus, Curatis & Canonicatibus Cathedræ loquitur. Antiqua verò iura non ita plana sunt, quæ si essent, vt est cap. 1. vt Ecclesiast. benef. vbi sermonem facit Innocen. 3. de benef. non curato, tamen iam oppositum est introductum, & ipse Papa facit vt abrogata videatur illa constitutio. Si verò de iure diuino & naturali loquamur, ¹⁴⁹ non videtur in his currere beneficijs. Nam vt suprâ dicebam ex natura rei non videntur, esse bona communia, & de certantibus debita, & ita nullam committi iniustitiam aut personarum acceptionem, si dignioribus non conferantur, sed tota res commissa videtur Papæ & prælatis Ecclesie, vt ipsi arbitrio suo prouideant bonos & exemplares ministros qui etsi non sint meliores, tamen non ociosi & cum scandalo viuunt. Et ita magnopere putamus prospiciendum, vt liberati assumantur, qui vt plurimum, honestiores esse solent. Et ratio est in promptu, nam illiterati tam per ignorantiam, quàm per orium flagitiosi esse solent, at literati homines per ignorantiam peccare non possunt, otio autem non tantùm loci est propter studium, & literarum occupationem, atque ita melius & vtilius consulitur Ecclesie Dei isto modo. Vnde Sotus art. ¹⁴⁹ illo ad primum putat non esse peccatum (nisi rarò) relinquere dignio-

rem: sed dicit peccari semper peccato acceptionis personarum, quod ego sanè non intelligo. Nam si peccatum est semper, & id contra iustitiam distributivam, cum ut ipse simul fatetur, sit materia gravis, nescio cur non sit mortale. Sed ut dixi ad vitandum peccatum non videtur necessarium, aut quòd sit eminentior, aut quòd sit literatus: sed satis est, quòd suum munus exequi sciat, & soleat, quod pulchrè explicavit Innocen. 3. in. d. cap. graue. Cùm grauerè reprehendit eos, qui non assumunt idoneos, sed indignos. Explicat quid sit indignus, cui scilicet, nec morum honestas, nec literarum scientia suffragatur, idoneos verò eos esse, qui Deo & Ecclesiæ gratum impendere famulatum velint & valeant. Et ita docuit Glossa in cap. licet ergo. citatum, quòd ille bonus est, qui non scitur esse malus. Et ita dicendum est de beneficijs patrimonialibus, in quibus non est necessarium esse meliorem, aut literatum, sed arbitrio patroni, modo tamen sit aptus ad suum munus, & non sit malus, & ita habetur in cap. monasterium. 16. quæst. vlt. Vbi dicitur quòd potest cui voluerit commodare, si malus non existit, & ita docuit Sot. vbi supra, Couar. in reg. peccatū. 2. p. §. 7. num. 5. S. Th. 2. 2. q. 85. art. 3. Licet oppositum dicat Mai. in 4. dist. 24. q. 7. idem Concil. Trident. Sess. 25. cap. 9. de reformatione, quòd limitat Sotus nisi beneficium haberet curam animarum. Tunc enim iniquissimum putat, ut dignior dimitatur.

Ex his ergo oportet quædam inferre, primum: malè docuisse Sotum lib. illo 3. quæstione 6. articulo 2. quòd ex iust. commutativa prælati tenentur meliorem eligere, & non ex distributiva, quia inquit sacerdotia non sunt præmia meritorum, sed quia electores tales ministros (meliores, scilicet) debent Ecclesijs ex ratione iustitiæ commutativæ, cùm dentur illis decimæ, ut meliores ministros quærant, sicut etiam ex iustitia cõmutativa tenentur sacramenta ministrare, prædicare, &c. ob quæ munera dantur decimæ. Id inquam non placet: Primum quia ut probauimus iure naturali & diuino non est melior eligendus, nisi supposita ordinatione Ecclesiæ, qua supposita iam est iuris naturalis, (ut diximus) sicut in Canonicatum, verbi gratia cathedræ, post ordinationem Ecclesiæ de iure naturali est, ut detur meliori, cùm antea non esset, at si ex natura contractus decimalis fidelium cum prælatis nasceret hęc obligatio: sicut sacramenta dare illis, est iuris naturalis iustitiæ commutativæ, ita & hęc esset. Secundo quia ut supra ostendimus ex D. Tho. & omnibus peccatum acceptionis personarum est omittere digniorem, quòd certè non est contra commutativam, sed contra distributivam. Tandem, quia ut supra obijciebam, cùm examinarem rationes Soti. Vnde colligit ipse teneri electorem meliorem præficere? Dicit quòd ex natura contractus decimalis, quia ob id dantur decimæ. Sicut tenetur principis minister meliores eligere, si ei assignetur stipendium, ut dignioribus dispenset. Sed contra, quia talis conditio non est explicita in decimarum sole. Nec implicita quia ex delicto nullus tenetur, nisi de lata culpa, at non est lata culpa, si idoneum præfecit, sicut non peccat ministrando sacramenta & prædicando, &c. bene & laudabiliter

biliter sine lata culpa sua. Alias teneretur ex iustitia commutativa ex vi decimalis contractus, meliori modo quo posset prædicare, sacramenta dare, &c. quòd est absurdum. Denique quia, qui eligeret idoneum teneretur restituere aliquid Ecclesiæ, siquidem omnis transgressio iustitiæ commutativæ inducit obligationem restituendi, quòd profecto in Ecclesia numquam visum est: quid enim restituet, si Ecclesia nullum 153 damnum passa est: nisi solùm, quòd non habuit præstatiorem? quæ verò Sotus adducit eadem 2. conc. ex illo *dignus est operarius* &c. probat meliorem, sed bonum esse eligendum, & id ex ratione iustitiæ commutativæ, ut ipse bene docet, & nos supra diximus.

SECUNDO infero malè ex hac doctrina intulisse Sotum conc. illa 2. quòd beneficia non sunt instituta, ut præmia meritorum. Quia ut supra diximus, & si præcipua institutio sit, ut Ecclesia haberet idoneos ministros, tamè etiam sunt minus principaliter, ut præmia proposita, ut supra ostendimus, & ipse Sotus, quem supra retuli conclus. 1. propositione 2. non sibi constans sensisse videtur, conclus. 9. ratione 2. & eodem artic. §. mox alia aperte dicit beneficia esse bona communia Ecclesiæ.

TERCIO infero, quòd si de facto eligatur indignus, non solùm peccat mortaliter multis de causis, ut dixi in prima propositione, sed collatio est nulla in utroque foro. Et sanè in cõscientia planum est, cum Papa non sit dominus beneficiorum, nec alij prælati, sicut sunt domini sui patrimonij, sed tantum sunt dispensatores. Et sanè constat eligere indignos, non esse dispensare, sed dissipare & ita si domini non sunt, neque aliàs ex iure facultatè habeant sibi concessam, imò, è cõtrà, sublatam, non possunt transferre dominium in alterum, imò ex parte etiam recipientis videtur esse incapacitas, ut iura vidètur decernere, cùm sit ineptus ad officium & beneficium. Denique vbi furtum committitur dominium non acquiritur: constat autem tam conferentem, quàm indignum recipientem beneficiū, recipere inuitis fidelibus, qui ea cõditione decimas solvunt, ut sibi idonei ministri præficiantur: ergo collatio est nulla. Nec fructus facit suos: imò & damna alia ex tali electione sequuta tenetur refarcire, & ita in foro exteriori per appellationem priuatur 154 beneficio, qui probatur indignus, & si in cõscientia adquisiisset dominium non priuaretur, & ut aduertit Mercado capite 17. etiam in officio publico iustitiæ ut auditoribus regijs, perquisitoribus, iudicibus, rectoribus, &c. si indignus eligitur, & peccatum est mortale, & damna sequuta tenetur eligens restituere.

QUARTO colligo, ut existimat Sotus concl. 8. & Couar. vbi supra Gab. dub. illo, 1. in solutione argumenti. S. Thom. q. illa 8. ar. 6. Merc. c. 17. quòd in exteriori foro valida est electio digni, dimisso digniori. Et mihi ita videtur, id enim non est aliud dicere, quàm quòd in iudicio non datur actio digniori contra dignum, ut habetur in capite cum nobis, de electionibus. Idem colligitur ex capite cum dilect. eodem, vbi non quassatur illa electio, etsi digniores erant in eadem Ecclesia. Et meritò sanè, ut ipsi ratione assignant, nam si locus esset appellandi digniori, & in discrimen adducèdi electionè, magna oriretur litium con- 156 turbatio.

turbatio, & quæuis electio pateretur calumniam: nec in tali foro facile est librari meritorum momenta. Et hoc est quod voluit glossa in capite, Licet ergo, vt Sotus interpretatur, & in hoc sensu verissima est. Vnde putat Sotus, quod semel electo digno, non potest Rex aut Papa, electionem irritare in fauorem dignioris. An verò restituere teneatur vel prelatus eligens, vel electus, in foro conscientie resignare beneficium in fauorem dignioris, iam supra diximus. Vnde colligit Merc. quod maior diligentia debet fieri ab eligente seu presentante, quam à confirmante. Hæc enim scilicet vel esse dignum, imò quod non constet esse indignum, sufficit ad hoc quod electio & confirmatio valeat.

157 **QVINTO** colligo quo pacto verum est quod docet Sotus cōcl. 9. in principio, quod est de iure diuino eligere meliorem, id sanè intellectum verum est. Quia supposita ordinatione Ecclesie, vt detur meliori, vel vt sint præmia meritorum, est de iure naturali & diuino: at ex natura rei, si nulla nempe esset circa hoc explicatio, nisi sola beneficiorum institutio, non video esse de iure diuino. Non enim videntur de iure diuino esse præmia meritorum. Aliàs cur alia beneficia non curata, vt Canonicatus, &c. non sunt conferenda iuxta dignitatem personæ? Cur enim ex sua institutione non sunt hæc præmia, sicut illa? Neque etiam est dicendum, quod qui ante omnem iuris dispositionem eligebat dignum, peccasse moraliter. Id enim etiam in Curatis & Episcopatibus passim fiebat. Item esset dicendum, esse de iure naturali in religionibus, meliorem eligere, quod non videtur, sed tantum ex suis constitutionibus. Item si dignior iure diuino & naturali, est eligendus: iam 158 ergò si sit de eadem Ecclesia, non posset eligi dignus, quod sanè infrà illation. II. ex sententia eiusdem Soti, docebimus.

Nec verò rationes Soti, vt supra dixi, probant eligendum esse meliorem. Quia, inquit, Ecclesie beneficia iure naturæ sunt ex bonis communibus populi, ergò tenetur iure naturæ, ex iustitia commutatiua, meliorem ministrum illi præficere, &c. Id enim solum colligit, teneri iure naturæ, bonum eligere, vt latius dixi supra. Aliàs teneretur iure naturæ, Sacramenta conferre, prædicare, &c. meliori modo quo possit facere. Siquidem decimas accipit ob ea munera: quod sanè est à ratione alienum. Satisfit ergò iuri naturæ, & diuino, si bonum & idoneum eligat, sicut si ipse dignè sua munera præstat. Quod verò Sotus obijcit, quòd dignus respectu magis digni, non est dignus, & ita non satisfieri 159 obligationi iuris naturæ, nil valet. Quia si respectu officij dignus est, imò etiam respectu alterius, licet non tantum ac alter, non potest dici esse indignus.

SIXTO colligo cum Soto, concl. illa 9. §. sequitur post hæc, Quod Religiosi tenentur meliorem eligere, vt ex dictis patet, & eorum constitutiones ad id obligant, nisi quando dignior eligi non potest. Sic enim liceret nõ suffragari digniori: verbi gratia, Est Petrus dignissimus, Paulus dignior, Ioannes inferior: si ego suffragor Petro dignissimo, inferior vincet, sed me accedente ad Paulum, ipse eligitur: sanè possum, & teneor pro medio, & non pro dignissimo suffragari (vt ait Sotus) etiam

etiam si iurauerim eligere digniorem. Quia iuramentum obligat cum aliquid prodest digniori, suffragium. Immo in hoc casu verè impletur obligatio, & iuramentum de digniori eligendo, suffragando pro medio, quòd ea ratione constat. Quia si suffragaretur dignissimo, eligeretur in finis, at si non suffragaretur illi eligeretur medius, qui est dignior, igitur hic & tunc pro digniori suffragor.

SEPTIMO colligo idem esse dicendum de cathedrarum prouisione, quidquid dicat Sotus 4. de Iustitia quæst. 6. artic. 3. ad finem, & Nauar. cap. 17. num. 79. eo excepto, quòd ad cathedram magis attendi debet literarum scientia, quam alia dos animi. Ille enim magis aptus est ad legendum, etsi non ita sanctus, at in religionibus plus requiritur de sanctitate, quam de literis, in beneficiis verò Ecclesiasticis vtrumque necessarium est, quæ omnia ex fine probantur. Quia vt bene docuit Sotus conc. 4. & Couar. vbi supra, ille dicitur idoneus, qui ad officium ad quod eligitur aptior est, constat autem ad legendum aptiorem esse doctiorem cum mediocri bonitate morum, ad religionem 161 verò probiorem cum mediocritate scientiæ. Vnde Beatus Franciscus, & Beatus Dominicus, (& nostris temporibus venerabilis ille magnitudine animi, & excellenti virtute præclarissimus Ignatius Loyola Societatis Iesu institutor) sanctissimi magis, quam literatissimi perhibentur fuisse. Ad Ecclesiam verò docendam verbo & exemplo sanè requiritur vtrumque, vt constat. Et ita videtur nobis, quod examinatores beneficiorum, & Reges in Episcopatibus conferendis duo hæc potissimè ante oculos habere debent, scilicet eum qui præstat & morum honestate, & studio literarum, deinde ætas, prudentia, &c. consideranda sunt. Et in hac collectione potissimè verum est, quod supra docuimus. Nam non solum ex sua institutione, & voluntate fundatoris sunt stipendia lectorum, sed & præmia meritorum, & ita non solum ratione iuramenti, sed etiam ratione iustitiæ distributiue tenentur Scholast. meliorem eligere: aliàs non erunt à restitutionis obligatione immunes, vt supra diximus de beneficiis. Neque in conscientia 162 valida erit collatio, sed dimittere tenetur, qui manifestè minus dignus est. Dixi *manifeste*: Quia vt Sotus adnotauit in prima & secunda limitatione 9. conclusionis, non est peccatum mortale, vel quando non multum refert munus, de quo agitur, vel quando personarum excessus non est tantus, vt videatur ad rem notabiliter referre. Non enim Deus, aut iustitia cogit tam anxie personarum merita explorare, quod ad vitandos scrupulos tam Scholasticorum respectu cathedræ, & examinatorum respectu beneficiorum, religiosorum respectu prælati, & regis in Episcopatibus, bene adnotatum videtur. Quamuis si non tam notus esset excessus, tenerentur peritiores & probos viros consulere, ne ignorantia crassa dimittat digniorem. Non enim excusatur à peccato & restitutione: Et ita ipse Sotus est intelligendus, vt scilicet non omittat debitam diligentiam. De impediente verò cathedræ consecutionem vide infra cap. 7. dub. 2. in hoc 2. lib.

OCTAVO infero, non placere Sotum artic. illo 2. con. 9. §. contra

hæc dicentem, peccare minus dignum acceptando, sicut conferentem concedendo: quod etiam si sit indignus tenere videtur. Probat, quia si quis eleemosynam porrigat, non patri sed extraneo, non pauperi sed histrioni, licet ipse peccet, tamen qui recipit illam non peccat: ergo à simili, id enim non est simile, quia vel vterque est in extrema vel graui necessitate, & tunc non peccat extraneus recipiendo. Quia ipse habet ius ad vitam suam tuendam: at in nostro casu minus dignus nullum habet ius in concurrentia dignioris: vel vterque est extra necessitatem & tunc cum filius dominus sit pecuniæ, potest dare extraneo, & 164 histrioni, & ita ipse recipere, at elector non est dominus beneficij: si verò pater est in necessitate, & alter non, saltem peccaret accipiendo, cum cooperetur peccato filij, cum ipse ius nullum habeat, & ita est in præsentia. Nam dignior habet iustitiam distributiua ad beneficium, quam non habet minus dignus, & ita communicaret peccato conferentis. Maximè, quia vt supra dixi, collatio in conscientia non est valida, vt ipse Sotus videtur sentire artic. illo 3. in solu. ad 3. Et ita committit furtum accipiendo & retinendo. Et sanè quod Sotus insinuat id esse verum, etiam quando est indignus intolerabile est. Et miror cum ipse dicat esse de iure diuino & naturali, vt melior perficiatur, quomodo non peccet qui vel indignus, vel non dignior retinet contra iustitiam distributiua?

165 **N O N O** colligo cum Soto æquissimam esse eam legem, qua ad beneficia non assumuntur, nisi ex ciuitate vel natione. Id enim est conforme decretis patrum, quæ volunt de eadem Ecclesia assumi: & amor naturalis multum iuuat, & lites euitat, & incolæ ea spe animantur liberos literis, & moribus informare, maximè cum ipsi suo labore decimas ex quibus sunt beneficia soluant, & inter hos præstantior est eligendus, quod in Curatis ipse maximè cupisset & consultasse in Conc. Trid. testatur. In cathedris tamen & collegiorum præbendis non putarem ita esse conueniens. Sed quod dentur præstantiori etiam alieno, sed cæteris paribus certè erat maximè necessarium, vt præferrentur, cum ex eorum bonis & decimis illa sint instituta præmia.

D E C I M O infeto cæteris paribus apriorem esse Theologum, quàm Iurisperitum ad Episcopatum & animarum curam, & ita præferendum, vt scitè probat Sotus vbi supra concil. 10. Merc. c. 17. versic. *cercæ dela*, de quo lege Caiet. 2. 2. q. 185. art. 7. Syluest. episcopus q. 4. Conc. Trid. Sess. 22. cap. 2. Sess. 24. c. 18.

166 **V N D E C I M O** infertur cum Soto in solutione ad 4. huius art. 2. q. si dignior est de aliena Ecclesia, & dignus de eadem, præfici debet dignus naturalis. Ita enim videtur esse ab Ecclesia sancitum in c. nullus 16. d. Et apertè in c. obitum, eadem distinctione. Et ad idem citat Sotus caput Metropolitanum 73. distinct. Hanc autem doctrinam non sic ego intelligo, vt Glossa vbi supra in d. c. licet ergo. Quod si est de eadem Ecclesia satis est dignum eligere. Id enim falsum est, vt supra ostendimus: sed ita intelligo, quod si in eadè Ecclesia sint plures digni, dignior præferri debeat, sed si vnicus esset dignus, aut pauci æquè digni,

gni, tum concurrenti digniori extraneo, esset præferendus. Ratio est plana. Quia dicta iura id solum disponunt, ne eligatur extraneus, nisi 167 nullus esset dignus in eadem Ecclesia, quod Cælestinus atque Greg. Rom. Pont. vix possibile esse censent, ex qua dispositione solum colligitur, quod quocumque digno existente, illi dari debet in concurrentia cum extraneo, non tamen in concurrentia cum digniori eiusdem Ecclesiæ, & ita apertè dicitur in cap. Metropolitanano 63. d. quod ex præbiteris eiusdem Ecclesiæ melior eligatur, & optimus, & hoc forsan caput citauit Sotus, cum allegauit d. 73. Sed contra apertè videtur esse statutum in c. ad decorem. de Inst. Sed benè respondet glossa in cap. bonæ memoriæ, de postulationibus, quod ibi vtrique erant extranei, & ita bene docet Innoc. 3. quod erat acceptio personarum. Sed quid nomine eiusdem Ecclesiæ intelligitur? glossa in d. c. nullus putat capitulum intelligi. Sed ego putarem clerum de Diocesi, vel ad minus de Ciuit. Primùm, quia inquit Pont. vix credere non esse dignum ex eadem Ecclesia, quod sanè respectu Diocesis vel Ciuitatis verum habet, magis quàm in solo cap. & sanè de ciuitate plane intelligitur. Nam sic ait Cæ- 168 lestinus in d. c. nullus. *Si de ciuitatis ipsius clero nullus dignus (quod vix credimus) reperiat* & in cap. Sacramentorum dicitur, Episcopus secundum statuta canonum de propria Diocesi eligatur. Sed non est cur in hac re multum immoremur, cum mihi videantur ista iura esse abrogata opposita consuetudine, qua video Episcopos non solum nõ ex eadem Cathedrali, sed ne ex Diocesi quidè eligi, quin verò omnino externos Ecclesiæ præfici. Id solum seruari video, ne alterius nationis sit electus, sicut in Hispania Italus aut Gallus. Cuius rei forsan ea est ratio. Nam cum olim eligeret populus & clerus, conueniens erat, ne extraneus quæreretur, cum in propria Ecclesia digni, ac digniores esse possent: nunc autem Rex eligit, atque ita ex proprio regno semper præsentat. Tum vt omnibus satisfaciatur. Tum etiam quia respectu eligentis omnes 169 sunt naturales, sicut respectu cleri, qui antea eligebat naturalis erat quicumq; de Metropoli vel Diocesi. Sed in hoc seruanda est meo iudicio consuetudo. Nã neq; etiam Rex potest pro libito eligere adhuc ex suo regno, propter diuersas leges & cõditiones, quibus regna ei se tradiderunt, inter quas ea esse solet, ne prælatiæ aut dignitates huius Regni dentur hominibus de alio regno, etiã sibi subditis, & c. Imo nec in Parochialibus beneficiis prædicta iura seruari video. Nã si dignior ad concursum accesserit, ei confertur beneficium, vnde cumq; sit, quod, & consuetudine receptum est, & Trid. Conc. dispositioni valdè cõsentaneum, necnon rationi, ordiniq; iustitiæ distributiæ. Illud nõquam laudabo, vt cæteris paribus naturalis non præferatur. Id enim & præfatis antiquis iuribus & rationi, naturaliq; societati & charitati inimicũ est.

D V O D E C I M O infertur cum Soto eodem art. 2. ad fi. q. licet acti- 170 na electio Romani Pontificis meritò sit penes Cardinales, vt habetur in cap. in nomine Dei, Et in capite, licet. Et capite vbi de electionibus. Quorum vltimum est in 6. Cuius ratio ea est, ne tantus Episcoporum cõtus ex remotissimis regionibus cogeretur, vel vt ego etiam suspicor.

Quia cum olim de iure electio Episcopi esset penes clerum eiusdem Ciuitatis Metropolit. aut totius Diocesis, vt paulò ante dicebam, id in sua integritate seruatum est Romæ vsque hodie. Nam Cardinales Curati parochiales fuisse perhibentur. Vnde cum Reges Romæ non fuerint dominati, sicut in Hispania & aliis locis, remansit electio prisca. At passiuæ electio nullo iure aut ratione esse debet necessariò in senatu Cardinalium, nec rumor vulgi, quod non possit eligi nisi Cardinalis
 171 verus est. Et quamuis quia summus Pontifex, simul est Episcopus Romanus, & vniuersalis Ecclesiæ Pastor, ob primùmque videbatur eligi debere ex clero suæ Diocesis, secundum antiqua iura, quorum locum habent Cardinales (quia vt supra diximus, si dignus est in sua Ecclesia, ex ea assumi debet Episcopus) tamen quia simul est summus & vniuersalis totius Ecclesiæ Antistes, oportet vt non sit passiuæ electio restricta ad clerum Rom. quin ex aliis Ecclesiarum prælatum dignissimum esse, & inter eos selectissimum, quod & sinceritati Euangelicæ, & ne personarum acceptio admitti videatur maximè congruit.

DECIMOTERTIO inferitur ex Soto, pensiones non tutò dari nisi dignis, Vocat autem Sotus dignos tum solum, quando pro altaris ministerio, vel saltem seruitio Ecclesiæ temporali, vt quia Ecclesiam defendit, vel eius negotia gerit in Curia, aut Concilio, vel si esset lis de beneficio, & ad eam dirimendum pensio alteri assignaretur. Sed iam
 172 in hoc difficultas meo iudicio non est. Quia ex Decretali Pij V. tenentur pensionarij, qui studij gratia, vel alia via ad clericatum tendunt, dicere officium B. Virginis, & ita iam datur ob officium: de aliis verò secularibus id seruabitur, quod diximus, quamuis etiam de his pensionibus quas à Rege concessas habent, serui aut filij seruorum regis, non sit habendus scrupulus. Nam cum regi concessa sint, quia pugnat pro Ecclesia iam satis iustificatur.

DECIMOQUARTO inferitur idem esse de resignantibus, vel renunciantibus beneficia. Nam illi tenentur digno si simplicia, digniori, si curata sunt, renunciare, nec quòd Episcopus faciat collationem, tollet peccatum resignantis in fauorem consanguinei vel alterius non idonei. Et specialiter de pueris docet Sotus ob defectum ætatis, etiam
 173 si bonæ sint idolis, indignos esse. Et sanè ita videtur, cum sæpius vsu veniat, vt qui bonam speciem fecerunt de se, cum primum ditantur ex Ecclesiasticis bonis, superbiant, nec literis se dare curent. Quamuis dici posset satis esse si digno renuncientur. Nam iura solum loquuntur de præsentante, & conferente per viam vacationis: & ita seruatur in praxi: non enim dignioris inquisitione, & concursu conferuntur renunciata beneficia etiam Curata.

DECIMOQUINTO colligo, inquisitione dignioris nõ vno modo semper fieri oportere: Nam in beneficiis Curatis fit per edictum publicum & examen Episcopi & electorum Synodali. Cathedrarum verò per suffragia Scholasticorum: & in his cum certæ sint personæ ad distributionem accedentes facile est scire, cui fit iniuria distributi-

ua, at in Episcopatibus non ita fit, sed sola regis præsentatione, ipse verò rationabili quadam diligentiâ ex sibi oblati à secretario, vel ab eo qui id officij habet explorandi, scilicet digniores, tenetur eligere digniorem, & restitutio meliori ex illis esset facienda. Nam licet sint alij meliores in regno, sed non tenetur Rex omnes explorare & indagare, id enim esset laboriosissimum. Sicut ergo olim Episcopatus non conferebatur digniori totius regni, sed digniori ex illa Ecclesia, ita modò rex non tenetur digniori suorum Regnorum, sed digniori ex cognitis humana quadam diligentia, vel digniori eiusdem Ecclesiæ, quod fortasse securius esset, & sine dubio iuribus magis conforme. Qui verò Regi idoneos offert suæ animæ consulat, ne quos digniores nouerit silentio transeat.

DECIMOSEXTO. Hinc inferendum esse de obligatione eius, qui aliquem impedit à consecutione beneficij, de quo tamen aptius infra dicemus cap. 7. est enim generale ad omnia talia temporalia: interim verò legatur Sotus lib. illo 4. de Iust. q. 6. art. 3. ad 6. & Caiet. 2. q. 62. art. 2. dub. 3.

DECIMOSEPTIMO. Existimarem pro temperanda sententia
 175 nostra de restitutione, quòd ea non intelligatur de Episcopalibus beneficiis. Valdè enim durum apparet, quòd Rex, aut Papa, aut secretarius, & alij cooperantes, vt detur digno, digno dimisso digniori teneantur restituere. Tum etiam quia non videtur, cui restituere debeant, non Ecclesiæ, cui satis fit eligendo dignum. Nec meliori dimisso, quia vel meliori ex regno, vel ex Ecclesia in qua vacat, non ex Ecclesia, seu Diocesi. Quia vt supra ostensum est, contraria consuetudine sunt abrogata iura antiqua statuentia, vt ex eadem Ecclesia dignior assumatur. Et ita hodie non magis habet ius qui est de eadem Diocesi, quàm alius quicumque de regno. Neque digniori
 176 de regno, quoniam id ferè impossibile est cognoscere & explorare. Si etenim ille ius haberet, ei verò non daretur, peccatum esset mortale: cum obligatione restituendi. Præterea quia si illius tempore per multa essent Episcopalia beneficia vacantia, atque prouisa, illi omnia deberentur, quòd sane concedendum non videtur. Dices saltem debetur digniori ex regno qui rationabili quadam diligentia indagari potest, puta ei qui ex præsentatis à secretario in memoriali dignior erit visus. Sed neque hoc videtur: sequeretur enim, quòd soli memorati à secretario ius haberent ad Episcopatum, & non alij meliores, atque ita in potestate secretarij, imò fortasse in eius malitia, situm esset dare vel auferre ius aliorum. Nam si ille scribit (verbi gratia) Petrum, Petrus ius habet, & si dimittit Paulum illo digniorem, Paulus non haberet ius, quæ profecto constanti & firma ratione carere videntur. Igitur putarem sic esse dicendum: Vt episcopalia beneficia & quæcunque alia etiam curam animarum habentia, quæ citra oppositionem cõferuntur, non sunt conferenda dignioribus de iustitia, ita vt illorum prætermisso possit iniusta damnificatio appellari, & ad restitutionem obliget, quod ea potissimum ratione explicari posse

arbitror. Nam beneficia Ecclesiastica ex sua institutione (vt sãpè dixi) non sunt bona communia, sed solùm ex iuris dispositione, q̄ illa bona præmia laborãtibus proposita esse voluit, licet ex secundaria obligatione. Primario enim, vt ostensum est, stipendia sunt bonorum ministrorum: quãdocunq̄ ergo Ecclesia non vocat vniuersaliter eligendos per publicum edictum, vel alia ratione, vt qui velint accedant, non efficit illa communia bona, sed tantum manet obligatio reddendi digniori ex fidelitate, & præcepto superioris: at quando vult examine præcedenti cõfesse, & edicto publico omnes vocante, qui venire volent, iam sane illa cõmunia præmia esse voluit, & pro ratione meritorum distribuenda. Vnde eo ipso q̄ quis petit oppositionem, & admis-
 178 sus est in oppositorũ numero, iam habet ius ad rem, ita vt illi iniuria & iniustitia fiat, si cum dignior esset, non eligeretur. Sicut in rep. temporali, cum præmia communia proponantur iis qui volũt venire ad certamen, meliori certè ex mera iustitia debentur. Et idè est in cathedris, & in certaminibus poëtarum, & oratorũ. Si enim non dentur digniori iniustitia cõmittitur, & est restitutionis obligatio. Verũ quidè est, hanc differentiam esse, quod prædicta reipublicæ tẽporalia præmia cursoribus, seu luctatoribus proposita, Poëtis, & Oratoribus, principaliter sunt ad id ordinata, vt sint præmia & bona cõmunia decertantium. At beneficia Ecclesiastica & cathedræ, & similia principaliter sunt stipẽdia bonorũ ministrorum: cum hoc tamen ex Ecclesiæ iustissima ordi-
 179 natione facta sunt simul præmia meliorum, vt suprà diximus. Vnde quoduis beneficiũ, Cathedra, Collegiatura, Canonicatus, & Præbenda, quæ cõfertur concursu, & edicto præcedẽti, quo omnes venire volentes, vocantur: sine dubio bonũ est cõmune venientium, & digniori ex iustitia propriè & strictè reddendum. Sed de his satis & fortasse plusquam necesse erat. Legat, qui plura volet Doctores suprà citatos, quibus addat Cordu. in summa q. 31. Syluest. elect. i. q. 1. 10. 13. 14. & c. S. Tho. Quodlibero 8. art. 7. Couar. reg. peccatum, 2. part. §. 7. Sorus & Adria. locis citatis, Mai. in 4. d. 24. q. 8. & 9. Gab. d. 15. q. 7. & 8.

S E C V N D A dub. Vtrum clericus non recitans horas teneatur ad restitutionem? Is enim lædit Ecclesiam & fideles in bonis animæ, cum priuet Ecclesiam debitis suffragiis. In hac quæstione quædã mihi præmittenda sunt, vt planè procedam. Primum igitur præmitto, quòd clericus non beneficiatus non tenetur ex omissione horarum aliquam restitutionem seu spiritualement seu temporalem: cum non peccet contra iustitiam, neque vlli faciat iniuriam. Licet mortaliter peccet in dimittenda quacunque ex septem horis, vt alibi ostendi, neq; hoc oportet probare.
 180

S E C V N D O suppono de beneficiato quòd non tenetur ad spiritualement restitutionem, id est ad redicendas horas omiffas. Id enim nullo iure cautum videmus. Dices, peccare contra iustitiam, cum teneatur ex officio id facere: Ecclesiæ enim facit iniuriam, cum priuet eam communibus suffragiis & orationibus, & ita in spiritualibus damnificat. Respondeo, primum nullum in particulari damnificare, sicut si
 Missam

Missam vel ipsas Horas alicui promississet, etiam sine stipendio. Deinde quoniam Horarum recitatio solum est præceptum Ecclesiæ. Vnde si stipendium ob illa recipiat, non peccat contra iustitiam, si stipendium restituat. Vnde nec redicere illas tenetur, vt aliqui voluerunt, & suo loco ostendi, nec vllam aliam in re spirituali restitutionem facere. Solum ergo quæstio esse potest de restitutione stipendij. In quo Sorus
 181 lib. 10. de Iust. q. 5. art. 6. conc. 4. tria docet. Primum, quod non quãdocunq̄ peccat mortaliter relinquens Horas tenetur ad restitutionem, vt si quis de industria, se distrahat in recitando, quod verissimum est meo iudicio, quanquam in hoc alij contrarium dicant, vt infra dicemus. In hoc enim nulla committitur iniuria, aut iniustitia, sed irreligio tantum, at restitutio non ex irreligione, sed ex iniustitia oritur, vt statim latiùs probabo contra Nauar.

S E C V N D O docet Sorus, quod peccat mortaliter ex dimissione horarum, putã qui omittit vnã ex septem Horis, vel omnes septẽ eiusdem diei, imo etiam si dimittat preces duorum, vel trium dierum, non tenetur restituere. Ratio huius est, quia in ciuilibus familiis, non obli-
 182 gantur ad restitutionem ministri ob aliquas dies, quibus seruitiũ subtraxerũt, multò ergo minus, Spiritus Sanctus (cuius nutu Ecclesia regitur) in tales voluit suos ministros, angustias & scrupulos conijcere.

T E R T I O docet, quod statim ac quis obtinet beneficiũ tenetur restituere, vt si post duos aut tres menses dimisit. Ratio eius est, quia oppositum esset nimis laxum, sicut primũ nimis erat angustũ. Quod si ei obijcias Conciliũ Lateran. sub Leone 10. vbi dicitur, quod post sex menses à beneficio obtento teneatur pro rata restituere. Respondet ille, quòd verbum (post) nõ est ita legendum, sed verbum (per) ita vt per sex menses teneatur pro rata restituere. Non enim potest credere Sorus, quod sex menses fuerint dati induciarum. Hæc est Soti sententia.

O M N I N O tamen hæc sententia mihi falsa videtur, & quod attinet
 183 ad primum dictum (vt diximus) non improbamus. Secundum verò est apertè contra decisionem Pij Quinti, quam refert Nauarrus capitulo illo 25. numero 122. Vbi sic dicitur, *Statuimus, vt qui Horas omnes cano. vno aut pluribus diebus intermiserit, omnes fructus, qui illi vel illis diebus respondent, qui verò Matutinas dimidiam, qui ceteras omnes Horas aliam dimidiam, qui harum singulas sextam partem fructuum eius diei amittat.* Et id ipsum decretum erat in Concilio Lateranensi, quem §. refert & declarat ipse Pius Quintus, in d. Extrauaganti. *Evidentiũs* (inquit) *Pius Rom. Pontif. dictum Concilium declarantes.* In d. autem Concilio sub Leone 10. celebratum sic dicitur, *Statuimus vt nemo beneficium, curatũ, aut simplex habens, qui elapsis sex mensibus ab eius cõsequutione, &c. Vnde concludens ait nõ solum fructus & distributiones præ-*
 184 *dictas nõ facere suas, sed etiam graue peccatũ admittere, quod fortasse ideo addit Papa, ne quis putaret dictam cõstitutionem esse pœnalem. Vnde immeritò Sorus à Concilij determinatione discessit, & nimium ius esse affirmavit. Tertium verò dictum non etiã placet, cum in dicto Concilio expressè dicatur, vt per sex menses pro rata soluat. Quod enim*

enim Sotus ait esse errorem impressionis, nam ubi legimus (*post*) lege-
re dicebamus (*per*) nullo alio fundamento nititur, quam suæ diuina-
tionis, ut suæ sententiæ conforme habeat Concilium. Quam certè so-
lutionem de errore impressionis, nisi ubi apparent erroris manifesta
vestigia, admittere, est planè omnem scripturam & doctrinam inuer-
tere. Neque vllum aliud indicium huius adducit, quàm sibi nimis la-
xum videri non recitantem per sex menses non teneri ad restitutio-
nem. Cùm reuera intentio Concilij fuerit induciarum sex menses cō-
cedere, ut se præparet, & excusationem non haberet. Vnde Pius in d.
motu proprio, licet non ad expressum id ipsum declarat, tamen refert
verba Concilij, quæ dicit esse salubria & pia adiiciens verbum (*post*)
non (*per*.) Imo quod magis re cōfirmat, alia phrasi utitur ipsum Con-
cilij à Nauar. relati. *Qui se lapsis 6. mensibus non recitauerit, &c.* Quamuis
Concil. ut in primo tomo habetur sic habeat ut Sotus legit, sed ut dixi
noua editio Concilij habet verbum *post*, sic legit etiam Pius V. & sic
decreuisse Concilium Lateranense inquit, & sic habet tenor Conc. d.
§. relati à Nauar.

PLACET tamen in Soti gratiam vnum addere quasi indicium, &
argumentum suæ lectionis. Nam sensus verborum videtur mancus, &
imperfectus, nisi ut Sotus legit, legerimus. Subdit enim statim, *qui au-*
tem ultra id tempus, intra 15. dies non recitauerit bis, priuetur beneficio. Igi-
tur particula non erat (*post*) sed (*per*) ita, ut sensus sit, qui per sex men-
ses non recitauerit pro rata restituet. Qui autem ultra id tempus non
recitauerit bis intra 15. dies, priuetur beneficio, si autem particula illa
esset *post*, non deberet priuari beneficio, sed tantum pro rata soluere,
cùm dicat, *post sex menses pro rata soluat.* Si ergo post sex menses tan-
tum tenetur restituere pro rata: non ergo post illos priuandus est be-
neficio, si intra quindecim dies non bis recitauerit, cuius tamen con-
trarium habetur in litera, dum dicit, *ultra id autem tempus, &c.* Adde
quòd verbum *ultra* ponitur aduersatiuè ad verbum *post*. Cùm enim
dixerat *qui post 6. menses non recitauerit soluet pro rata*, subdit aduersati-
uè hac ratione. *Qui autem ultra id tempus, id est ultra sex menses prædi-*
ctos, &c. Manifestum autem est verbum *ultra* non esse aduersatiuum
ad verbum *post*, imo vtramque præpositionem idem significare. Idem
enim est *post 6. menses, & ultra 6. menses.* Non ergo præcessit verbum
post, ne inepta patrum videatur oratio, sed verbum *per*, ut sit aduersati-
uius & perfectus sensus, scilicet, *Qui per sex menses non recitauerit*
soluat ratam, qui autem post dictū tempus (siue ultra id tempus, quod
idem est) non recitauerit, saltem bis intra quindecim dies, priuetur
beneficio. Adde etiam, quòd ad præparandum se ad recitandas Horas,
non oportebat sex menses induciarum dare. Licet enim ut resideret
personaliter æquum foret duos vel 3. non 6. concedere, ut sicut Con-
cilium Tridentinum Sess. 23. cap. 1. concessit duos curatis & 3. Episco-
pis, propter itinera & varias rerum occupationes: tamen ad recitan-
dum, cuiuslibet sit, perperam illi tam longi temporis induciæ essent
concessæ.

concessæ. Hæc igitur non videtur leuis suspicio ac ratio. Adde huic ra-
tioni non leuem argumentationem. Nam in d. Concil. Trident. Sess. 6.
c. 1. Decreto de reformatione agens de residentia statuitur, ut Episco-
pus, qui sine iusta causa sex menses abfuerit quartam partem fructuum
vnius anni amittat. Ex quo Decreto quidam intulerunt saltem per 5.
menses licere Episcopo abesse. Nam cum spatium 6. mensium repro-
bauerit, approbasse videtur absentiam quinque vel quatuor mensium,
& infra. At hunc sensum extortum esse, & à patrum mente alienum,
constat ex eorumdem declaratione, (Sess. 23. cap. 1. de Reformat. *Ne ve-*
rò, inquit, ea qua de reformatione sanctè & utiliter iam ante sancita fuerunt
sub Paul. 3. in sensus alienos trahantur, quasi vigore illius decreti quinque
mensibus continuè abesse liceat, &c. declarat, Illud absentia spatium ad sum-
mmum duos vel tres menses excedere non debere, alioqui ultra peccatum mortale
pro rata fructus non faciat suos. Hæc Patres, & eadem de Curatis decer-
nit, igitur, &c.

AT T A M E N quamquam ego ob hanc rationem, Soti sensum de-
fendere voluissem, cùm in omnibus prædictis editionibus sic habeatur,
& Pius Quintus in eo sensu referat, & approbet salubrem illam con-
stitutionem, ideo supra dictis standum esse censeo, & ad nostram pro-
fecto vrgentem argumentationem dici posse, quòd illud verbum *post*
denotat omnes dies sequentes totum numerum sex mensium, in qui-
bus sequentibus diebus tenetur pro rata, si non recitauerit, v. g. si per
octo dies vel decem nō recitauerit singulis illis diebus, ratam restituet:
si verò ultra procedat vsque ad quindecim dies, & saltem bis non reci-
tauerit, priuetur beneficio. Accipe clariùs: si per 15. dies sequentes nu-
merum sex mensium, nullum diem vel vnum tantum recitauerit priue-
tur beneficio, si autem bis ter aut quater tantum recitauerit soluat pro
rata, sed non priuetur beneficio. Neque id ego solum intelligo de pri-
mis quindecim diebus, sed quancumque post illos menses reperitur
intra duas hebdomadas non bis recitasse, priuetur beneficio. Hoc enim
significant illa verba. *Ultra id autem tempus, si bis non recitauerit priuetur.*
Quod si bis aut plus, restituat pro rata, & hæc meo iudicio est germa-
na illius loci expositio, quòd magis confir. per verbum Pij. V. *nam is in-*
quit, qui post 6. menses non recitauerit, præter restitutionem distributionis &
fructus, & ille qui primis sex mensibus officium non dixerit graue peccatum in-
telligat admisisse, vides ubi patenter Pontif. dicit ante sex menses solum
peccare, post illos verò teneri ad restitutionem.

Id tamen, quòd de beneficij priuatione dicitur non putauerim esse
ipso facto priuatum solum, tamen ratam in conscientia deberi ipsi, ut
apertè dicit Pius V. & apertius in dicto Concilio *pro tempore*, inquit,
quo non recitauerit fructus suos non faciat, imo eos tanquam rem iniuste ca-
ptam, &c.

S E D rogas cui faciēda est restitutio prædictorum fructuum de quo
infra latius cap. 11. Sotus putat faciendam esse Pontif. vel eius legato
media aliqua compositione. Quia licet iure naturali satis esset piis vsi-
bus distribui, tamen iure, inquit, positiuo Pontifici faciēda est, qui suis

vsibus applicat: sed hoc ius posituum ille non adducit. Et ideo mihi videtur, quod facienda est fabricæ Ecclesiæ, in qua est beneficiatus, vel pauperibus, & per consequens, sibi retineri si est pauper, & est Decisio dicti Concil. Lateran. & sic adducit Nauar. vbi supra, vbi sic dicitur, *tanquam rem iniuste captam in fabricam beneficij, vel eleemosynas pauperum teneatur, &c.* quod intelligitur (vt Nauar. notauit) nisi ad crescant intererentibus, nam illis est diuidenda, non pauperibus. Et ad rationem Soti dicendum est, quod esto: daremus in ciuilibus familiis ita esse, & ita forsitan iudicarem, ex æquitate de iure naturali propter leuitatem materiæ respectu totius anni, aut totius temporis beneficij: tamen supposita determinatione Ecclesiæ, non est eadem ratio, vt patet, imo neque stando in iure naturali, est eadem ratio, vt mihi quidem videtur. Quia redditus Ecclesiæ sunt bona pauperibus magis subiecta, quàm alia secularia bona, & ideo ratio postulat, vt etiam in minimis non defraudentur, & etiam ne segnes efficiantur ministri Ecclesiæ. Ad argumentum ex Concil. Trident. factum, resp. ibi non esse sermonem de Horarum omissione, sed omnino de non residentia, quod constat grauius esse, & minus tollerabile, quàm Horas non recitare, tanquam quod magis oues Christi dānificat. Nam primùm nec oues pastor agnoscit. Deinde verbi prædicationem dimittit. Deinde sacramentorum administratio accurata cessat. Deinde nec bonorum operum exemplum prodest. Tandem pauperum, & miserabilium personarum curam negligit. Hęc enim & similia constat nequaquam præstari & impleri posse ab iis, qui gregi suo non inuigilant, & assistunt, sed more mercenariorum deserunt. Et quamuis dictum Concilium Tridentinum ageret de Horis Can. recitandis, non esset similis ratio; nam planè se explicat, dicens, *qui sex mensibus continuis abfuerit extra suam Diocesim immorando quartam partem, &c.* in qua dicendi ratione difficultas nulla est, vt patet.

Ex quibus colligo, multò esse falsiorem Syl. opin. qui verbo clericus 4. quæst. 24. & 25. indubitanter tenet clericum & beneficiatum, non solum non residentem, aut non canentem in Ecclesia, sed omnino non recitantem Horas canonicas, nõ teneri ad restitutionem fructuum ante sententiam, citans ad id Panor. in cap. 1. de Celebr. Miss. & Card. Primùm, quia inquit, opposita sententia nimis est rigida, & iure non probatur. Deinde quoniam ille, qui per annum non residet occasione tituli, quem habet donec priuetur, percipit fructus: quia licet non seruiert dicendo officium, tamen seruiuit Ecclesiæ in ordine clericatus. Præterea, quia fideles tenentur exhibere decimas malo beneficiato, vt S. Thom. docet in Quodlibet. & habetur in cap. tua nobis, de Decimis, ergo illas restituere non tenetur, cum in d. c. mandetur decimas illi dari. Tandem quia beneficium datur non solum propter officium dicendi Horas, vel psallendi: sed etiam propter officium administrandi sacramenta, concionandi verbum Dei, & decantandi diuina, tempore quo populus confluit. Hęc enim verè sunt officia diuina, quomodo dicitur quis suspensus ab officio, id est, ab iurisdictione, & administratione. Et ita esto, daretur ob officium Horarum can. tamè illa non est causa totalis seu

seu principalis, sed vt celebret, absoluat, & cætera faciat ordinis sacerdotalis, vt dictum est, datum autem ob causam retineri potest, etiam causa non subsecuta, modò causa principalis subsistat. Et hinc est quod beneficiati non sacerdotes, vbi est animarum cura, tenentur infra certum tempus ordinari sacerdotes, quasi non horarum recitatio, sed prædicta munera sint principalia. Denique inquit Syluest. quoniam licet beneficium daretur solum ob Horas canonicas, non sequitur teneri ad restitutionem. Quia non datur propter officium illud, sicut sub conditione, sed sub modo; & ita modo non seruato, adhuc fructus sunt beneficiati. His igitur & aliis conatur Syluest. suam sententiam confirmare: quam sententiam tenet, vt dixi Panor. in d. c. 1. de Celebrat. Missa. Innocen. Ioan. Andr. Buttu. in d. 1. Præpos. cap. presbyter. 91. dist. idem tenet Palud. Anto. Fran. Plaça, Zaba. Ioan. de Lig. can. Cancellarius Paris. Felin. Hieronym. Zanæ quos citat Syluest.

Hęc inquam sententia mihi omninò falsa videtur. Primùm, post decretalem prædicti Pij. V. apertissimè constat teneri ad restitutionem, etiam si vnam diem imò vnam tantum Horam dimittat. Deinde in d. §. statuimus Concil. Lateranen. licet de priuatione beneficij dixerimus non esse ipso iure priuatum post sex menses, si bis non recitauerit intra 15. dies, tamen ratam fructuum in conscientia deberi ante condemnationem reueram decernitur, & expressè habetur, cum dicat, *tanquam rem iniuste captam impendere teneatur in fabricam*, & ita Pius V. quasi non nouum ius, sed ius prædicti Concilij (vt ipse dicit) euidentius declarando statuit fructus non facere suos, qui Horas dimiserit recitare, & ita de iure non solum Pij. V. sed etiam prædicti Concilij, non potest in conscientia retinere fructus siue vnus diei, contra Sorum siue vnus anni, vel plurium, contra Syluest. & prædictos Doct. ab eo citatos, & ita docuit Nauar. vbi supra, & Ang. vt Syluest. refert.

Sed nunquid id etiam est verum iure naturali? ego in hac re sanè distinguerem, quia vel est de Curato beneficio sermo, aut de non Curato, vt sunt beneficia simplicia, præstimonialia, & Canonicatus, &c. De his enim putarem omnino teneri iure naturali. Quoniam beneficium datur propter officium, idque principaliter, cum in eis non sint alia munia, nisi Horas dicere. Et præterea, cum propter dictam causam, manifestum est, esse causam & non modum, & esse totalem, seu principalem, non minus principalem, & causa totali seu principali non subsecuta, datum ob illam retineri non potest, vt patet ex ipsa natura contractus, & ex toto titulo de Condit. ob turpem causam: ergo, &c. Vnde patet rationes Syluest. esse infirmas. Si verò de Curato loquamur, existimo non teneri ad restitutionem. Quia alia sunt munia & officia ob quæ principaliter dantur decimæ & fructus, vt bene Syluest. probat, & ita isti, si hæc officia præstiterunt, nõ sunt ad restitutionem pro Horarum dimissione, obligandi iure naturali. Quamuis ergo curam animarum habens de iure naturali restituere nõ obligatur ob Horarum dimissionem, tamen in effectu tenetur ob dictam Pij. V. Extrauag. imò ob dictum Concilium, quod miror Syluest. nõ vidisse, cum dicat, *Statuimus, vt nemo beneficiu cu-*

ratam aut simplex habens, &c. quæ planè decernunt tam curam animarum non habentem, quàm habentem teneri ad restitutionem. Quæ cōstitutio, & si rigore non careat, tamen vt recta & salutaris seruanda est, præsertim in animarum curam non habentibus, vt sunt Canonicatus, & alia simplicia beneficia licet prima, vt aiunt, facie alicui videri possit esse maiori cum ratione seruanda in habentibus curam. At non sic est: Nam is qui curam animarum habet, vt dictum est, alia præstat diuina munia, vt sacramenta, & verbi prædicationem, &c. quæ ex officio facere 199 tenetur. Cæteri verò nisi infundendis precibus, vix tandem est in quo deseruiant Ecclesiæ Dei.

Ex quibus colligo, quòd habentes præstimoniam & præstimoniales portiones sub prædicta rata & restitutione comprehendere, & omnes quodcumque simplex habentes beneficium, quod nullam omnino seruitutem requirat: Imo tum maiori cum ratione, Vnde dictus Pius id expressè sensit, cum dixit, *declarantes præstimoniales portiones, & quacumque alia beneficia etiam nullum seruitium habentia obtinentes cum prædictis pariter contineri.*

SECUNDO colligo idem esse dicendum de habente pensionem, vt clericus, vt idem Papa docet, nam modo prædicto tenetur ad officium B. Mariæ, & etiam pensionis amissioni obnoxius est.

200 TERTIA dubitatio sit, supposito esse omnino necessariū ad lucrādos fructus in foro animæ, vt Horas Canonicas persoluat. An id satis sit, quod eas priuatim recitet, an etiam teneatur sub restitutionis onere eas in Ecclesia canendo persolvere, quod de Canonicis præcipuè percōtamur. De qua re primum suppono de Canonicis, quòd etiam si Horas priuatim dicam, si tamen sui præsentiam corporalem in Choro non exhibeant, non lucrantur fructus, & distributiones, etiā in foro animæ. & sanè de distributionibus planè decernitur, in Trid. Syno. Sess. 24. c. 12. ita Couar. lib. 3. var. resol. c. 13. nu. 2. Et in c. 1. de Clerico non resid. lib. 6. & in cap. licet. de Præbendis & digni. Quibus locis id apertè decernitur. Quin etiam existimat consuetudine id introduci nō posse, cum sit contra earū naturā, vt nō residentibus dentur, vt patet ex d. c. vnico. §. ex pluribus. Imo nec residētibus fictè, & interpretatiuè. Quales sunt 201 qui iuris permissione, & concessione residentes, censentur, vt qui est in seruitio Episcopi, vt scribitur in c. de cætero. de Cler. non residente. Et qui literis operam dant, vt gl. explicat in d. c. vnico, in verb. *virtualia*, & expressè habetur in c. licet vobis. de Præb. nisi cōsuetudo sit specialis & iusta de causa in aliqua Ecclesia, vel Rom. Pont. consensu ex causa similitè iusta. Quamuis, vt fatetur nu. 8. illatio. 8. si præsens adsit in loco vbi Ecclesia est constituta, non modò ob infirmitatem, sed ob alia legitima impedimenta ex cōsuetudine lucrari possent distributiones. An verò sufficiat vno die interesse, vt multarū aliarum dierum, imo forsā totius anni redditus lucretur, modò non disputamus, v. g. vt die Sancti Michaëlis Archan. intersit, vt per totum annum fructus faciat suos, id tamen assero ad lucrādas distributiones nō esse satis, nisi eius diei duntaxat, quo adest, vt apertè dicta iura tradūt, & docuit Sylue. ver. beneficium

ficium. §. q. 3. & Cona. De corpore verò beneficii, quod vestuarium, vel grossā appellant, an sit equa, & rationabilis atque Dei Ecclesiæ vtilis consuetudo (maximè post d. §. statuimus. Conc. Later. & decret. Pij V. Vbi decernitur non tantum distrib. sed etiam fructus eiusdem diei, quo non interest non lucrifacere) viderint Doctiores modò vt dixi 202 non discutimus. Quæstio ergo procedit, quando & officium persoluit in Camera & corporaliter adest Choro, an id sufficiat, vt in conscientia retinere possit fructus & distributiones.

SECUNDO suppono, quòd non satis est corpore solum adeste, sed requiritur aliqualis attentio saltem ad verba, siue in Choro cantando, siue domi recitando: quod enim docet Cord. lib. 4. quæst. 13. dub. ultimo in fine, quòd scilicet si nullam omnino attentionem habeat etiam 203 exteriorem, non tenetur restituere, citans ad hoc Medinam. C. de rest. q. 20. Flor. 3. par. tit. 13. cap. 4. §. 7. Sylue. Castrum, & alios multos, mihi non placet, vt infra dicam, meliùs enim docet Nauar. tractatu de oratione, quem Romæ edidit, c. 13. num. 17. & 19. quòd requiritur aliqualis attentio, saltem ad verba. Licet enim, vt supra dixi, non requiratur attentio interior, vt statim probabo (neque etiā requiritur, vt non peccet mortaliter) ad lucrandos fructus, tamen certè vt Ecclesiæ præceptum impleat, requiritur, quæ saltem ad verba attentio, id est, vt rectè pronunciet, præcipitur. Cum enim actus externus fieri nequeat sine interno, Ecclesia potest, & præcipit internum ex consequenti: sicut præcipiendo sacrum audire consequenter præcipit ad Ecclesiam ire. Et licet daremus Ecclesiam, hanc attentionem non præcipere, tamen certè externam attentionem præcipit ex omnium sententia, id est, quādam compositionem & recollectionem externam, qua scilicet non scribat aut confabuletur, &c. licet interius nihil attendat. Si ergo Ecclesia hanc præcipit, & ob id stipendia assignat, ob orationem, inquam, si non veram & meritoriam coram Deo, at certè apparentem exteriùs orationem? Quis enim dixerit esse, non dico veram & meritoriam, sed appa- 204 rentem quidem orationem qua quis nec mente, nec corpore intentus est ijs, quæ in Choro cantantur, sed murmurationibus, aut fabulationibus, aut alijs externis actibus occupatus est. Immeritò ergo Cordu. putauit hunc esse à restitutione immunem, cum non faciat, id ob quod stipendium datur, non solum verè, verum neque etiam fictè. Verum est, quòd si non notabiliter tempore Horæ, sed modicè in his se occupauerit, vt si consignet Chirographum, aut vnum verbum, aut alterum loquatur, non ob id tenebitur, ratam illius diei, imo neque illius Horæ restituere.

TERTIO suppono, quòd si Canonici non habent Cappellanos, vel si habent non adsunt Capellani, tenentur ipsi saltem in communi Horas psallere sub onere restitutionis, cum tunc nec per se, nec per alios officium impleant, & Ecclesiam debito defraudent seruitio, Horarum cano. ob quod, sicut ob causam totalem, vel saltem principalem datur 205 illis stipendium. Dixi, *saltem in communi*, id est, saltem debent esse aliqui ex illis deputati ad officium decantandum. Nam vtrum quicum-

que in particulari non psallens restituere teneatur statim dicemus.

QVARTO suppono, quod non tenentur Canonici, canere cum officium sit cantu figurato, Hispanicè *Canto de organo*, sed satis est, quod habeant capellanos, qui id muneris exequantur, nec decet eorum gratuitatem illo genere cantus vti. Vnde quamuis tum taceant nec peccant, nec restituere tenentur.

206 QUINTO suppono, quod ex eo solú quod malè viuat Canonicus etiam notoriè, non amittit fructus, vt docet Naua. cap. 25. num. 129. & colora. 19. quæst. 1. de redditibus, & in summ. cap. 21. & Syluest. verb. clericus 4. q. 24. summ. Rosel. vt refert idem Syluest. Huius ratio est, meo iudicio. Quia licet non rectè obeat diuina officia, prout Deus ordinauit, tamen rectè deseruit Ecclesiæ quantum ad id quod Ecclesia ordinauit, ob quod illi assignatur stipendium, vt celebrando officium, & orando prout Ecclesia statuit, licet contra seaserint viri non indocti. Sic enim existimauit Adrian. 4. de Rest. quæst. 14. col. 9. vt refert Nauar. Idem tenuit Angel. verb. clericus. 8. §. 5. vt refert Syluest. vbi supra. Quorum sententia ea ratione probatur, quoniam qui est in peccato mortali notorio, maximè fornicationis, est suspensus à canone: ergo idem est ac si non resideret, siquidem inurile & nullum idem sint. Capite inter corporalia, de Transl. episcopi, sicut non ritè fieri & non fieri paria iudicantur. De Presbyt. non bapti. cap. veniens. Quorum si vera sententia esset, nonnulli essent fortasse præbendarum redditus restituendi. 207 Quare primam sententiam veram putamus, ob rationem factam & sanè, vt Nauarrus obijcit, id etiam colligitur ex dicto Concil. Lateranense & ex Extrauagranti Pij V. vbi apertè dicitur primis sex mensibus peccare mortaliter non recitando, & tamen eximitur eo tempore à restitutione.

DEINDE falsum est, quod esse peccatum notorium inducat suspensionem, quidquid dicat D. Anto. quem sequitur summ. Ang. vt dictum est. Et esto, id ita sit vt de fornicario verum est, non ob suspensionem priuandus est fructibus, vel distributionibus, nec ob excommunicationem solum, sed tantú cum est id expressum in sententia, vt docet glossa in c. Pastoralis, de Appell. quod infra examinabimus. dub. 4.

208 SEXTO suppono, quod si adest iusta aliqua causa vera, non ficta, non cantandi in Choro cum præsens est, vt infirmitas & huiusmodi, non admitteret fructus, nec distributiones, imo etiam si omnino non conueniret, vt planè habetur in dicto c. vnico de Clerico non resid. in 6. & notat Syluest. Beneficium 5. q. 3. Angel. & alij. Sotus vbi supra, & Couar. num. 8. contra Palud. & id de iure communi. Nam si esset specialis constitutio vel consuetudo, vt non lucrarentur, nisi qui adsunt, etiam si legitimè absint, illa videretur seruanda, quamuis minimè rationabilem talem consuetudinem vel constitutionem putarem. Quia vbi nullum est peccatum nulla potest esse iniustitia, & per consequens nulla restitutionis obligatio. Sed non putarem esse iniustam talem legem vel consuetudinem, quauis de iure expresso, in d. c. vnico, & de æquitate contrarium sit verius, vt Couar. docet. Id verò quod addit Sylu. & Couar.

Coua. quod est intelligendum de infirmitate, quæ est causa, vt non interfit, aliàs secus, vt quia etiam si non esset infirmus, non iuisset. Quia tunc (inquiunt) non haberet distributiones, cum casus superueniens recipiat interpretationem secundum statum præcedentem, vt patet in c. maiores, de Baptismo ad fin. non omnino placet. Quia mala intentio seu voluntas, qua si esset sanus non iret, licet ad peccatum faciat, non tamen facit quidquam, ad restitutionem, quandoquidem ille est legitimè impeditus. Maximè, quia facilè posset intentionem mutare. Et idem est dicendum, etiam si omnino non recitaret, ratione infirmitatis, vel alicuius legitimæ causæ. Ita apertè declarauit Pius V. in dicto Extrauagranti, nisi legitimum (inquit) impedimentum excuset, tenetur restituere fructus & distributiones. Sed an hoc etiam verum sit de beneficijs, quæ Capellaniæ vocantur, an scilicet Capellanus, qui in infirmitatem incidit, teneatur Missas alicui commendare, suis expensis, vel partem fructuum detrahere, pro rata Missarum, maior dubitatio est. Et sane non videtur esse eadem ratio, quoniam Canonicatus, & alia beneficia ex decimis instituta, dantur in stipendium & decentem clericorum sustentationem, ac proinde si legitimè impeditus est iure positiuo debentur stipendia. Maximè cum causa est infirmitatis, at Capellania quæ ex bonis patrimonialibus cuiusque est instituta non datur in sustentationem, sed datur ex lege & pacto, vt talia ministeria exerceantur, nullo habito respectu ad aliud, atque ita cum non subsequitur causa etiã si inculpabiliter cesset, cessat etiam fructus perceptio. Verum tamè ego dicerem in hac quæstione. Primum, quod si expressè habetur in fundatione, quod non lucrentur, nisi Missas dicere curent per alios, tenebitur vel eas dicere per alium, vel ipse cum conualescat, nisi longa esset tardatio, vel ratà restituere: si verò id non dicitur in fundatione, sed simpliciter, quod dicantur. v. g. tres Missæ in hebdomada, & ob id certa quantitas Capellano consignetur, est distinguendum. Quia si infirmitas esset breuis, puta vnus vel ad summum duorum mensium, non teneretur iterum dicere, aut restituere. Non enim est credendum fundatorem voluisse ita stictè obligare, cum suam mentem non explicaret, nec certè est rationabile tantum emungere. Vnde & ipsis Curatis spacium duorum mensium, non magnum putat Conc. Trid. vt abesse possint ex legitima causa & licetia, & ita in quibusdam Capellanijs est expressè institutum, vt vnus vel duorum mensium tēpus impediēte morbo computetur, ac si verè seruiissent. Si verò largior sit infirmitas tenebitur, vel Missas per alium dicere, vel restituere, ne tanto tēpore defraudetur defuncti. Non enim est verissimile tam longas inducias dare voluisse fūdatorē, ob alias verò causas, & negotia etiam iusta, ab infirmitate non puto, etiã per hebdomadā licere missas omittere, non enim id vel consentit, vel rationabile est cōsentire fundatorem. Quibus suffragatur, quod decernitur in l. arboribus. §. de illo. ff. de Vsu fruct. Quo loco glos. adnotat salarium famulo esse præstandum, quo tēpore ægrotus sit. Quam sententiam probant, Inno. Ioan. And. Barb. in capite 3. de Loc. nu. 25. Dñicus in §. qui verò d. c. vnico Host. & Speculator citati per

142 per Aufrerium, decisio. Tolosa. 268. & fauet l. 4. §. Sticus si hæc. ff. de stat. lib. vbi conditio seruiendi certo tempore censerur contigisse, si eo tempore morbo impediēte non est seruitium præstitum. Et in l. 1. §. Diuus. ff. de Var. cog. Scio equidem contrarium sensisse claros viros, Fræcus in d. §. si verò, glos. in l. penult. C. decod. ob tur. cau. Imol. in d. c. 3. de Loc. Anto. Anchar. Barto. Dynus, Oldral. Iacob. Arenæ. Alberic. Aufre. Card. quos refert & sequitur Coua. in d. num. 8. & Syl. verb. Famuli, q. 2. Vnde r. regum c. penult. Amalechita seruum dereliquit eo quod ægrotare cœpisset. Hæc enim sententia vera est, cum longo quodam tempore vnus (verbi gratia) aut duorum mēsiū, aut vltra ægrotaret & famulus. Si enim breue esset tēpus, vnus, scilicet vel alterius hebdomadæ, certè æquū non esset illud de seruitio subtrahere. Vnde Couar. fatetur num. illo 8. quod dominus tenerur famulo ægrotanti cibaria, & modicas ac tenues expensas exhibere. Multò ergo magis tenebitur paucorum dierum salarium non computare.

Ad rem ergo redeūtes quæstio est an teneatur psallere in choro communiter cū alijs sub onere restitutionis: an verò sufficiat interesse horis, supposito, quod eas priuatim recitauerint? Quidā existimant teneri ad restitutionem nisi psallant, cuius sententiæ est frater Dominic. de Sor. li. 10. de Iust. q. 5. art. 4. ad med. vbi sic, dicit: *stipendium non datur illis, vt assistant & dumtaxat sit numerus, sed reuera vt psallant.* Hæc sententia potest probari (licet eam Sotus non aliter probet, quàm vt dictum est) Quoniam beneficium datur propter officium, sicut ob causam principalem, vt supra ostensum est & habetur c. fi. de Rescrip. in 6. At Canonorum officium est diuina facere in choro, non veluti mutos sedere, ergo tenentur restituere. Iure naturali retineri non potest, quod ob causam datur, causam non subsecuta: quo etiam patet ex toto tit. ff. de Conditionibus obituspem causam. Secundò probari potest ex natura institutionis Canoniatuum, quæ est non vt adsint tantum, sed plane vt psallendo assistant, & quod hæc fuerit & sit talis institutionis natura, declarat Trid. Synod. Sess. 24. c. 22. his verbis. *Omnes Canonici per se, & non per substitutos diuina compellantur obire officia, atque in choro ad psallendum instituto Hymnis, & Canticis nomen Domini reuerēter, distinctè que laudare.* Si ergo hæc est natura, & ratio instituti in Ecclesijs Chori, effici certè viderur eos non satisfacere debito sui officij, qui solam naturalem & corporalem præsentiam exhibent.

215 TERTIO id ostendo. ex Basil. Concil. Sess. 21. §. 3. vbi sic dicitur, *Canonici cum psallendi gratia conueniant, iuncta aut clausa labia tenere non debent, sed omnes præsertim, qui maiore funguntur onere, in Psalmis, Hymnis, & Canticis Deo alacriter modulentur.* Et in Concil. Aquisgra. cap. 131. Canonici religiosissimè in Choro standum, & psallendum est. Vides quomodo patres apertè dicant, non stare sed psallere in choro, non clausa labia iunctaque tenere, sed Deo reuerēter, & distinctè modulari debere. Tandem probari posse viderur hæc sententia ex illa extrauaganti Pij V. supra relata, vbi postquam dixerat non recitantes, non facere fructus suos, nec distributiones, subdit, tametsi aliquis choro ad-

dictus

aliquis choro addictus, non recitans omnibus horis canonicis cum alijs præsens adsit, fructusque & distributiones aliter assignatas solam præsentia iuxta statuta, consuetudinem, foundationem, vel alias sibi lucri fecisse prætendat. Sentit ergo, quod is qui est Choro addictus, si tamen non recitat cum alijs in Choro, licet sit præsens non potest lucrifacere fructus & distributiones, &c. Et viderur hæc sententia colligi ex Syluest. verb. hora. quæst. 6. & Armilla eodem verbo quæst. 21. quatenus asserunt in Ecclesijs collegiatis, & Cathedralibus, & regularibus dicendas esse Horas in Ecclesia. Si ergo peccant tacendo in Choro, cum tale peccatum sit contra iustitiam ob rationem officij & beneficij, & naturæ foundationis, &c. sequitur oriri obligationem restitutionis.

Ergo verò saluo meliori iudicio existimarem nullam esse restituendi obligationem, suppositis, quæ supra diximus, vt attentè saltem ad verba, vel attentione quadam saltem externa corporis, assistant, & domi officium persoluant, Capellanos habeant, &c. moueor ea potissimè ratione. Quoniam, etsi rigorem iuris attendamus, & veterem Ecclesiarum institutionem & foundationem (qua ratione per se psallere, & cætera diuina obire officia tenebantur) tamen de cōsuetudine iam à multis annis recepta, tollerata, & approbata oppositum cernimus obseruari, Papa cæterisque Prælatibus videntibus & tacentibus. Neque verò omni ex parte propria & prisca cōsuetudo cessasse mihi videtur. Nam & Missas per hebdomadas psallendo dicunt, & in Horis Canonicis capitulum & orationem canunt, Episcopo celebranti assistunt, & alia plura. Solum igitur quoad Horas introductum est, vt per Capellanos canentes ipsi assistant. Cum talis igitur consuetudo vigeat, & prælati consentiant, sequitur, nec eos non canentes peccare, nec ad vllam restitutionem teneri. Secundò, id mihi persuadeo ob iura, quæ huic parti fauent plurimum. Nam in cap. 1. de Clerico non resid. lib. 6. sic habetur. *distributiones eis qui in choro adfuerint dentur,* & in Concil. Trident. vbi supra eadem prorsus verba scripta sunt, citato prædicto cap. ex Bonif. 8. quod idem in cap. licet de Præb. & digni. prorsus habetur, & multo expressius, in act. 3. Decre. 10. Concil. Tolon. quod celebratum est sub Pio V. Sede ipsa Toletana vacante. Si ergo prædicta iura statuunt quotidianas distributiones esse conferendas iis, qui interfunt, & nihil amplius, vt illis dentur, exigunt, consequi viderur, eos qui adsunt licitè eas percipere, iureque facere suas, & multò melius fructus ipsius beneficij cum eorum loco distributiones fuerint subrogatæ, & per consequens sint eiusdem naturæ, & sub eisdem legibus subiectæ, quoad causam eas percipiendi, imo longè plura requiruntur ad distributiones lucrandas, quàm ad fructus, vt omnes fatentur. Vnde vnus diei residentiam videmus totius anni fructus lucrari, & tamen distributiones non nisi eius diei, duo residet, & communis opinio ante Concil. Lateran. (vt

Tom. 1.

in foro animæ esse restituendas , vt patet per Syluest. verbo , beneficium, §. quæst. 3. Si ergo distributiones dandas esse iura decernunt eis, qui interfunt, à fortiori concedentur etiam & fructus , & ita colligo ex Couar. num. illo 3.

S E D contra prædicta facere videtur, huiusmodi consuetudinem non valere nunc temporis. Licet enim ante Concilium Triden. consuetudo non psallendi à peccato & restitutionis onere excusaret , tamen ea consuetudo improbata & sublata videtur per dictum Concilium: dicit enim, *compellantur canonici per se diuina obire officia, & non per substitutos atque in choro ad psallendum instituto Hymnis, & Canticis Dei nomen reuerentur, dignè, & distinctè laudare.* Si ergo ad id compellendos canonicos Concilium præcipit manifestum est , contrariam illam consuetudinem omnino damnare. Verùm respon. non dixisse Concil. vt ipsi teneantur obire officia per se, & non per substitutos, & quòd ipsi nomen Dei laudent in Psalmis , &c. Sed quod compellantur id facere , & ita præceptum non dirigitur ad ipsos , sed ad prælatos , qui si in eo negligentes essent , peccarent illi quidem , non Canonici sua vtentes consuetudine. Fuit enim intentio Concilij , vt prælati conuenientibus iuris remediis canonicos compellendo, eos ad pristinum psallendi morem , & primæuam institutionem , reuocarent: qua salutari , & antiqua consuetudine reuocata, tum demum sub mortali tenerentur canonici psallendo officium per se ipsos exercere sub mortali & sub restitutionis onere. Vnde Armill. §. illo 21. cum dixisset Canonicos debere in Ecclesia officium dicere in Choro, subdit, *& prælati, vel illi ad quos pertinet facere hoc obseruari, si omittant mortaliter agunt*, quasi præceptum sit non ad Canonicos, sed Episcopum, & ad alios obseruatores quibus ex officio conuenit. Neque tamen ob prædicta in eam sententiam ingredimur, qua aliqui putant delendum esse de Ecclesia figuratum cantum, quod propositum in Concil. Tole. prouinciali anno 1573. ab aliquibus perhibetur fuisse. Nam ad Dei honorem, Ecclesiæ splendorem , & fidelium deuotionem pertinere id canendi genus arbitramur.

E x quibus patet solutio primi argumenti. Licet enim officium Canonicoꝝ sit Horas Canonicas psallere in choro , si primam institutionem attendamus, tamen de consuetudine solum est, vt Missam ordinatim psallant in Ecclesia , vt horarum officium suo ordine faciāt, hebdomadarij officium exequentes, incipientes Horam , cantantes capitulum, & orationem, & denique Choro assistere, & sua assistentia Dei gloriam complecti. Et sanè multò pulchrius , & ad proximorum consolationem , & ædificationem , & ad Dei laudem accommodatius est , vt coadiutores (quos pertionarios vocant,) & Capellanos (quos Cantores dicunt) habentes, diuina officia mira suauitate , & vocum varietate, atque instrumentorum cantibus exequentes ipsi veluti maiores sacerdotes omnia conspiciant, & gubernent, quæ ab inferioribus decantantur interius meditentur. Ob hæc ergo officia (quæ & consuetudo habet, & in se non sunt minima) dantur eis redditus & distributiones. Fateor equidem quòd in diebus non festiuis, vbi cantu figurato non vti solent, sed can

sed cantu communi vulgo *cantollano* deberent prælati , vt supra dicebam, & Concilium Tridentinum præcipit , eos ad psallendum cogere, tum enim tacere non tam est rationabilis consuetudo , sicut in festiuis diebus. Et per hæc patet ad secundum.

A D tertium ex Concil. Basiliens. & Aquisgran. Respon. ad primum ibi Concilium videri magis, quàm præceptum dari. Dicunt enim patres, *debent psallere*, quod verbum consilium denotare videtur. Deinde si esset præceptum consuetudine derogatum est , sicut ipsa prima institutio. Maximè quia prædicta Concilia habita sunt, cum nondum essent cantores in Ecclesiis creati, & ad coadiuuandum introducti, quo casu omnes fatentur Canonicos teneri per se ipsos psallere, nulla consuetudine excusante , vt dixi in quarta suppositione. Esset enim corruptela magis, quàm prouida, honesta, & rationabilis consuetudo.

A D vltimum ex illa extrauaganti Pij V. quod magis vrgere videtur respon. sensum illorum verborum , si rectè expendantur, non esse eum, quem arguendo afferebamus , sed is est planus sensus. Ille qui non recitauerit Horas, scilicet, nec in choro , nec extra, quamuis in choro adsit, præterens sola præsentia lucrari , non lucrificiet fructus & distributiones: itaque illa particula, *cum aliis*, non est iungenda illi verbo non recitans, ita vt sensus sit , quòd cum aliis, non recitans in Choro, non lucrificiat. Id enim alienum est ab intentione Pont. quæ erat condemnare non recitantes vlllo modo , vti factum erat , vt in d. §. statuimus Concil. Lateranen. Sensus ergo est, teneretur restituere non recitans Horas tamen non recitans, id est , prædictus beneficiarius non dicens Horas, sit præsens cum aliis in Choro omnibus horis, quâuis præterdat sola præsentia, &c. Adde quòd illud verbum *sola præsentia* ostendit loqui, de non dicente Horas etiam in camera, sed solum quia præsens est Choro, vult lucrari fructus & distributiones. Nos verò non solum præsentiam sufficere putamus , sed etiã recitare horas oportere saltem in priuato. Fateor quòd accentuatio dictæ extrauagan. pro vt refertur à Nauar. magnam mihi dubitandi materiam dedit. Oppositum enim potius sensum indicat. Ego verò nullam aliam legi nisi illam. Nam post verbum *non recitans*, non habet incisionem, sed cætera iungit , scilicet *omnibus horis*, & ita sensus est, quod teneretur restituere non recitans cum aliis, etsi omnibus horis adsit, at (sententia mea) non recta videtur accentuatio, nec menti, nec verbis Pontif. consona, vt dixi, sed particula *cum aliis*, determinat verbum *præsens adsit*, immediatè sequens, ita vt sensus sit , tamen cum aliis præsens adsit non recitans officium, non lucretur : vnde consequens est , vt is qui non recitat licet præsens adsit, non faciat distributiones fructusque suos. Non autem qui recitat, & aliàs præsens adest, cum conditionibus supra positis. Et hæc circa hanc dub. à Doctoribus parum agitatam à nobis dicta sint. Id adnotare placet post has scriptas considerationes legisse me , Bernardinum Sandoualis bonis litteris , & summa pietate virum , vt eius scripra declarare videntur , qui nostram de restitutione sententiam , & ob id ipsum fundamentum astruit, (quem modò ad manum non habui)

teneret inquam in titulo de Diuinis officiis cap. 16. & Syluest. verb. hora. quæst. 2. dicto 4. dicens de bene esse teneri beneficiatum dicere Horas in Ecclesia, sed ibi loquitur Syluest. de beneficiatis in communi, nam de Canonicis in particulari docet eodem verbo q. 10. teneri ad dicendum officium in Ecclesia, nisi sit legitimè impeditus per 92. d. c. fin. & ita pro prima opinione supra est à nobis relatus. Nostræ tamen sententiæ præter præfatum Dominum Bernardinum videtur Caiet. in summa. Qui cum disputaret, an satisfaceret Horis canonicis, qui versu sui chori submissè dicit, respondet. Quod licet de iure non satisfaciatur, si tamen intelligerem (inquit) esse in consuetudine non condemnarem, tanto magis quanto maiores non tam cantare, quam ea quæ ab aliis cantantur meditari oportet, & colligitur ex Couarru. num. illo 3. vt dixi.

227
TERTIA dubitatio sit. Num qui Horas recitat, vel canit sine attentione teneatur ad restitutionem siue Horas ipsas repetendo, vt specialiter defraudatis restituat spiritualia, siue saltem fructus? Primum præmitto, quòd non tenetur restitutionem facere spiritualem, secundum æqualitatem, id est, non tenetur Horas sic sine attentione recitatas, repetere die iam transacto, vt dixi supra dubitatione præcedenti de beneficiato omnino non recitante. Quamuis Viguerius, & alij, quos (cum de canono. horis agerem) retuli oppositum senserint. Quæstio ergo est de fructibus & distributionibus, an teneatur restituere. Et quæstio est generaliter de omni beneficiato.

228
SECUNDO suppono, quòd non eo solo quòd sit in peccato mortali (etiam fornicatione notoria) teneretur restituere, vt supra dixi, imo potius & satisfaciatur præcepto Ecclesiæ de recitandis, & psallendis Horis, ita vt nouum non committat peccatum contra præceptum recitandi. Licet contra senserit Adrianus, & alij quos supra retuli, & alibi latius tradidit. Tota ergo dubitatio est de eo qui sine attentione eas vel cecinit in choro, aliàs eas non recitans, vel extra chorum sine attentione vlla dixit.

IN qua difficultate Sotus lib. 10. de Iust. quæst. 5. art. 6. conc. 4. in fine docet, quòd ille qui voluntariè se distrahit, licet mortaliter peccet, non tenetur vllam facere restitutionem, sed Sotus ibi loquitur consequenter ad quandam suam (quam ibi tenet) opinionem, supra à nobis refutatam, quòd dimittens officium vnum, vel duos dies non tenetur ad restitutionem. Vnde eam reddit rationem suæ sententiæ, quia (inquit) si totum officium dimitteret non peccaret, ergo à fortiori quia desit attentio etiam de industria non tenebitur restituere. Si verò attentionem perpetuò non haberet, non explicat Sotus an restituere teneatur, verum tamen quodammodo deducitur ex eius sententia, quòd teneretur restituere. Quoniam cum eam rationem adhibeat, ne teneatur, quia (inquit) totum dimittere non obligat ad restitutionem ergo à contrario sensu, in casu, quo officium dimittendo peccasset mortaliter (vt si vltra quatuor vel 8. dies dimitteret) sentiret esse mortale, sine attentione recitare, Naua. ergo tractatu de oratione, quem Romæ edidit, c. 23. nu. 229
7. hanc opinionem planè defendit, eum, qui in priuato, vel in choro se
230
volun

voluntariè distrahit, non lucrari distributiones, & fructus eius diei, & per consequens eius horæ, in qua voluit esse distractus. Et potest probari hæc sententia (ille enim non probat) quia ille non satisfaciatur præcepto de recitandis horis, quin potius mortaliter peccat, ergo iniuste accipit distributiones & fructus. Non enim solùm non ritè exequitur officium diuinum, vt ille qui est in peccato mortali occulto, vel notorio, sed neque vllò modo implet. Oratio enim sine attentione, non est oratio. Docet tamen num. 19. sufficere attentionem ad verba, quæ licet sit inferior ex tribus, scilicet ad Deum, ad sensum, & ad verba, tamen talis attentio sufficit ad saluanda iura, quæ postulant attentionem.

CORVBA tamen per aliud extremum, lib. 4. quæst. 9. 13. docet 231
nec distributiones, nec fructus esse restituendos. Quia licet talis oratio ad effectum vitandi peccatum, non valeat, tamen ad effectum non recitandi iterum, quæ est spiritualis restitutio, & ad effectum non restituendi redditus, tales orationes acceptat Ecclesia. Maximè (inquit) quia Ecclesiæ deuotio supplet, cuius ministri sunt, sicut & voces organorum, & alias instrumentorum insensatas acceptat. Quam opinionem adscribit Medina, Ant. Castr. Syluest. & aliis, quos retuli dubit. præcedenti, supposit. 2. Porro omnino mihi falsa videtur hæc Cordubæ sententia. Primum enim quòd ait non requiri ad lucrandos redditus, exterior saltem attentio, quæ non est propriè attentio, cum non sit mentis, sed compositio quædam, modestia, & recollectio exterior, qua saltem secundum apparentiam, videatur attentus, verba & confabulationes vitando, à ratione prorsus est alienum, vt supra probaui. Nam ex omnium sententia, peccat mortaliter, & non satisfaciatur præcepto Ecclesiæ, de recitandis horis, quidquid dicat Cord. Quin potius vtramque restitutionem facere tenetur, spiritualem quidem repetendo (si tamen dies non 232
est elapsus, aliàs non tenetur, vt supra dixi) & temporalem fructuum. Cum enim iura præcipiant attentionem & deuotionem aliquam (vt patet ex cap. dolentes de Celebratione Miss. vbi præcipitur attentè, pariter, & deuotè. Et in Concilio Trident. & aliis supra relatis, vt distinctè & reuerèter) omnino gratis sibi persuader Cord. Ecclesiam talem orationem: quæ oratio non est vera, nec ficta acceptare ad aliquem effectum. Quis enim sibi persuadeat in Choro confabulantes, ridentes, murmurantes, scribentes, & alia aliena intermiscientes, aliquo pacto ab Ecclesia acceptari, & nec Horas recitare, nec redditus restituere teneantur? Longè enim violentior est præsumptio non acceptandi Ecclesiam. Cum eius præceptum, quòd de exterioribus est, etiam exteriori non obseruent, quòd maximè dolet Pontif. in d. cap.

SECUNDO putamus, non modò esse necessariam hanc exteriorem 233
corporeæ compositionis attentionem, sed etiam interiorem, non sanè ad Deum, vel ad sensum, sed saltem ad verba, vt quis redditus lucretur, & ita sentit Nauarr. vbi supra. Moueor, quoniam licet non sit necessarium implere præceptum diuinum de oratione, ad lucrandos fructus, tamen certè Ecclesiæ præceptum necesse est implere, ob cuius impletionem, ipsa Ecclesia stipendia assignauit, at præceptum ab Ecclesia de

hac interiori attentione ad verba. Licet enim nos cum hanc materiam de Horarum attentione tractassemus, in eam sententiam fuerimus ingressi, ut arbitraremur Ecclesiam non precipere interiori attentionem, sicut ad Deum, & sensum. Vnde voluntarie & ex professo se distrahentem, & de bellis & inutilibus rebus cogitantem, non peccare mortaliter, tamen eam attentionem, sine qua recta pronuntiatio & recitatio esse non potest, in Ecclesiae praecepto esse existimabamus. Constat autem neminem ne ad verba quidem attendentem, posse ea verè & distinctè pronuntiare, & saltem periculo errandi, se exponere. Igitur talis attentio est sub Ecclesiae praecepto: & per consequens eam non habentem, & horas recitare, si dies est, & fructus restituere, teneri.

F A T E O R equidem, quod si quis memoria teneret omnia recitanda, quamuis nec ad verba attenderet, satisfaceret, cum non se exponat periculo non pronuntiandi, ut exterius attentionem exhibeat. Vnde qui de more solito dicit, vel Laudes, aut Primam, vel aliam Horam memoria, in fine verò ultimi psalmi aduertit se recitare, credendum est Ecclesiae praecepto satisfacisse, & ad restitutionem non teneri, cum rectè saltem pronuntiauisse sit verisimile.

235 **Q V A R T A M** difficultatem placet hic examinare breuiter, quæ ex dub. 5. suppos. 1. distulimus. An excommunicatus, vel suspensus à iure, vel ab homine, sit priuatus, ipso facto, fructibus & distributionibus, & ita ea restituere teneatur. Nam Hadrianus, & alij, quos ibi retuli, dicunt teneri ratione peccati notorij, vel occulti. Quia dicunt idem est ac si non oraret, cum non ritè oret. Quia nullam & inutile, idem sunt. Contrariū tamen docet Syluester, ut ibi diximus. Quia si non quoad Deum, tamen quoad Ecclesiam ritè exequitur officium. Nauar. mediam sequitur sententiam c. 25. numero 123. Quod scilicet potest percipere aliquot fructus, sed non omnes, eos nempe qui satis erunt ad se, & suos honestè sustentandos, ceteros teneri restituere, & id, nisi bona habeat, vnde viuat. Quod Couar. verum solùm fatetur de deposito, vel suspensio ob **236** crimen, ne cogatur mendicare, grauatus inopia, in opprobrium ordinis clericalis: non autem de excommunicato, vel suspensio ob contumaciam. Huic enim, etsi egenus sit, nihil dari debet de redditibus beneficiorum, cum possint à contumacia, & consequenter ab excommunicatione, immunes fieri: quod idem ceter de eo, qui actu, & solemniter depositus est, & exauthoratus militia sacerdotali. Quod frequentissimo omnium calculo receptum esse testatur. Quod probat ex Glof. in c. Cum Vnioniensis, verb. admiserunt, de Elect. & clem. Ut ij qui de aetate & qualitate. Et c. Pastoralis. §. fin. de Appell. receptas per Panor. in d. locis. Et ex c. Apost. de Excep. Ij tamen auctores non explicant, an loquatur de eo excommunicato, qui in effectu residet, an non, & ideo mihi videtur esse distinctione opus.

237 **P R I M V M** ergo videtur, quod siue sit excommunicatus, siue suspensus etiā notoriè, si in effectu venit ad Chorum, & residet, & Horas recitat, &c. non teneri restituere fructus. Quia ut supra dixi, dub. 5. ex Syluest. Licet quoad Deum non satisfaciatur, tamen quoad Ecclesiam facit

facit quod illa ordinauit, & id nisi in sententia explicetur, quod sit priuatus fructibus, id enim planum est. Siue ergo fructus, siue distributiones lucratur in conscientia, occultè vel notoriè excommunicatus, dummodò resideat, & sua munera præstet, cum circumstantiis supra à nobis positis. Nec opus est limitare hoc, ad eos redditus, qui sunt necessarii: quia si reuera recitat, & residet, omnes lucratur, & ex iustitia illi debentur, cum reuera exequatur diuina officia, prout Ecclesia ordinauit. Verum est, quod excommunicatus notoriè, neque ille veniet, nec tollerabitur in officiis cum aliis, & ita de hoc non est tanta difficultas, nec puto Nauar. loquutum fuisse in illa limitatione, de excommunicato reuera officium exequentem, sed de non veniente, sicut & Couar. illatione 12. Id ergo solùm in hoc puncto probatum volumus, quod præcisè ratione peccati mortalis, vel censuræ, non est priuatus redditibus, **238** quicumque beneficiatus, siue Curatus, siue Canonicus, siue simplex habens beneficium, modò tamen officia exequatur.

S E C V N D O ergo videtur, quod si non venit ad Chorum, nullo pacto lucrabitur distributiones, nisi iniqua esset excommunicatio, ut ait Couar. Hæ enim non nisi residentibus in effectu, dantur, nisi adsint legitima impedimenta: quia non est legitimū impedimentū, cum sua culpa sit excommunicatus, ita Couar. illat. 12. Nauar. vbi supra, & l. 3. & 9. part. 1. Sed quid, si non stat per eum, quod minùs absoluatur, in hoc casu docet Nauar. nu. illo 223. quod non teneri restituere, & ita mihi videtur, quia tunc incipit esse legitimè impeditus. Nec refert, quod sua culpa **239** incidit impedimentum, quia cum iam non stet per ipsum, quod minùs absoluatur, non est culpabile, quoniam non adsit, sicut licet infirmitatem sua culpa incurrisset, non ob id, dicemus non esse legitimum impedimentum, cum per eum iam non stet, quin veniat ad Chorum, ut in hac specie adnotauit Couar. nu. illo 8. illat. 7. c. 13. lib. 3. Var. resol. quæ de fructibus grossæ verissima sunt. Vnde annotat Couar. illat. 12. quod iniuste excommunicatus, non est priuatus fructibus, etiam si non adsit Choro, & docet glof. in c. super. 2. q. 5. glof. in c. Pastoralis. §. verum, de Appellat. Panormit. & Imol. ibidem. Dominicus in cap. contumaces, dist. 50. de distributionibus non nihil difficultatis habent, sed idem omnino putarem. Iura enim supra dicta, tam de fructibus, quam de distributionibus, dicunt dandas esse residentibus, nisi legitimè sint impediti. Scio putare Couar. illat. 12. non lucrari, nisi duo concurrat. Primum, ut **240** tēpore excommunicationis resideat, id est, præsens sit in ea ciuitate, vbi beneficium habet. Secundò, ut ante excommunicationem esset solitus diuini officii interesse, ea fortasse ratione (ut suspicor) quoniam excommunicatio in isto, non est causa non interessendi, sicut dixerat idem Couar. infirmitatem, quæ causa non est, ut non intersit, quia aliàs erat solitus non interesse, non sufficere, ut lucretur absens, distributiones. Verum tamen, quod attinet ad hanc partem (iam supra ostendimus) saluo aliorum iudicio, quod etiam si infirmitas, vel aliud Canonicum impedimentum (quale videtur esse iniusta excommunicatio, de qua loquimur) non sit causa, sine qua, non absentia à Choro, nihil nocere ad lucrandas

lucrandas distributiones. Nam interior bonus, vel malus animus in restitutionibus, nihil efficit, nec Ecclesia talem actum internum punit. Si enim ille venire vellet ad Chorum, eo die, quo ægrotare, vel excommunicari iniuste, cœpit, quis dubitat, quin ille lucraretur fructus, & distributiones, cum reuera sit iam infirmitas, vel excommunicatio, totalis causa non interessendi, sola igitur animi voluntas, & interior motus, ius ad fructus, vel distributiones daret vel auferret, solamque hanc cogitationem Ecclesia puniret, quod dicendum non est, maximè, quia facilè sic infirmus vel excommunicatus, posset mentem mutare, & ita, sola sua voluntate, se à restitutionis obligatione eximere. Et ut nostræ sententiæ rationem meliùs intelligas, accipe è diuerso argumentationem. Si Canonicus ad Ecclesiam ire solitus, in morbum incideret, secumque (licet prauè) decerneret, non iturum ad Ecclesiam, etiam si valeret. Nunquid is fructibus vel distributionibus priuatus erit? Nequaquam sanè. Praua enim cogitatio ius percipiendi, ex legitimo impedimento, auferre non potest, & tamen iuxta hanc sententiam non faceret fructus suos, & distributiones huiusmodi. Si quidem infirmitas illa non est causa, sine qua non absentia, vt patet. Nam etiam si valens esset, non accederet. Illud est confitendum, in exteriori foro Couar. & aliorum valere sententiam. Is enim, in quo infirmitas & excommunicatio iniusta, efficax causa absentia non est, quia non erat venire solitus, non repetit distributiones, nec ei dabuntur. Quia præsumitur, quòd valens, non veniret, & ira in pœnam iustæ præsumptionis, iam antea per solitam absentiam ab Ecclesia, cognita, priuari poterit, etiam tempore legitimi impedimenti. Nos verò ante sententiam loquimur.

241
242
243
244
QVINTA difficultas, vtrum sacerdos, qui pro vna Missa, plures accipit eleemosinas, teneatur ad restitutionem damni spiritualis illati, vel Missas iterum dicendo, vel faciendo, vt alius pro eo dicat, vel saltem temporalem pithantiam restituendo? Quæstio hæc pendet ex ea, an Missa pro multis oblata, tantum valeat singulis, ac si pro vno quoque solummodò diceretur? Pro cuius quæstionis intelligentia, quædam mihi, lector, præmittenda sunt. Primum, in vnoquoque bono opere in charitate factò, esse tres valores, aut fructus. Primus est valor meriti condigni, quia scilicet pro illo, danda est gloria in cœlo, ex iustitia & lege Dei, iusta illud Christi Redemptoris nostri, qui dederit potum aquæ frigida in nomine meo, &c.

SECVNDO, est impetratio, quia scilicet per actus bonos in charitate factos, impetramus à Deo nostras petitiones, & hoc potest dici etiã meritum, sed de cõgruo. Non enim aliqua lege tenetur Deus, omnes nostras petitiones concedere in particulari, sed est cõgruum, vt ipse sua liberalitate, nostris annuat petitionibus salutis, scilicet bonorũ successuum, &c. Quamuis si quatuor condiciones adsint in oratione, quas D. Thomas commemorat 2. 2. q. 85. art. 6. ad secundum. Syluest. verb. oratio. q. 6. dict. 4. & Gabr. lect. 63. in princ. infallibiliter impetrabuntur petita, ex eius sententia. Tertio, valet quodcumque bonum opus in charitate factum, ad satisfactionem pœnæ debitæ pro peccatis, & id ex iustitia,

iustitia, vt cum de satisfactione agerem, scripsi. Neque opus est ista nunc probare, sed præmittere, vt certam sapientissimorum doctrinam. Est tamen quædam inter prædicta bona, differentia. Nam primum bonum scilicet meriti ex condigno, non potest alteri valere, quàm facienti ipsum actum, vt cum de gratia agerem probavi & est communis sententia, at meritum congrui seu impetratio quæ sunt in secundo genere, & satisfactio, quæ est in tertio genere potest aliis applicari, vt in dicta materia de satisfactione ostendi, & Sum. quotidie Pontifex per indulgentiarum concessionem applicat & eis valet non solum ex congruo, sed etiam ex condigno. Cum igitur Missæ celebratio inter opera bona computetur, ideo illi actui dicta tria bona respondeant necesse est. Nempe meritum, quòd solius est sacerdotis, impetratio, & satisfactio, quæ potest prodesse aliis, & hæc procedunt de actu illo, prout noster est, quod opus vocant operatis, nam prout Christi actio, & meritum est iam dicere pergimus.

EST secundò notandum, quòd in Missæ sacrificio est valor ex opere operatis, qui triplex est, vt dictum est in primo puncto, & ultra hoc, valor est ex opere operato, nempe ex bonis operibus Christi, quæ ibi velut in vase quodam reseruantur, & nobis applicantur, & in eo est assignare triplex illud bonitatis genus. Nam ibi ultra nostrum actum, aut triplicem eius valorem, alius triplex valor reperitur. Meritum scilicet Christi, impetratio eiusdem, aut satisfactio, quæ nostros longè superant, quippe qui infiniti in ratione meriti & satisfactionis, à quibus nostra operatio habet suos valores, vim & efficaciam omnem. Est tamen quædam differentia, quia (vt dixi) meritum nostrum nulli valet ex iustitia ad gloriam vel ad augmentum gratiæ: sed meritum Christi, satisfactio, & impetratio valent nobis de cõdigno, aut ex iustitia, quia est caput nostrum, & i a nobis membris cum applicatur, valet ex iustitia, ac si nostra essent eius merita ad gloriam & satisfactionem. Vnde tam primam gratiam & remissionem peccatorum operatur in nobis illud sacrificium & cætera sacramenta, quàm ipsam pœnæ remissionem. Si enim Adæ peccatum quia peccatum erat capitis ex iustitia omnes eius posteros condemnatos infecit, multò magis Christi gratia (qui est secundus Adam) meritum, & satisfactio omnes quotquot attingit saluare ac reficere poterit, vt ubi abundauit delictum superabundet, & gratia. Est & alia meo iudicio differentia, quia cum eleemossina taxatur, promissa, vel aliquis sua sponte promittit alicui Missam dicere, vel eius defuncto, non taxatur neque promittitur valor, secundum quod est operantis, sed secundum id quod est ex opere operato, vt benè Caietanus docuit in Quodlib. de celebratione Missæ quæst. 2. vers. ex his ergo, & Cord. lib. 1. quæst. q. 4. §. pro declaratione. Meritum enim & satisfactio, quæ est ex deuotione offerentis, liberè potest applicare sibi vel alteri, vt placebit. Quod inde manifestatur, quod si quis in peccato mortali celebrat satisfacit, vt notum est danti sibi eleemossinam, & tamen non applicat meritum, vel satisfactionem suo actui respondentem, quæ nulla est, sed solum Christi satisfactionem

& meritum. Non ergo tenetur ex iustitia Missam petenti, vel deuotionem adhibere suam, vel adhibitam applicare ei, pro quo celebrat. Ex quo obiter decet inferre, petenti Missam de spiritu sancto, de defunctis, vel de alio sancto, vel vt Oratione de salute, vel de B. Virgine, &c. 248 apponat, non teneri sacerdotem acquiescere, nisi ob specialem illum laborem non debitum, eleemosynam augeat. Quod non solum probo ex eo, quod vt Syluest. sentit verb. Missa, q. 8. dicto 5. & supplementum ab eo citatum, & alij multi, nulla Missa est defuncto, vel cuiquam alteri salubrior, quam diei. Hoc enim infra examinabimus, sed etiam ex eo, quod cum taxatur Missæ labor, non cum iis circumstantiis sed simpliciter taxatur. Vnde importunas has condiciones sacerdos non tenetur admittere, nisi specialiter promitteret: tum enim teneretur ex vi promissionis & veracitatis sub veniali peccato implere, sicut aliam quamuis promissionem, quæ non impleta non damnificaret proximum notabiliter. Licet Syluest. verb. Missa, peccatum esse mortale contendat, cum dicat infideliter agere, & non satisfacere, quod tunc verum dumtaxat putarem, cum ob has condiciones & similes (vt quod Missa dicatur in hoc loco, quo etiam casu loquitur Syluest.) eleemosyna notabiliter augetur.

249 TERTIO est animaduertendum, adhuc præter valorem illum triplicem ex opere offerentis ministri, & alium triplicem ex opere oblari Christi, imo etiam verè offerentis, esse etiam alium triplicem valorem ex fide & deuotione Ecclesiæ offerentis illud sacrificium. Quia vt ex Canone constat, Ecclesia offert illud medio ministro. Sunt enim Missa, orationes, & cæremoniæ actus quidam publici ex institutione Ecclesiæ ordinati: atque idem dico de Horis Canonicis & de aliis orationibus ab Ecclesia compositis. Et quamuis Scotus Quodlib. 20. art. 2. & Gabr. in 4. distinct. 1. & 45. vt citat Cord. appellant hunc valorem ex opere operato, quia inuenitur in hoc sacrificio vltra meritum operantis ministri, tamen melius docet Cord. in libro 1. quæst. q. 3. & Couar. in capite Alma mater parte priori §. 5. num. 6. Syluest. verb. 250 Missa in principio. Nauartus capite 25. num. 111. pertinere ad opus operantis, cum habeat efficaciam ex Ecclesiæ deuotione vel fide. Alioquin etiam Horæ cano. & aliæ publicæ ab Ecclesia institutæ haberent effectum ex opere operato, cum vltra sacerdotis meritum habeant valorem alium, scilicet ex Ecclesiæ merito, quod non verè diceretur, quidquid idem Gabriel velit, lectione 57. litera B. Quod idem, & à fortiori docet de Oratione dominica, & Medina C. de oratione c. de oratione pro se fusa. Gerson 3. part. Alphab. 7. Id enim solum est verum quia præter motum priuatæ personæ habent valorem ex deuotione Ecclesiæ, vel Christi orationem præcipientis, & instituentis. Idem est dicendum de valore eiusdem Missæ ex opere operantis, petentis (in- 251 quam) illam, & fidelium audientium & offerentium. Nam ijs etiam respondet suum meritum & satisfactio, si in gratia sint, vt dictum est de ipso sacerdote offerente.

S E D antequam vltcrius progrediar, placet breuiter rogare tria. Primum,

Primum, an valor Missæ, prout est ab Ecclesia, sit maior semper, quam prout est à ministro? Alterum an ex in deuotione ministri minuatur valor ille, qui ex Ecclesiæ opere cõsurgit? Postremum, an possit sacerdos hunc qui ex Ecclesia est valorè, cui volet applicare, an verò satisfaciat, offerendo, & ex opere operato est Christi. Primæ dubitationi respondeo, me putare quantumuis cresceret ministri etiã sanctissimi deuotio nunquam peruenturam, vt æquet prædictum valorem. Nullus enim in particulari etiam sanctissimus dilectior atq; acceptabilior esse potest Deo in terra, quã sit tota eius Ecclesia, sancta, immaculata, non habens maculam neque rugam, contra cuius firmissimam fidem & charitatem inferorù portæ non præualebunt. Maxime, quia corpus totum, multò 252 maioris virtutis esse debet, quam singulare membrum. Vnde sicut Christi meritum est in infinitum maius, quam Ecclesiæ, & ita valor huius sacrificij non potest habere æqualem, ita valor eiusdem, prout ab Ecclesia est, longè superat valorem ex deuotione optimi cuiusque sacerdotis: quod magno solatio esse debet iis, qui Missas dicere iubet, cum participes sint vltra Christi meritum & satisfactionem, etiam tot sanctorum (qui in Ecclesia sunt) meriti & deuotionis, quod vt statim dicemus non impeditur ob malum ministrum. Secundæ dubitationi respondet Syluest. verbo Missa, in principio, prædictum valorem minui vel augeri ex deuotione & bonitate maiori, vel minori ministri, quia (inquit) minister est instrumentum Ecclesiæ, at verò instrumentum, quod aptius est operatur melius. Si minister igitur est in gratia vel maiorem habet deuotionem, fructuosior erit Missa, quoad orationes & preces Ecclesiæ. Quam ego sententiam nõ omnino probo: Quippe 253 ey qua sequeretur Missam mali sacerdotis nullius penitus esse valoris, nõ modò valore ab Ecclesia recepto, verum etiam quo ad sacrificium & meritum Christi oblari, quod ipse & omnes tanquam erroneum eijcere debemus. Consequutio ex eo valet. Nam minister est Christi instrumentum, quemadmodum etiam in sacramentis, vt Christi instrumentum gratiam confert. Cum igitur tam respectu Christi quam Ecclesiæ minister exhibeat nudum ministerium, non debet eius malitia totaliter impedire, aut infirmitas & indeuotio eneruare siue Christi, siue Ecclesiæ meritum & valorè, neq; omnino quidquam officere, sicut nec malus famulus dans eleemosynã, vt instrumentum sui domini quicquam illius merito ob est, aut præiudicat. Rectius ergo docet Ange- 254 lus, quod Missa boni sacerdotis, quo ad orationes & accidentalia Missæ annexa, melior est melioris, prout orationes illæ pendent ab eo, vt priuata persona est, non tamen vt publica persona gerens vices Ecclesiæ. Sic enim à quocunque dicatur, æquè fructuosa oratio est, sicut & ipsum sacrificium. Sed rogas curiosus, quid si non vt minister Ecclesiæ, sed verbi gratia laicus Horas Cano. recitat, & Oratione dominicam, nunquid si in peccato mortali eas fundat proderunt saltem his pro quibus oratio fit? Scotus dist. illa 15. q. 2. art. 1. putat non prodesse. Quia ex quo non est Ecclesiæ minister, non habent illæ preces aliam vim, quam si ab eo essent factæ: sed longè melius Nauar. & Couarr.

oppositum existimant. Quia ex quo Ecclesia eas instituit, & per se sunt Deo gratiores, & Ecclesia eas quolibet suo membro Deo offerri voluit. Tertiæ dubitationi respon. Vt mihi quidem videtur, non esse in 256 potestate sacerdotis valorem illum Ecclesiæ offerentis, sicut neque aliorum offerentium, pro quocunque volet applicare. Nam ipsa Ecclesia offert pro communibus necessitatibus, pro Papa, Rege, & omnibus fidelibus viuis, & defunctis, & ita non est in eius facultate illam dispensare, sicut nec meritum, nec satisfactionem audientium, sed solum suæ potestatis est, Christi valorem ex opere operato, & suum ex opere operantis applicare, pro quacunque priuata persona ipse volet.

QVARTO adnotare debemus id, quod omnes ex Scoto animaduertunt, quod hoc sacrificium, & quodlibet bonum opus tribus modis potest alicui applicari. Primo generalissimè, & sic valet omnibus in charitate existentibus, iuxta articulum, quo credimus, *Sanctorum communionem*. Et hoc non ex intentione vel applicatione facientis tale opus, sed ex natura rei, quia sumus omnes vnum corpus, & ita bonum vnius membri naturaliter participatur à cæteris. Ista autem bona 257 (inquit Cord. quæst. illa 3.) sunt gaudium spirituale, dæmonum debilitatio, reseruatio à malis temporalibus, & alia plura bona temporalia, & spiritalia, quæ Deus confert ob bona opera factaque amicorum. Vnde quando sunt plures in Ecclesia sancti, & plura bona opera fideles in gratia præstant, plura Deus confert Ecclesiæ beneficia, & aliis fidelibus cõiunctis in charitate, sed hic modus procul est à proposito, cum eleemosyna Missæ non detur ob hunc fructum, qui naturaliter sequitur ex ipso sacrificio & ex quocunque bono opere. Secundo modo contra, specialissimè, quando nulli alteri quàm offerenti prodest, ut meritum condigni, impletio præcepti, & alij fructus merè personales, & neque hic modus est ad rem, cum per Missam non applicetur, nec 258 possit. Alioquin plures dato argento, ut sacerdos vel alius pro ipsis præceptum implet, & gratiam & gloriam de condigno mereretur, aliis se negotiis implicarent. Quod absurdum est. Tertio igitur medio modo, quando scilicet dirigitur, & applicatur oratio seu Missa pro aliquo, ut communiter fieri solet speciali quadam ratione. Differt à primo hic modus: Quia non est communis omnibus ex natura amicitiae, sed sit communis fructus, secundum specialem voluntatem offerentis. Vnde sæpè pro peccatoribus offert Ecclesia. Differt à secundo: Quia est alteri applicabilis.

QVINTVS suppositis quæstio est grauis. An Missæ sacrificium pro multis oblatum valeat vnicuique tantundem, ac si pro eo solo fieret? & sanè quod attinet ad fructum ex opere operantis, siue id sit ex motu boni ministri, vel Ecclesiæ, vel offerentium, satis alibi ostendimus minui, scilicet ex cõsortio participantium in tali oratione, vel bono opere, non solum in satisfactione de condigno, sed etiam in merito congrui. Quia reuera præmium etiam de congruo debitum, minus est, 259 cum pro multis offertur. Fides enim atque deuotio iuxta quam de cõgruo

gruo meremur impetrare, finita est, & consequenter præmium respondens finitum. Quamuis impetrationem non putamus minui, imo augeri laudem actus, & vim impetratiuam, cum pro multis oramus, quàm cum pro paucis. Cuius diuersitatis ratio est. Quia cum satisfactio de iustitia habeat perfectam rationem debiti, & meritum congrui etiam habeat rationem debiti, licet imperfectam, saltem secundum quid. Respicit enim omne meritum præmium ipsum, sicut aliquo pacto debitum. Hinc enim est, quod cum offertur pro multis talis satisfactio, & meritum necessarium sit minus deberi vnicuique, siue debitum sit ex iustitia, ut in satisfactione alteri applicata, siue debitum sit secundum quid ex quadam congruentia: at impetratio non respicit præmium, aut meritum villo modo, sed meram (eius quem oramus) liberalitatem. Hinc est, quod ex eo quod plures in oratione apponamus, non minuatur aliquid. Nam neque eius liberalitas impeditur, cum li- 259 mitata non sit, ut contingit in creaturis, vbi ij, qui pro pluribus orantur minus habent quod dent, & ita nolunt sæpius, & pro multis rogari ob limitatam eorum virtutem: at Deus cuius virtus, & liberalitas non minuitur dando, non recusat aliquid sibi, & pro multis peti, imo illi placet. Vnde cum oramus pro multis, magis est accepta omnino & nõ minoris efficaciam pro vnoquoque, præsertim quod non est diuidendum aliquid inter eos, pro quibus rogatur, ut est in satisfactione & merito etiam congrui: sed pro multis orare idem est, ac si iterum ac iterum orares pro vnoquoque, per se. Quid enim quo ad Deum attinet, an pro 20. roges vna oratione, aut pro vno roges, deinde pro duobus? Virtua- 260 liter enim oratio pro multis, est multæ orationes. Vnde Deus cum non minus concedat rem, quia sæpius petas, imo id ipse cupit, ut scilicet si- mus importuni petendo, hinc est quod nihil minuitur ex multorum consortio. Sed de his aliàs latius disputabimus. Hic enim solum agimus de merito ex opere operato sacrificij, an scilicet minuatur fructus sacrificij ex eo, quod media illa speciali intentione pro multis offeratur.

NEQVE verò moueri oportet in hac parte, quamuis contrarium sentiat Gabr. qui lect. 27. sub litera L. putat impetrationem esse minorem. Quia inquit aliàs posset quis impetrare primam gratiam quocunque peccatoribus sicut vni, cum ad impetrandum non requiratur pænæ solutio, sed sola impetratio, quod ipse reputat inconueniens. Secundo inquit, quia si multæ pænæ minores æquivalent vni maiori, & ideo non relaxantur, nisi per opus satisfactionis magnum, vel per plura opera minora illis æqualia, ita (inquit) est de bonis impetrandis, quod æquivalent vni bono magno, & ideo non nisi per plura bona 261 impetrari potest vnum bonum maius. Tandem quia maius est dare bonum, quàm delere malum: sed ad delendum malum, scilicet pænæ, requiritur proportio & quantitas boni operis, ergo idem requiritur ad impetrationem boni. Denique id probat ex humana amicitia, in qua dilectus meretur maius bonum pro vno, quàm si supplicaret pro multis. Pro vno enim exauditur, si magnum bonum petit eius, sed non

exaudiretur pro multis, aut non tantum bonum impetraret. Sed hæc solum vera sunt in quantum tale opus impetratorium consideratur, ut meritorum etiam de congruo, non ut impetratorium. Impetratio enim ut impetratio non respicit meritum, sed liberalitatem dantis, sicut rationem, maximè apud Deum, qui peccatores exaudit sola sua bonitate. Dices saltem de lege etiam congrui, non exaudit illos, & ita impetratio ex lege amicitiae erit minor? Respon. iam recurri ad meritum congrui, cum iam ponamus aliquam rationem debiti, & legis. Impetratio enim in liberalitate sine vlla ratione legis & debiti etiam cōgrui, fundatur. Adde, quod debitum ex congruo non est etiam ex lege, aliàs esset condigni & iustitiae.

IGITUR Scot. Quodlib. 20. Bonavent. in 4. distinct. 45. artic. 2. quæst. 3. Richard. artic. 5. quæst. 2. Duran. quæst. 3. Palud. q. vltim. Hadrianus Quodlib. 8. art. 3. quod refert Cord. q. citata fol. 45. docet minus valere vnicuique Missæ sacrificium, quam si pro vno tantum offerretur, quamvis Bonavent. Richard. Duran. Adri. & Palud. tantum loquuntur de satisfactione, non de merito, quorum etiam sententiae est Holcor. ut refert Medina tract. de Oratione quæst. 3. Gabr. in can. 263 lect. 27. litera S. qui hanc dicit esse communem, & penè omnium sententiam, quo ad pœnæ solutionem, quo ad bonorum verò collationem, existimat diminui multorum participatione. Hoc enim sacrificium duos præcipuè habet effectus. Primus est pœnæ solutio seu satisfactio. Secundus malorum ablatio, & bonorum gratuitorum collatio, tam gratiae gratum facientis, quam gratis datæ. Respectu ergo vtriusque putat Gabriel, non tantum valere Missam pro pluribus, ac si pro vno tantum diceretur. Eandem sententiam sequitur Nauarr. in summ. lat. c. 25. num. 92. & III. & in cap. quando de conf. dist. 1. not. 1. num. 77. Sotus hoc ipsum latè tener & probare conatur lib. 9. de Iust. q. 2. art. 2. conc. 2. & 3.

HÆC sententia probatur ab his Doctoribus. Primò & præcipuè quoniam hoc sacrificium est finitum. Nam licet res oblata sit in infinita, scilicet corpus & sanguis Christi veri Dei, tamen sacrificium non 264 est res oblata, sed ipsa oblatio facta vel à Sacerdote, vel ab Ecclesia, vel ab offerentibus, aut petentibus Missam, quam oblationem constat esse finitam actionem, & hinc est, ut quando Christus in cruce se obtulit, tum erat sacrificium infinitum. Quia offerens erat infinitè gratus atque acceptus Patri, & consequenter eius oblatio erat infiniti valoris: at modò non offert Christus immediatè, nisi improprie in quantum ipse iussit nobis offerri. Vnde Paulus scribit, *Christus semel seipsum obtulit*, & ad Hebr. 9. *Introiit semel in sancta aeterna redemptione inuenta.* Et prima Petri 3. *Christus semel pro peccatis nostris mortuus est.* Si ergo hoc sacrificium à sacerdote oblatum finitum est in valore, ergo pluribus applicatum minus vnicuique contingit. Vnde Gregor. homilia 21. non quantum, sed ex quanto in ipso sacrificio offertur Deus pensat. Hanc rationem latiùs prosequitur Gabriel sub litera K. Quia inquit, Christus in cruce immediatè se obtulit verè moriens, at in sacrificio non

non iteratur mors, Christus enim resurgens ex mortuis iam non moritur, sed solum iteratur illius mortis repræsentatio & memoria. Quis 265 autem dubitat, quin sit maioris efficaciae, & acceptationis apud Deum mortem veram cum acerrimis doloribus offerre, quam mortem semel passi memoriam. Vnde Ambrosius super epistolam ad Hebræos. Christus hostiam obtulit, ipsam offerimus & nunc, sed quod nos agimus, recordatio est sacrificij. Igitur Missa, quæ quotidie fit in Ecclesia, non æquiualeat passioni & morti Christi quantum ad meritum, sed longè illa fuit maioris valoris, quanto magis est vera mors, quam veræ mortis recordatio, non ergo Missa est infiniti valoris, sed minoris, atque finiti in numero, pondere, & mensura, iuxta Dei institutionem. Adde, quòd inde sequitur, quòd sicut Christus passus est ad totius mudi redemptionem, ita vna Missa sufficeret pro redemptione animarum omnium ab omnibus pœnis purgatorij & ad impetrationem totius boni, quòd non est dicendum.

SECVNDO, quia hæc sententia multum seruat laudabilem Ecclesiae morem, & contraria destruit, quo scilicet plures Missas celebrare consuevit pro viuis & defunctis, & in particulari fideles pro se suisq; plures Missas deuotè exposcunt, quæ omnia cum magno Ecclesiae malo frigerent, si doceremus vnã Missam infiniti esse valoris, alioquin frustrà essent tot sacerdotes, frustra tot Missæ, pro variis impetrandis ab Ecclesia ordinatæ. Est ergo fructus Missæ respõdens, secundum diuinam iustitiam minor eo, qui correspondet merito passionis Christi, & per cõsequens est finitus in certo gradu. Cùm ergo finitum per partes diuisum minus sit, sequitur Missam pro vno vel pro paucis celebratam plus valere cuicumque, quam celebratam pro multis.

TERTIO, quia cætera sacramenta, quæ operantur ex opere operato 267 habent limitatum & taxatum gradum gratiae & remissionis pœnæ, & ipsummet sacramentum Eucharistiae, vbi est substantialiter & realiter Christus gratia increata, & gratiae author, ergo idem erit dicendū de sacrificio, non enim maioris virtutis est, ut sacrificium, quam ut sacramentum.

QUARTO obijcitur pro hac sententia Sotus in 4. dist. 13. q. 2. art. 1. vbi plura conferens argumenta præcipuè sic argumentatur. Quia intentio (inquit) sacerdotis finita est, ergo quando pro pluribus offert est minor, secus ait quando à pluribus offertur, tum enim falsam putat hanc sententiam. Quia ex quo crescit numerus offerentium, etiam crescit acceptatio sacrificij & fructus, & ita in hoc recedit ab hac sententia, sed ut suprà diximus friuola est ista ratio.

CONTRARIAM sententiam tenet Caiet. 3. tomo Opusculorum q. 2. de celebratione Missarum, Syluest. verb. Missa 1. q. 9. Ang. eod. verb. q. 52. Cannaus de locis Theolog. lib. 12. cap. 13. ad 10. S. Tho. 3. p. q. 79. art. 5. & ibi Caiet. & in 4. d. 45. q. 2. art. 4. ad vltimum & d. 2. q. 2. 268 quæstiunc. 4. Cord. q. illa 3. opin. 5. conc. 3. & videtur eiusdem Soti in 4. distinct. 13. quæst. 2. artic. 10. & ita eum citat Cord. pro hac opinione. Sed profecto vix Soti mentem percipias in prædictis locis, Nam modò

modò hanc, modò illam sententiam videtur amplexus, semper tamen in primam sententiam magis inclinat. Hi ergo Doctores fructum meritorium, & satisfactorium ex opere operato, ex condigno valere tantum singulis (cùm pro multis offertur) ac si vni tantum applicaretur, docent & mihi magis, placet hæc sententia. Quia reuera quidquid dicat Scotus & alij, virtus huius sacrificij infinita est sine categoricè (vt aiunt) id est, non tantum prodesse potest hoc sacrificium ei, pro quo offertur, quin plus possit iuxta quantitatem fidei & dispositionis.

269 Licet enim sacrificium prout dicit oblationem, seu actum, quo sacerdos, & alij offerunt, sit finitum, & ita minor sit eius valor in singulis, tamen hic non est sermo de hoc genere sacrificij, quod pertinet ad opus operantis, vt patet, quòd commodius sacrificio, seu sacrificij oblatio diceretur: sed loquimur de sacrificio pro opere operato, id est, de re ipsa oblata Deo à sacerdote (cum intentione tamen ministri offerentis) quam constat esse infinite acceptam Patri. Vnde licet valor huius sacrificij requirat intentionem ministri & Ecclesiæ, imo etiam deuotionem ministri, vel eorum quibus prodesse debet, quod attinet ad quantitatem effectus, vt benè Caiet. in d. Quodlib. animaduertit: tamen deuotio ministri vel Ecclesiæ nullo pacto requiritur, nec ab ea villo modo dependet virtus sacrificij ex opere operato, sed solum habet valorem & dignitatem ex re oblata, quæ infinita est. Imo si paulò attentius rem ipsam perspicere velimus, non secludimus actum offerentis à virtute infinita sacrificij, imo non modo damus rem oblatam infinitam, verum etiam oblationem, quæ essentialiter & directè sit sacrificium. Demus enim de ratione sacrificij esse, non solum rem oblatam cum intentione offerentis, sed etiam deuotionem seu actionem offerentis, vt contrariæ sententiæ volunt Doctores, tamen nihil inde contra nos haberetur. Quia, vt constat, Christus seipsum obtulit Patri factus pro nobis hostia, & offerens. Qui ergo illum ipsum Christum mortuum in cruce offert, sanè non modò rem oblatam à Christo, id est, vitam Dei infiniti valoris, sed etiam oblationem & deuotionem, eiusdem Dei offert. Et ita licet sacrificium sacerdotis vel Ecclesiæ, id est, oblatio facta, vt emanans à sacerdote & Ecclesia infinita non sit, tamen sacrificium, id est, oblatio, seu deuotio Christi, quæ à sacerdote offertur (licet finita oblatione à se elicita) infinita est, & ita non solum damus sacrificium infinitum pro re oblata, sed etiam pro actu offerendi, vt cum omni proprietate dici possit, sacrificium à sacerdote oblatum esse infinitum.

271 Dicitur, ergo nulla est differentia inter sacrificium, quòd nos quotidie offerimus incruentum & quòd Christus semel in cruce obtulit prout oblatio est: respondeo. imo esse certè differentiam. Quia actus quo nos offerimus est finitus, licet res à nobis oblata infinita sit, siue rem oblatam appelles ipsam Christi substantiam, siue appelles ipsam oblationem & actum infinitum, quo se Patri obtulit, at actus, quo Christus se obtulit erat infinitus simpliciter ac infinite acceptus. Ratio discriminis est, quia nos primò offerimus ipsum Christum agnum immaculatum

latum & secundo offerimus ipsam eius oblationem seu sacrificium. Christus autem nullius alterius sacrificium obtulit, imò neque ipsius oblationem actu distincto, sed semetipsum offerens oblationem fecit, non in actu signato (vt dicunt) sed in actu exercito, non actu velut reflexo, vt nos, qui eiusdem actum habemus pro obiecto, cùm offerimus, sed actu directo, eodem inquam & non distincto. Nam immediatum obiectum suæ oblationis erat, non oblatio vel alterius, vel sua, sed ipsemet agnus Dei, nunc tamen nostræ oblationis finitæ mediatu terminus est oblatio & actio, qua Christus se obtulit, & immediate Christum offerimus: magna ergo differentia est. Nam oblatio personalis Christi erat simpliciter infinita, quoad acceptationem, quia erat oblatio Dei: at nostra quæ est ex nobis, est quidem finita, sed eadem nostra (id est terminus nostræ) quæ est à Christo est infinita. Cùm igitur non solum rem oblatam, verum etiam oblationem infinitam offerat Sacerdos, non potest dici valorem Missæ esse finitum, & eius fructum, sed esse maiorem, & maiorem sine categoricè, iuxta maius, & maius vas deuotionis, quo ille valor infinitus exhauritur. Sicut enim vnus deuotio alteri non præiudicat, illam minuendo, ita nec fructus ex infinito sacrificio oblatò minui potest ex multorum participatione. Et hæc est præcipua ratio huius opinionis. Aliàs ex opposita sententia sequitur. Primum quod Missa mali sacerdotis, vel quando in Ecclesia sunt pauciores iusti offerentes, nõ æquè prodesset ei pro quo dicitur, quoad id, quod est ex opere operato sacrificij, quod est contra communem sensum Ecclesiæ & August. c. vtrum, de cõsecratione dist. 2. *Nihil à bono maius, nihil à malo minus offertur.* Dices imo inde colligitur, esse certum gradum meriti, & satisfactionis ex opere operato, & Dei ordinatione. Quia nec maius à bono, nec minus à malo confertur, Respond. imo è contra. Ideo enim (inquit Aug. nihil à bono maius, & nihil à malo minus offertur, quoniam ab vtroque infinitum offertur meritum, infinita satisfactio, quam nec maiorem facit bonitas in ministro, nec minorem, malitia. Non enim dixit confertur, sed offertur. Quia non loquebatur de effectu, sed de Christo & eius merito, quod offertur. Non enim negare posset August. quin fructus ex opere operato huius sacrificij sit maior, & minor iuxta quantitatem dispositionis, & deuotionis eius pro quo offertur, vt de sacramentis statim dicemus. Et esto, diceret, *confertur*, sensus esset, quòd intentio ministri etiam si mala sit, quia est verbi gratia, inimicus eius pro quo celebrat, non aufert quidquam de fructu (iuxta deuotionem eius, pro quo offertur) debito, nec cõtraria bona intentio conferet maiorem fructum, quàm esset quantitas deuotionis & dispositionis eiusdem, pro quo celebratur. Notandum enim putamus veram & acutam doctrinam Caietani in dicto Quodlib. quòd aliud est intentio aliud est deuotio. Intentio enim applicat sacrificium, sed non quantificat fructum, sed deuotio. Intentio siquidem ministri prout minister, est, quæ facit vt huic vel illi, vel sibi ipsi applicetur virtus sacrificij: deuotio verò facit huic vel illi pro quo offertur (etiam si sit ipse sacerdos, qui per se offert) ma-

iorem vel minorem consequatur effectum. Loquendo ergo etiam de fructu, qui confertur in hoc sacrificio, & non tantum de eo, qui offertur, verum est nihil à bono maius, nihil à malo minus conferri. Nam intentio mala & bona sacerdotis, non quantificat fructum, sed deuotio eius pro quo offertur. Est enim propria & naturalis dispositio sacrificij in eo pro quo offertur. Sicut enim sacramentum dicitur, inquit D. Thom. 3. par. citata, respectu sumentis, ita sacrificium dicitur respectu eius pro quo offertur. Vnde sicut naturalis & præcipua dispositio Eucharistiæ, vt plus aut minus operetur, non est in intentione 276 ministri dispensantis sacramentum: nam nihil à malo minus, nihil à bono maius gratiæ & effectus sacramenti dabitur suscipienti, ita debita dispositio eiusdem Eucharistiæ, vt sacrificium est, debet esse in eo pro quo offertur, ita vt iuxta fidem & dispositionem fructum recipiat, nihil à malo minus, nihil à bono maius consequendo. Vides quemadmodum nihil refert, quòd intentio seu oblatio sacerdotis sit finita, vt propterea dicere debeamus, fructum huius sacrificij debere esse ad certum gradum limitatum?

SECUNDO ex hac sententia sequitur, quod esset melius dicere Missam quando essent pauciores audientes & ministrantes, quod certè non est dicendū. Item sequitur, quòd dū duo homines faciunt singuli singulas Missas per se celebrari, vnus cum fide & deuotione magna, alter cum remissa, non plus fructus sacrificij participaret vnus, quàm alter, 277 quòd concedi non debet. Cū Deus etiam gratiam, quæ ex opere operato est in sacramentis det secundum mensuram fidei & dispositionis. Quod verò sequatur probo, quoniam si est certus gradus solutionis pœnæ & collationis bonorum in hoc sacrificio, diuina ordinatione institutus, cum qua rogo dispositione conferretur? Sanè significare non poteris, si tamen gratia exempli, vt quatuor. Rogo, an qui haberet deuotionem, vt 3. vel omnino remissam, cōsequatur illum ipsum gradum gratiæ? Si consequitur. Primum præiudicaret diuinæ iustitiæ, vt tātum conferat, de fructu sacrificij remissa fide & dispositione, quantum intensissima, & maxima: cum tamen, (vt dixi) Deus conferat sua dona, secundum mensuram fidei. Et deinde sequitur, quòd si nullam omnino haberet deuotionem, putà quia dormit, vel non cogitat, cōsequetur tantum, quantum maximè intentus & deuotus, quæ certè concedi non debent. Si nō consequitur. Iam ergo. Primum, nō attenditur, nisi quantitas deuotionis, illimitato existente sacrificio. Præterea fieret, vt aliquis existens in gratia attentus & deuotus actualiter, nullum ex sacrificio fructū acciperet. Et deinde, si maiore existente deuotione, datur maior fructus eidem, quàm taxatū est, ergo cōsortio alterius, non minorabitur effectus. Quid enim refert, an sit distinctus homo vel idem, si certus gradus est diuidendus? Si enim illi excessui deuotionis in eodem homine debetur maior fructus, secundum quantitatem excessus, (vt si adhibuit dispositionem maiorem in quarta parte, debetur illi ultra taxatum gradum, quarta noua pars fructus, si in duplo maiorem, debetur illi duplex) cur rogo si illa quarta pars deuotionis vel esset

esset in alio homine, non responderet illi, quod in alio respondebant, cum Deus non personam, sed merita respiciat. Si igitur quoniam augmentum deuotionis non impedit deuotionem præcedentem, consequitur ille augmentum in fructu: cū certum sit, quòd deuotio alterius non impediatur deuotionem meam, certum quoque esse debet eidem, mihi socio facto tantundem deberi, nec mihi detrahi quidquā ex alterius cōsortio, sicut nec mihi detrahebatur ex meo maioris deuotionis augmento. Non (ergo vt rem amplius declarem) putare debemus, vt Gab. & prædicti imaginantur, quòd Missæ debetur certus gradus solutionis pœnæ & collationis boni, scilicet 8. & quod ille diuidendus est inter multos si pro multis, & inter paucos, si pro paucis, & dandus vni, si pro vno Missa dicatur. Sic enim si idem haberet maiorem & maiorem deuotionem, nunquā daretur maior gradus, quod nullus diceret, & qui haberet minorem & remissam non haberet minus. Sed imaginari debemus hoc sacrificium esse velut flumen aut mare quoddā bonorum, à quo, qui maius habet vas deuotionis, siue idem, siue diuersi sint, maiorem impleat mensurā. Et sicut si vnus homo accederet ad mare, cum vno etiam vase, & illo impleto, quantum capere posset, postea multis offeratur, & distribuatur, minus multis quàm paucis contingeret, ita sanè putamus, quod optimè Caiet. adnotauit, quod si Sacerdos, vel is, pro quo Missa celebratur illam pro multis offert, nō cogitantibus, neque ad eorum petitionem, seu sua sponte illis nescientibus, applicat, minorem fore fructum pro multis, quàm pro paucis, in quo prima opinio verum habere potest. Hac enim ratione vera est, & quod fructus vnus Missæ finitus est, quippe quòd vna est deuotio finita, cui fructus finitus (licet ex infinito) respōdet, & quod inter plures distributus minor est, & quod plures celebrare Missas fructuosius est, quàm vnā vel paucas, cum plurificentur fructus, licet semper vni deuotioni respondeant, & quod vna Missa non potest valere ad omnis pœnæ siue viuientium, siue defunctorum solutionem, & alia plura, quæ Soto, Gabrieli, & cæteris lubentes concedimus. 280

VLTIMO tandem addo pro huius sententiæ confirmatione argumentum ex sacramentorum similitudine ductum. Constat enim sacramentorum fructum esse illimitatum sine categoricè, ita vt ex se se non sit limitatus ad certum gradum gratiæ, sed non tantam gratiam conferant quin possint maiorem, secundum dispositionem suscipientis, & non tot quin pluribus, modò omnes sint dispositi. Si ergo omnia sacramenta, & ipsamet præcipue Eucharistia, in qua est autor gratiæ, & bonorum omnium, vt sacramentum est idem maiorem habenti fidem, maiorem fructum confert, & diuersis diuersos, nulla facta diminutione ex multorum consortio, sed vnusquisque portat fructum iuxta mensuram fidei, cur non æque dicemus idem de eadem Eucharistia, tam, vt sacrificium, respectu horum pro quibus offertur, quàm vt sacramentum est ijs, à quibus sumitur? imo quodammodo magis. Quandoquidem omnia sacramenta operantur virtute passionis Christi, in qua passione & morte consistit essentialiter ratio sacra-

menti & sacrificij, & ita vt sacrificium est, abundantioris fructus esse oportebat.

Vnde sicut in sacramentis, non est determinatus gradus gratiæ, sed velut causæ vniuersales modificantur secundum fidem aut dispositionem suscipientium, nec sunt determinati homines, quibus prosint, sed non tot quin pluribus: ita virtus huius sacrificij ex sese indeterminata est & infinita, sed limitatur eius effectus, secundum eorum (pro quibus offertur) mensuram dispositionis, aut deuotionis, sine vltimo participantium detrimento. Sicut si quis plures baptizaret, vel absolueret, dicens: *ego vos Baptizo, vos Absoluo*, &c. nihil minus vnusquisque acciperet de fructu sacramenti ob aliorum consortium, si eadem esset dispositio, ac si solus baptizaretur, vel absolueretur. Postremò ex dicta opinione sequitur, quod malè faceret Sacerdos, si in memento plures commendaret. Si enim finita virtus est ex opere operato faceret, vt minus ei cōtingeret, pro quo dicitur, & ita illi faceret iniuriam, quod tamen concedi non potest. Libet vltèrius ad hominem argumētari. Scorus enim, Gabr. & alij Doctor. illius opinionis fatentur, quod postquam Missa applicata est alicui specialiter ex prima intentione, si postea applicetur alteri, & alteri, nihil minus (inquiunt) consequitur ille primus, etiam si millies applicetur in gradu posteriori, & similiter secundo nihil detrahitur ex tertio, nec tertio ex consortio quarti, &c. Hoc enim si verū est, virtus sacrificij est omnino infinita, si esset enim finita, doctrina hæc stare non posset, vt constat. Igitur si in primo gradu duobus applicetur, non minus continget quantum est ex parte sacrificij. Adde quod si totum illud residuum consideretur, quod applicatur post primum in infinitis gradibus simul sumptum, longe maius est, quàm id quod applicatum est primo, quod erat finitum. Iam ergo æquè & plus participabunt alij, quàm si vni soli totum applicaretur, & ita iam tandem concedere oportebit nihil fructus imminui primo ex secundi consortio. Non valet (inquis) fructus secundi gradus ex iustitia ijs, pro quibus offertur sacrificium, sicut fructus, primi gradus, sed id totum est positum in voluntate Sacerdotis, & Dei acceptantis. Hoc enim fictitium est, & sine fundamēto. Cùm constet potius oppositum, ex lege scilicet Dei hoc sacrificium omnibus hominibus pro quibus offertur prodesse, saltem ad pœnæ solutionem, iuxta illud *qui pro vobis & pro multis effundetur in remissionem peccatorum*.

Quo si obijcias, quod sic Missa dicta pro paruulo, iam haberet fructum infinitum, cùm non sit vnde determinetur effectus, atque eadem est difficultas de Missa dicta pro defuncto, quando de hoc ille non ordinauit, sed alius sua sponte dicit, & alias sacerdos est malus, & fortasse illi inimicus, & similiter qui mandat Missam dici est etiam malus, & sine vlla profus deuotione. Tum enim secundum prædicta erumperet effectus infinitus. Respon. primum id esse per accidens, cùm nulla sit omnino dispositio, ex parte illorum, neque illius qui Missam dicit, neque eius, ad cuius instantiam dicitur, neque eius pro quo dicitur, & ita tunc vel nullum omnino habet effectum, cùm omnino pas-

sum

sum sit indispositum: vel certè in eo Metaphysico, & raro contingente casu Deus taxaret fructum, quem certè nullo modo taxaret si haberet motum liberi arbitrij quo magis vel minus mouentur in Deum: sed quantum est ex parte sacrificij, quod est velut causa & instrumentum vniuersale illimitata virtus exiret. Non quod exiret, quia nulla existente dispositione, non exiret, sed quòd non coarctaretur ad certum gradum, vel certè ex deuotione Ecclesiæ limitaretur effectus in eo casu sed id Deo soli notum est, cùm rarum sit, & præter legem. Accipe simile de Baptismo. Vnde enim rogo limitaretur eius effectus in paruulo, in dormiente, & omnino nullam dispositionem habente? certè vel nullum haberet effectum, si omnino in omnibus intentio, & dispositio deficeret, vel ex Ecclesiæ fide, quæ deficere nunquam potest. Et ita docuit Syluest. soluens hoc idem argumentum verb. Missa quæst. 9. vers. sed circa prædicta. Vel denique Deus ipse fructum ex sua prædestinatione taxaret.

Quare etsi argumenta oppositæ opinionis ex dictis satis resoluta esse videntur, tamen breuiter illa percurramus, vt omnino si quid erit relictum, explicemus. Ad primum ergo iam est probatum omnino falsum supponere, quòd sacrificium à sacerdote oblatum sit finitum. Ad illud ex Gregorio (non quantum sed ex quanto in eius sacrificio Deus attendit) pro nobis est. Quid enim est aliud quàm dicere, non rem oblatam seu sacrificium oblatum, quod infinitum est Deus attendit, vt fructum concedat, sed ex quanto id est, cum quanta deuotione & fide offertur. Si enim iuxta deuotionem operatur, iam ergo de se infinitum est, & omnino illimitatum. Ad illud quod non iteratur Christi passio, sed Christi passionis memoria. Fatemur, sed nõ est pura memoria puraque recordatio, sicut in comædia quadam repræsentaretur, aut sicut eius natiuitas commemoratur & repræsentatur, singulis annis, resurrectio, & alia diuina mysteria. Non enim Christus singulis annis nascitur, aut resurgit, sed nati & resuscitati recolitur memoria, neq; etiam Christus patitur sed semel passi recordatio ac monumentum repetitur, at non ita est de sacrificio. Nam veraciter offertur idem ipse Christus agnus immaculatus non signum eius, aut soli Christi memoria. Si enim perdit quidam homines huius seculi, impiè docere conantur, non verè nos manducare Christum Iesum agnum realem & substantialem, sed tantum signum quoddam, & figuram peracti à Christo veri & substantialis sacrificij: Non sic tamen Ecclesia Christi docet, quin potius non figuram, non repræsentationem aut signum, non puram recordationem atque memoriam, sed rem ipsam & substantiam Christi veraciter offerre, æternum sacrificium, licet sanguinei & acerbi sacrificij sit sola memoria. Christus enim iam non moritur aut nascitur, vel resurgit, & ne moriatur tãti beneficij in mentibus nostris, sed maneat semper nulla vnquam obliuione delenda, recordatio, idcirco singulis annis castissimè, & sanctissimè Ecclesia nostra, recolit eius memoriam & melle dulciora monumenta modò resurrectionem, modò passionem, modò natiuitatem, sed verè realiter & sub-

stantialiter ille idem offertur Christus, & illud sacrificium (licet sine sanguine) neque minoris est nunc valoris Christus, quàm tum erat, licet modo non patiatur dolores acerrimos, &c. Quia licet non offeratur patiens, offertur tamen passus verè & substãtialiter, nec temporis decursus imminuit gloriam & virtutem suæ passionis, quæ quo ad Dei
 290 acceptationem est ita præsens, ita recens ac si modo pateretur. Aliàs dicere debetis Christum, tum cum patiebarur magis acceptum magisq; gratum, quàm modo est, Patri fuisse, & contra minus acceptum esse modò, quàm tum, quòd nefas dictu esse videtur. Nã Christus heri, & nudius tertius, ne vllum quidem, vt ita dicam, apicem gratiæ, & acceptationis post resurrectionem amisisse est credendus. Et sicut tum quoad sufficientiam omni generi humano profuit, sed non quoad efficaciam nisi credentibus, & iuxta fidei quantitatem, ita modò hæc eadem hostia sufficeret pro omnium hominum satisfactione: sed efficaciter solum prodest ijs, quibus applicatur iuxta fidei & deuotionis mēsuram. Vnde egregiè D. Tho. 3. illa par. quem pro nostra retulimus sententia, sic ait. *Eucharistia in quantum sacrificium habet vim satisfactiuam, sed in satisfactione magis attenditur affectus offerentis, quàm quantitas oblationis.*
 291 *Quamuis ergo hæc oblatio ex sua quantitate sufficiat ad satisfaciendum pro omni pœna, tamen fit satisfactoria illis, pro quibus offertur, vel offerentibus, secundum quantitatem suæ deuotionis.* Hæc D. Tho. & in solutione ad tertium, quòd per hoc sacrificium (inquit) tollatur pars pœna, & non tota pœna, non contingit ex defectu virtutis sacrificij, sed ex defectu deuotionis humana. & art. 7. ad secundum. *Illis (inquit) scilicet pro quibus offertur, prodest plus, aut minus secundum rationem deuotionis eorum.* Vnde immeritò Gabriel vbi suprã ex D. Tho. suam sententiam confirmare voluit, citans eum in 4. d. 45. quæst. vnica, quæstiunc. 2. Vbi inquit D. Tho. (ait Gabr.) magis valet suffragium alicui, quòd pro eo singulariter fit, quàm quòd fit pro eo communiter, & pro multis aliis. Sic enim effectus suffragij diuiditur ex diuina iustitia inter eos, pro quibus fit. Hæc enim verba D. Thom. (quæ habentur q. 2. illius distinctionis artic. 4. quæstiunc. 2. in corpore) non sunt ad propositum. Cum ibi D. Tho. loquatur de suffragiis, & orationibus in communi, non autem specialiter de hoc sacrificio, de quo in dict. 3. part. planè sensit ex sese non esse limitatum. Et quamuis de illo loqueretur esset intelligendus, vt suprã ex Caiet. docuimus quando aliquis sua sponte offert pro aliis eis nescientibus, vel deuotionem non habentibus. Tum enim planè diuiditur effectus ex diuina iustitia, vt dictum est.

S E D rogabis. An deuotio hæc secundum quam virtus huius sacrificij quantificatur sit, tantum eius, pro quo fit sacrificium, an etiam sufficiat aliorum, scilicet, & sacerdotis applicantis, & exequentis sacrificium, vel quorum instantia Missa fit, & deniq; omnium offerentium? Mihi videtur primum, q; præcipuè prodest Missa iuxta quantitatem deuotionis eius, pro quo specialiter offertur. Id enim est ad quod directè
 293 ordinatur sacrificium, vt sacrificiũ est, ad eũ, scilicet pro quo offertur expiandum à pœna. Sicut Sacramentum, vt Sacramentũ, respicit suscipientem

pientem ad expiandum eum à culpa, & ad conferendam ei gratiam. Vnde Christus *qui pro nobis (inquit) effundetur, &c.* Et antiquitus omnia fere sacrificia ordinabantur, non tam pro offerentibus, quàm pro ijs, quibus offerebantur. Secundò putarem etiam offerenti prodesse, non solum quando pro se offert, tum enim habet rationem eius, pro quo offertur, sed etiam solum, vt offerens est, si tamen habeat deuotionem. Nam si solum haberet intentionem, vt si esset malus Sacerdos, nulla portio sibi respõderet. Igitur si Sacerdos offerens immediatè aliquam habet deuotionem, credi potest respondere fructum ex sacrificio, secundum illius quantitatem, quem poterit, cui velit applicare. Nam D. Tho. in dict. artic. 5. planè id docuit, dum dicit. *Fit satisfactoria illis pro* 294 *quibus offertur, vel etiam offerentibus, secundum quantitatem suæ deuotionis.* Ita sensit Sylu. q. illa 9. notab. 5. vbi explicat D. Tho. quòd clarius docuit art. 7. Vnde & in can. dicitur, *pro quibus tibi offerimus, vel qui tibi offerunt pro se suisq; omnibus, &c.* Et vtrumque modum proficiendi inquit D. Thom. expressit Dominus Matth. 6. & Luc. 22. *qui pro vobis s. sumentibus, & pro multis s. aliis, effundetur in remissionem peccatorum: & Caiet. quæst. illa 2. Quodlib. prædicto.* Ita sensit (vt diximus) Syluest. de offerentibus principaliter, quòd ob id dixisse existimo, quia sunt multi fideles, qui non offerunt principaliter, id est, non sunt causa, vt offeratur, & tamen ipsi reuera offerunt. Secundò intelligit de offerentibus etiam mediatè, modò tamen principaliter, id est, causaliter concurrat. Vnde licet sacerdos sit malus, qui est immediatè offerens, tamen deuotio ex imperio Ecclesiæ, vel defuncti præcipientis facit idem, quòd exequentis. Dicuntur etiam offeretes ait Syluest. ij qui rogant, vt pro alio dicatur Missa, de quo infrã latius. Cætera argumenta resoluta satis ex dictis videntur.

E x dictis colligo. Primum quo pacto verum sit, quod docet Gabr. 295 loco citato & alij, quos refert Cord. quòd virtus huius sacrificij, & sacramentorum ex opere operato crescit, vel minuitur ex deuotione ministri, vel Ecclesiæ, quòd etiam docuit Sor. lib. 9. de Iusti. q. citata de hoc sacrificio, licet non de sacramentis. Quia vt dictum est quantificatur virtus sacrificij & Sacramenti ex quantitate fidei & affectus, vt D. Thom. sæpe docuit, & ita sensit Cord. vbi suprã. Secundò colligo, quidquid dicat Cord. veram esse Caiet. limitationem quam recipit Sylu. vbi suprã de causaliter concurrentibus. Ij enim docent, vt suprã diximus, tum demum dumtaxat esse verum, quòd nihil detrahatur vni ex consortio alterius, quando vterque causaliter aliquo modo 296 concurrat, cum aliqua deuotione ad hoc sacrificium, vt suprã explicauimus, ex qua limitatione colligunt ipsi & benè, quòd sacerdos, qui rogatus ab vno pro multis Missam dicit, non satisfacit. Quia cum tum non sint plures deuotiones, sed vnica, tantum, est vnica portio ex opere operato, quæ si inter multos diuidatur, minor erit in singulis. Nam tunc non fit distributio immediatè ex infinito cumulo meritorum, & satisfactionis Christi, sed ex merito debito deuotioni offerentis. Hanc limitationem non recipit Cord. quia sequitur (inquit) quòd sacerdos
 cele

celebrans in peccato mortali pro defuncto vel viuo ignorante pro se offerri, nihil etiam proderit Missa, quia nullus causaliter concurrat aliqua dispositione & deuotione. Sed ad hanc objectionem resp. Caiet. quod etiam defuncto & ignoranti prodest Missa, licet non tantum ac si ipse specialiter cōcurreret, vt causa. Nam generaliter (inquit) saltem
 297 cōcurrat. Defunctis enim prodest secundum eorum deuotionem præcedentem, vel in communi, vel in speciali, & secundum deuotionem eorum, qui preces offerunt. Nam licet sacerdos & faciens Missam dici, in peccato mortali sint, tamen semper sunt in Ecclesia, qui pro defunctis offerant, uiuentibus verò remotis & nescientibus prodest inquit Caiet. generaliter, tanquam cōmunicantibus iuxta eorum deuotionem. Cum enim sacerdos offerat in persona Ecclesiæ, & quilibet fidelis sit membrum Ecclesiæ, cōsequens est, vt quilibet per sacerdotem oret, & celebret, & causaliter cōcurrat, ac per hoc quælibet Missa prodest singulis fidelibus etiam satisfactoriè, iuxta communem deuotionem & affectum, quem habet in communibus Ecclesiæ orationibus & sacrificiis, sicut habentes deuotionem in orationibus, & Missis alicuius priuatæ personæ, participes sunt illorum iuxta suam deuotionem ex generali communione sanctorum, quæ doctrina, vt statim dicemus, est verissima. Nunquam enim omnino sacrificium frustrari potest suo effectu. Tum ob rationes has Caietani generales. Tū quia semper sunt specialiter offerentes, siue causaliter concurrant siue non vt audientes, &c. In quibus suo ordine sacrificium habet effectum, vt infra dicemus.
 298 Sed quia singula persequi instituti nostri non est, emunctius ista non examinabimus. Nobis enim limitatio Caiet. quàm maximè placet. Et ad argumentum Cord. iam supra satis diximus, cum de paruulis ageremus. Nam in eo casu raro, & Metaphysico, vel taxabit Deus effectum sacramenti, vel ex deuotione Ecclesiæ, sicut in Baptismo paruulorum, vel vt hic Caietanus docet, saltem Missa talis proderit secundum generalem communionem sanctorum, iuxta deuotionem, saltem virtualem eius pro quo offertur, licet non tantus sit fructus ac si causaliter & specialiter concurreret.

299 ANTE tamen, quàm hic discedo placet inquirere, supposito, quòd sit impar fructus, vt benè Caiet. notauit ex sacrificio hoc causaliter cōcurrentibus, & tantum offerentibus specialiter, vt sunt circumstantes, & audientes, & generaliter, vt nescientes & remoti, quomodo intelligatur ista diuersitas? Nauar. num. xii. quinque portiones diuidit, ex quacumq; Missa. Prima particula deputatur cuicumque, ex eo solum, quòd est orthodoxus. Secunda ex eo, quòd est circumstantis. Tertia toti Ecclesiæ & specialiter nominatis in canone, nempe Papæ, Regi, &c. Et has tres dicit esse stabiles, quia non minuuntur ex maiori copia participantium, non crescunt ob minorem, quamuis non diceret ille esse æquales. Quartam dicit conferri sacrificanti. Quintam ijs, pro quibus sacrificium fit, vel qui pithantiam porrigunt, & has dicit crescere, vel decrecere iuxta maiorem vel minorem numerum participantium, esseq; maiores, quàm sint tres priores. Huius autem diuersitatis totiusq; doctrinæ

doctrinæ ratio (inquit Naua.) est. Quoniam illis tribus datur fructus, 300 vt singulis, at duobus posterioribus datur, vt diuersis. Huius verò rationis ratio (inquit) desumitur ex quadam vnitate, quam habet missans (sic ille loquitur) & voluntariè ab eo nominati, & ex quadam alia vnitate quam habent facientes fieri cum ijs, pro quibus faciunt fieri. Hæc est opinio Naua. quæ satis confusam, ne dicam voluntariè confictam (pace eius dixerim) doctrinam continet. Primum enim non placet, quòd docet, eo solo, quòd quis est orthodoxus, habere certam portionem satisfactionis ex opere operato, cum possit esse in peccato mortali, & ita nihil habet ex opere operato, & iustitia conducente ad satisfactionem. Sicut nec valent indulgentiæ existenti in mortali; nisi loquatur de congruo, qua ratione etiam ad primam gratiam valeret, quòd alibi probauimus, & tunc neque hoc etiam videtur verum. Alioquin consequitur, vt nullus in Ecclesia esset in peccato mortali, etiam si vnatum Missa in tota Ecclesia celebraretur. Siquidem per illam, eo solo quòd est fidelis, meretur de congruo primam gratiam, & partem satisfactionis. Quòd enim de congruo meremur, dari solet à Deo, licet non 301 ex lege aut iustitia. Fortasse loquitur Nauar. nomine orthodoxi, de fidei in charitate, quòd ipse non explicauit. Deinde de 3. parte respondentis toti Ecclesiæ, cum tota Ecclesia ex fide solum talis dicatur, iam ergo cuicumque in mortali existenti obueniet sua portio ex condigno, quòd est omnino falsum. Si verò loquitur de Ecclesia, quæ est in charitate, quæ sanctorum dicitur communio, & impropriè loquitur, & nihilo à prima portione differt. Imò quocumque modo loquatur, non est distincta prima & secunda portio. Quid enim est Ecclesia, nisi omnes orthodoxi. Et etiam vltèrius, quòd dicit has partes esse stabiles non probat vlla ratione. Dicere enim, quòd dantur omnibus, vt singulis voluntariè dicitur. Cur enim non etiam dicemus eam, quæ datur eis, pro quibus Missa dicitur, dari omnibus, vt singulis & ita stabilis erit? Præterea quid refert dari vt singulis, vt verum sit, quòd non minuitur ex numero participantium. Quin potius ex eo contrarium colligitur, si enim illis omnibus datur, ac si esset vna persona, & non prout multi, ergo si illud totum per accidens sit maius, aut minus illud quòd toti datur magis participabitur, quando in ea societate pauciores sint, qua ratione Syluest. probat loco citato in tertia opinione, quam ipse sequitur (& est nostra) quòd quando Sacerdos à seipso motus offert pro multis simul per modum vnus, est minor, &c. Denique, falsum est illas tres portiones esse stabiles. Quia cum fructus huius sacrificij ex mente D. Thom. sæpe citati, & omnium sit maior, aut minor secundum quantitatem deuotionis, perspicuum est, quòd si est maior deuotio, & multitudo iustorum in Ecclesia, magis magisque fructus communicabitur à Deo ex dicto sacrificio. Et idè est de 2. par. id est, de circumstantibus. Nam ex eo quòd plures circumstantent & maiori deuotione, maior erit fructus sacrificij.

QVARE ego, saluo meliori iudicio, aliter dicerem in hac re. Primum non esse parem fructum huius sacrificij in omnibus, sed esse quosdam,

quibus plus, quosdam, quibus minus obuenit, esse que plures portiones, & omnino inæquales, & ita sensit Caiet. in dict. Quodlib. Sot. in 4. d. 13. q. 2. art. 1. vers. Et ideo. Et Nauar. nu. illo III.

304 **S E C U N D O** putarem, quod datur illis maior pars, qui Missæ causæ sunt propinquiores (loquor autem semper cæteris paribus in deuotione) verbi gratia: Primus erit is, pro quo fit sacrificium specialiter. Secundus est ipse celebrans. Tertius procurans, vt Missa fiat seu eleemossyna vel prece, vt si pro se Missam dici iubeat, habebit etiam primam & omnium maiorem portionem, quod si sit ipse sacerdos, qui & celebrat & pro se: habebit omnes tres portiones. Quia est pro quo fit, & qui celebrat, & qui procurat. Quartus erit ministrans, & quouis modo adiuuans, & inter hos, qui propinquius accedit, vt diaconus plus quàm subdiaconus, & is plusquàm acolyti, & cæteri, qui in suo ordine, & gradu Eucharistiæ sacrificio ministrant, vt lector, hostiarius, sacrista, &c. In quinto gradu erunt circumstantes, nam pro illis specialiter offertur, & ipsi sua authoritate & præsentia deseruiunt. Maximè, quia offerunt, vt in Missa plebani populus, & in Missa episcopi diocesis, vt Sot. notauit, quamuis Caiet. in d. opusc. & Sylu. citati solum loquantur, idque concedunt de iis, qui ita assistunt, vt causaliter concurrant aliquo modo. Vnde, Caiet. vt saluet omnes audientes, imo remotos & ignorantes fructum percipere, inquit, quod omnes illi causaliter aliquo modo concurrunt, in quantum membra Ecclesiæ, & sacerdos in persona Ecclesiæ offert, & per consequens quicumque de Ecclesia potest dici celebrare, & offerre per sacerdotem. Sed profecto licet id verum sit (vt infra dicemus) & ex hac parte ex omni Missa quilibet fidelis etiã remotè, & non cogitans fructum aliquem percipiat, tamen speciali ratione, qui adest, licet nullo modo cooperetur, vt fiat sacrificium, specialem fructum percipere est credendus, vltra illum generalem, quem Caiet. ponit. Quia non opus est, vt ipse concauset sacrificium, sed vt suo ordine, offerat specialiter, ex quo particeps erit aliquo modo fructus sacrificij. Secundò, quia est ille pro quo offertur, dicente Ecclesia: *Et omnium circumstantium, quorum tibi fides cognita est, pro quibus tibi offerimus, vel qui tibi offerunt.* Et ita ex hac parte habebit fructum.

306 **T E R T I O** denique, quia aliquo pacto causat sua præsentia approbando & authorizando illud sacrificium, cui assistit. Habes igitur quatuor modos, quibus is, qui audit sacrum, participat fructum sacrificij, vide quàm sit vtile Missam singulis diebus audire, vel quàm sæpe fieri poterit sacris mysteriis assistere. In sexto gradu sunt absentes, de quibus mentio fit in Missa, nempe, Papa, Rex, Antistes pro quibus nominatim offertur, vel cum sacerdos in oratione de infirmis, vel de defunctis, vel in canone nominatim commendat. In septimo erunt omnes fideles de Ecclesia in charitate existentes, non modo ob generalem rationem, communionis sanctorum (quia id in quouis bono opere fit, etiam si non fiat eorum mentio) sed quoniã in orationibus Dominicarum præcipue per annum, & etiam in canone pro illis offertur tam viuus, quàm defunctis (licet in communi) hoc sacrificium. Imo etiam, quia participat de fructu

tertij

tertij ordinis, etiam si sint peccatores, modo sint fideles. Nam totus populus Christianus, & quilibet de illo fidelis, licet generali quadam ratione celebrat & offert singulas Missas per manus sacerdotis iuxta verbum Domini Exo. 5. *Dimitte populum meum, vt sacrificet mihi,* & Leui. 23. & num. 28. populus iubeatur sacrificia offerre, quod fieri debebat per manus sacerdotis, quod sentit Sot. in 4. d. 13. quæst. 2. art. 1. vers. offerentes. Et Caiet. in d. Quodlib. reddens rationem. Quia cum sacerdos gerat personam Ecclesiæ, & quilibet fidelis sit membrum eiusdem Ecclesiæ, consequens est, vt vnusquisque per sacerdotem offerat, & ita sequitur vnum apprimè notandum, & quod magnæ certè consolationis materia nobis esse debebat, scilicet, quod ex quacumque Missa in Ecclesia vniuersali celebrata participat quicumque fidelis & absens & non cogitans triplicem fructum ex opere operato & iustitia modò sit in gratia, & ex congruo, si non est in ea. Primò ratione communionis sanctorum, vel quia membrum Ecclesiæ. Secundò, quia pro eis offert Ecclesia generaliter. Tertio, quia ipsi sunt quodammodo offerentes, vt explicatum est licet quantitas horum graduum, vt Naua. & alij docent nota soli Deo sit.

T A N D E M, sed non ex opere operato, neque ex iustitia valet pro peccatoribus generaliter, aut specialiter concurrentibus causaliter, vel offerendo tantum, vel assistendo. Horum ratio ea est, quantum ego possum existimare. Quoniam omnis causa melius ac magis operatur in propinquum, quàm in remotum ex natura rei, igitur si omnes isti sint æqualiter dispositi, magis participabit de virtute sacrificij, qui magis de propinquo se habet, idque ex lege, & ex natura rei. Et hunc sanè sensum, Sot. sequuntum esse video in 4. dist. 13. quæst. 2. art. 1. col. 9. dicentem eos plus habere de fructu huius sacrificij, qui altari peculiarius deseruiunt, vt ipse latius prosequitur. Quamquam id non placet, quod annumeret primo loco eum, qui eleemosynam contulit, vel prece Missam procurauit, quem nos tertio loco collocauimus, & vt videtur verius. Loquor autem de dante eleemosynam vel procurante, non pro se, sed pro alio. Si enim pro se eam procurat, tunc non quia procurans, sed quia est is, pro quo offertur, primum locum teneret. Id autem mihi persuadeo. Quoniam illud est principale & veluti essenziale in sacrificio, vt pro aliquo offerantur, sicut in Sacramento, vt ab aliquo suscipiatur. Vnde sicut proximior persona magisque de virtute Sacramenti participans, est suscipiens ex natura suæ institutionis: ita prima & præcipua persona, quam principaliter respicit sacrificium, est ille pro cuius expiatione & salute offertur, & ita ille ex natura rei, maius ius & propinquitatem habet. Secundò loco succedit, offerens, vnde Ecclesia specialiter de iis dicit: *Pro quibus tibi offerimus, vel qui tibi offerunt.* Inter hos autem manifestum est sacerdotem immediatius concurrere, sicut exequens alterius iussionem seu precem. Tertio loco est procurans per eleemosynam vel alia via præcisè. Quoniam exhibet ministerium. Et hinc clarè perspicere poteris falsitatem opinionis refutatæ, de finito fructu sacrificij. Si etenim esset certus gradus ex opere operato Missæ

cuicumque assignatus, iam ergo ubi essent plura personarum genera ex octo assignatis, & in quolibet genere plures (vt si essent plures procurantes Missam, plures audiētes, plures in Ecclesia iusti, &c.) esset fructus minor in singulis, quod certè concessu indignum est, & sequitur necessariò ex illa sententia. Imo maior est, vt benè Caietanus adnotauit, non quia fructui meo, si ego essem solus, aliquid accrescat, vt Caiet. videtur sentire, id enim non probo, sed quia sunt plures deuotiones, quo plures sunt participantes, & consequenter plures fructus ex opere operato, respondent, sicut si essent plures ad mare vas deferentes, plus aquæ hauriretur.

311 **S E C V N D O** igitur (quidquid dicat Nauarrus) putarem, in nullo genere dictorum, aut personarum crescere, vel decrescere fructū ex multitudine aut paucitate, sed vnicuique dari, secundum mensuram deuotionis, ita vt quamuis sint multi Missam audientes, si ego habeo deuotionem vt quatuor, accipiam effectum vt quatuor, si etiam solus ego sim, eadem deuotione, id ipsum accipiam. Licet fatear equidem variari fructum secundum genera personarum. Et ita stabilis est, & varius, stabilis in eodem genere, vt dixi: quia siue pauci, siue multi sint concurrentes in illo genere, vt si multi darent eleemosynam, aut rogarent, si multi celebrarent, vt in ordinibus fit, si multi audiant, &c. non minus cuique obueniet, sed iuxta deuotionem. Varius autem, in comparatione huius generis ad aliud, quia ille, pro quo offertur cum pari deuotione, quam habet circumstantans, magis consequitur de fructu. Neque ex hoc sequitur taxatum esse effectum ex parte sacrificij, sed esse minorem, in hoc vel illo genere ex diuina institutione, qui tamen magis aut minus participatur, illimitatè, iuxta dispositionem. Nam sacerdos offerens deuotione vt quatuor, & circumstantans eadem deuotione, cum hac inquam æquali deuotione, maior satisfactio, & fructus applicabitur sacerdoti, quàm circumstantanti, sed non est limitata in vtroque, sed si alter magis disponatur, magis accipiet in suo ordine, & ita licet comparatiuè sit magis, & minus, & comparatiua quædam taxatio, tamè quælibet persona in suo ordine, nō tantum accipiet, quin plus accipere possit, sicut, si superficiem compares ad lineam maior est, & e contra linea minor, tamen quælibet est syncategorematicè infinita, vt constat.

313 **I A M** igitur quæstionem illam grauem, in practica vtilem, in speculatione difficilem, satis explicatam esse arbitror. Num ex multorum confortio, virtus fructusque sacrificij diuinæ Eucharistiæ minuat, ostensumque satis videtur, minui quidè, cum vnica rārum est specialis deuotio & specialiter pro multis non habentibus offertur, non minui tamen cum pro multis offertur, suam quibusque deuotionem habentibus, imò verò augeri, vt dictum est. Sequitur illud, vt explicemus.

S I T Q V E sexta dubitatio, an sacerdos plures admittens ad vnum sacrificium & eo sine eleemosynam acceperit, An ipse qui promiserit, teneatur ad restitutionem aliquam faciendam: id enim instituti nostri præcipuum est. In quo primo certum est iuxta primam opinionem mortaliter peccare, & ad restitutionem teneri spiritualium damnorum,

aut

aut temporalium eleemosynarum, cum planè lædat cōmutatiuam iustitiam, & proximum iniuste damnificet in spiritualibus bonis, cum minus de fructu Missæ, ob aliorum petitionem acceperit. Ita sensit in specie Nauar. nu. 92. & nu. 111. & cæteri illius opinionis. Supposita tamen 314 veritate nostræ opinionis, quæ profectò verissima est, difficiliorem habet exitum quæst. prædicta, in qua nonnullam varietatem apud Doctores inuenio: nam Cord. concl. 5. conatur probare, non licere vltra vnum stipendium accipere: quia, licet fructus ex opere operato non minuat, tamen minuitur fructus ex orationibus Ecclesiæ, quem finitum esse diximus, & ita defraudantur petentes Missas. Secundò, quia defraudatur Ecclesia, cum impediatur diuini cultus ampliatio, vna Missa satisfaciendo. Tertiò, quia nullus potest vno actu satisfacere pluribus promissionibus & obligationibus: qui ergo stipendia duo accipit, tenetur ex vi promissionis, vnicuique distinctum laborem & ministerium soluere.

A L I I s rationibus conatur hoc ipsum probare Cord. q. 4. dicti lib. 1. dub. 2. Primùm, inquit, quia pithantia non datur promissa spirituali, 315 esset enim simonia: nec vt eleemosyna, aliàs diues sacerdos non posset accipere: sed, vt merces laboris corporalis, sed non meretur labor vnus horæ, totius diei sustentationem, secundum iustitiam: Ergo, &c. Secundò probat, quia si licitè posset plures in die celebrare, contentus esset, tanquam iusto, consueto, licet paruo stipendio, ergo eò quòd semel celebret, non poterit vnus dicti stipendiū, quod iustū erat, excedere: sicut Diaconus, qui plura caneret Euangelia, posset quidem plura, licet parua stipendia accipere quæ conflarent decentem sustentationem: sed non liceret pro vno decantato Euangelio, integram sustentationem petere, quamuis insufficiens esset. Tertiò, quia aliàs, si sacerdos esset honorabilior in dignitate, haberetque magnam familiam, posset plus accipere, quàm pauper, quòd absit: nam paupertas, vel abundantia, nihil ad iustitiam facit. Quartò tandem, quia habens tenue beneficium, tenetur de- 316 seruire, neque potest plus extorquere prætextu decentis sustentationis. Igitur à simili, &c. Has Cord. rationes omnes, licet sub breuitate ponere volui, tum quia obiicit ille, ne insoluta relinquatur vlla: tum quia quælibet requirit specialem doctrinam ad veritatis huius quæstionis congruam explanationem.

A L I I verò existimant, quòd poterit saltem duas eleemosynas accipere, si est pauper, imò etiam si diues: ita sensit Scot. 9. de Iust. q. 3. art. 1. & in 4. d. 13. q. 2. versic. quo circa sub 2. concl. *quia* (inquit) *Sotus vtitur suo iure de altari viuendo*. Aliam tamen limitationem ponit in quarto 317 citato, scilicet, quòd illa duo stipendia non excedant argenteum vnum, aut paulò plus, loquitur Sotus, quo tempore, pro vna Missa dimidium erat taxatum in Hispania. Vnde, quòd tum erat dimidium, modò est vnum argenteum, & ita planè in eius sententiā duas eleemosynas liceret accipere, modò tamen duos argenteos non excedant, & quòd hic planè sit Soti sensus patet. Primùm, quia, vt dixi, suo tempore ab hinc, scilicet triginta annorū, imò ab hinc viginti, non nisi dimidiū argenteū

erat pro Missa taxatum, ut qui meminerunt, tradunt, & multæ capellaniæ illius temporis prorsus ostendunt, quæ non nisi ad rationem dimidij argentei pro Missa redditus habent, & non dubiû quin eo tempore facilius dimidio, quàm modò integro argenteo, sacerdos viuere poterat.

318 **S E C U N D O** id colligitur, quia dicit duas pithantias posse accipere, si pauper est: imò etsi diues, quæ argenteum non excedant: esset autem implicatio dicere duas, & vnus argentei, nisi id quod diximus verum esset. Denique, quia id probat ratione victus, ut scilicet viuere possit. Quis igitur sacerdos vno argenteo honestè viuit? igitur ex Soti sententia duas pithantias accipere posset, etiamsi diues sit, modò tamen duos argenteos non excedat, quibus satis limitatè viuere posset. Quòd verò plures accipere nequeat, probat Sotus in d. art. 1. 4. sent. col. 14. Quia, inquit, minùs obuenerit vnicuique, quòd sic ille probat. Quia licet plures dantes eleemosynam, quia specialem habent actum circa tale sacrificium, censeantur offerentes, & hac ratione, nemo propter aliorum societatem, suo fructu defraudetur: tamen quatenus ex intentione sacerdotis, qui pro aliis offert, minùs obuenerit singulis, quia intentioni sacerdotis respondet taxatus fructus, & idèd minor erit in singulis. Et confirmatur, ait Sotus, quia satisfactio respondens deuotioni sacerdotis, si pro multis offeratur, minor est in singulis, ex omnium sententia: pari ergo ratione effectus oblationis precum Ecclesiæ, quæ liberè à sacerdote applicantur, erit minor inter plures. Et confirmat secundò 319 Sotus, quia nemo ambiget, quin si vnusquisque eorum, qui præsentis sunt, qui in suo ordine offert, si pro aliis ipse offerat, minùs sibi de satisfactione reseruat, imò si totum alicui, vel aliis offerat, nihil sibi relinquit, ergo pari ratione sentiendum est de sacerdote offerente pro ipsa parte effectus, quam ipse, ut Ecclesiæ minister, liberè offerre potest.

320 **T E R T I A** opinio est eorû, qui censent, eum qui promisit, v. g. tribus Missam dicere, satisfacere vnâ tantùm pro omnibus, celebrando. Ita sentit Caiet. Syluest. Angel. & Armill. Palud. vbi suprâ, & Anto. vt refert Armill. Quod quidem fatentur sine vlla limitatione esse verum, quamuis Syluest. plures apponit conditiones verbo illo Missa, quæstione decima. Sed quæst. 11. apertè fatetur, quòd secundùm tertiam opinionem, quam ipse sine dubio verissimam putat, id est tenendum, imò quod maius est, etiamsi ab eo petatur, sine participatione aliorum. Quia (inquit) non est bonum, sed turus erit, etiamsi pro multis dicatur vna: & probari potest hæc sententia, quia nulli detrahatur ex consortio aliorum, de fructu operis operati, qui præcipuè intenditur in Missa, quem solùm sacerdos applicare tenetur, ut suprâ ostensum est, ergo nulli facit iniuriam, alios admittendo, sicut qui obligatus aliquem baptizare, vel absolueri extra necessitatem, ob certum stipendium, non faceret illi iniuriam, ex eo quod alterum, vel plures simul cum illo baptizaret, dicens: *Ego vos baptizo*, vel, *Absoluo*, cum nihil primò de fructu, vel de sacrificio subtrahat. Vnde patet friuolam esse illam tertiam rationem Cordub. quia ecce vbi quis vno actu multis

satisfacit

satisfacit obligationibus, etiam in specie, nec reus promissionis dicitur, quia alterum admittat. Prima verò, & secunda, non conuincit peccatum mortale, sed ad summum veniale: quia fructum illum ex opere operantis Ecclesiæ, diminuit in altero, & quia non ampliat cultum diuinum. Hæc enim materia grauis peccati, mortalis scilicet, non apparet. Vnde neque esset veniale, si ipse sua deuotione suppleret, vel in aliis orationibus satisfaceret spirituali illi, & non graui læsioni, aut si explera Missa, repeteret orationes, & preces Ecclesiæ, quia ut suprâ ex Nauarro, & Cordub. docuimus, orationes ab Ecclesia institutæ, etiamsi priuatim dicantur, habent valorem, qui ex Ecclesiæ deuotione nascitur, vel denique horas Canonicas, aut Psalms, pro defraudatis recitando, ut Angel. Armill. & alij docuerunt. Neque verò rationes ab eo, ad eandem sententiam adductæ, in dicta quæstione quarta, rem conuincunt. Prima enim minimè oberit conclusioni nostræ, si intelligas, non modò ob laborem, verumetiam ob sustentationem ministrorum, pithantiam dari. Sed demus (quod modò non disputamus) ut mercem laboris duntaxat dari, quid consequentiæ est, quod quia est vnus horæ labor, non mereatur victum diei. Non enim corporalis sudor attendendus est sacerdotibus Domini, ut eis sustentationem congruam, ac iustam præbeamus, sicut attenditur in colono, & agri cultore, qui fodit, arat, vel in alio mechanico officio seruit: sed id duntaxat oportet attendere, ut si in spiritualibus præbendis maximè in pane cœlesti ministrando occupatur fideles illi materiam panem præstent, vti doctissimus canonista infra citandus adnotauit. Quòd enim labor grauis sit aut leuis: longior aut breuior, impertinens est. Maximè, cum illi non permittitur plus laborare, id est non plus vna Missa celebrare. Sane indignum esset sacerdotali dignitate, vel laborem totius diei, vel tantum exigere, quantum à rustico exigitur, ut ei sustentatio præbeat. Ad secundum dices, tum meritò fore contentum paruo stipendio, quia ex multis vnus sufficiens conflat. Non enim dicimus, ius habere ex quocunque sacro eodem die facto, integram eiusdem diei sustentationem excipere, sed id dicimus, ex officio ab eo secundùm iura præstando, in eodem die posse victum requirere. Vnde ille, qui in die Natiuitatis Dominicæ tria peragit sacra non posset pro vnoquoque duos (verbi gratia) argenteos accipere, si duo sunt congrua sustentatio. Neque verò negamus posse tria accipere pro tribus illis sacris, etiamsi excedant congruam sustentationem, prædicti Ecclesiastici ministri, tria inquam stipendia distincta à diuersis. Tum enim non iure victus necessarij illa accipit, sed iure taxationis, & consuetudinis pro vnaquaque vnus argenteum accipiendi. Quo fit, ut si decies eodem die celebraret, decem argenteos posset accipere. Neque est simile de Diacono, siquidem ille pro duobus offerens, siue Euangelica verba, siue orationes aliæque eius in ministrando munia minus vnicuique daret, ac proinde defraudaret alterum, vel vtrumque, cum sit valor finitus ex opere operantis. Et per hæc patet solutio ad vltimum. Ille enim, qui tenue ha-

bet

bet beneficium teneretur seruire, sibi que imputare, quod se in eo fecerit intitulari, nec cum damno, & fraude tertij victum requirere, sed vel ex artificio, vel aliunde, vt habetur in c. clericus 91. dist. at celebrans sine vllius damno, & fraude quærit (id que meritò) sibi congruam sustentationem.

325 **R E L I Q V A** est tertia ratio, cui occurre, si intelligas, quid nomine congruæ sustentationis intelligamus. Nam, vt refert Cordu. in d. q. 4. ex nostræ opinionis sectatoribus variè iudicatum esse videtur. Quidam nomine decentis sustentationis intelligunt alimenta parentum pauperum, si habet, & filiorum olim ex matrimonio habitorem, quibus iure naturali succurrere tenetur. Ego verò strictam suæ personæ sustentationem, & eorum, quæ necessaria sunt, simpliciter ad illam duntaxat intelligendam puto. Scilicet, victus, vestitus domus, & ei seruientis. Non enim postulat ius naturæ, & diuinum, nisi vt sibi ex altario succurrat. Nec fideles tenentur alios alere, quàm ministros. Vnde aliunde querere debet ad ista supplenda. Ex quo patet, quod nec honorabilior plus, nec minus honorabilis, minus: nec è contra, pauper plus, aut diues minus, suscipere potest, sed omnes æqualiter, id possunt accipere. Quod si id ad eius pompam sustentandam non sufficiat, quæret aliunde. Et si contra, id sibi non est necesse, quia diues est, & patrimonium habet, poterit nihilominus accipere. Id enim, & non aliud agimus in hac controuersia, quàm vt probemus, si stipendium solitum sit insufficiens ad honestam sui sustentationem, posse à duobus præfata iusta alimenta accipere. Vnde cessant inconuenientia Cordub. qui non probè istum dicendi modum videtur assequutus, ob quod pari docuit angustias.

326 **R A T I O** verò Soti, & eius confirmationes, etsi apparentes sint, nihil probant, quia vt bene Caiet. adnotauit in d. Quodlib. intentioni ministri, vt intentio est, non responder aliquid ex sacramento, sed deuotioni. Non enim intentio est dispositio ad fructum consequendum, sed vt sacrificium, atque eius virtus applicetur, quædam conditio est. Vnde qui in peccato mortali existens nullam habet deuotionem sibi respondentem, habet ramen intentionem, qua vt Ecclesiæ minister & Christi applicat sacrificium. Et cui applicat sua intentione in illo sacrificium operatur. Falsum ergò supponit, quod intentioni ministri respondeant taxatus fructus, & sicut non tenetur lege iustitiæ ad proximum esse deuotus, vel in gratia: ita non tenetur fructum suæ deuotioni respondentem applicare alicui: sed solùm tenetur habere intentionem applicandi sacrificium ijs, qui eleemosynam dederunt, quorum fructus nõ minuitur, vt ipse Sotus fatetur. Si enim peccaret mortaliter, quando plures admitteret, quia fructum respondentem finitæ intentioni diminuit, multo minùs satisfaceret, cum pro vno solo offert, cum est in peccato mortali: quia nullus fructus illi Missæ (prout ex intentione Sacerdotis est) respõdet. Quid igitur existimabimus? nõ dicemus licere plures eleemosynas accipere vna tantum Missa satisfaciendo? Respõ. Primum in hac re putamus, quod si Sacerdos sua spõte pro duobus offerat,

ferat, minimè requisitus (atque idem dico si ab vno requisitus, pro aliis offerat) vno sacro non æquè prodesse omnibus sed minorem fore in singulis sacrificij effectum. Et ita teneri ad restitutionem eleemosynæ acceptæ. Quia, cum in hoc casu respondeat finitus fructus, (cum tantum sit vnica deuotio, vel sua, vel eius, qui rogauit) quidquid pro aliis offerat detrahitur primo. Fateor, quod ex iustitia non tenetur apponere suam deuotionem in Missa, & ita fructum suæ deuotioni respondentem posset pro altero offerre, sed si pro multis offerret minor esset, vel si nullam habet deuotionem, cum tantum deuotio eius, qui petit, cum fructus prodeat finitus, facit iniuriam illi plures ad illius participationem admittendo. Vnde quando vna eademque persona iubet plures Missas sibi dici, vt in testamentis vsu receptum est, tenetur Sacerdos sub mortali & restitutionis onere omnes dicere, nec vna posset satisfacere. Quia cum sit tantum vnica deuotio si vnã tantum dicit Missam, vnicus tantum esset fructus, & si plures Missæ, plures fructus, quo fit, quod vna Missa non possit spoliari purgatorium, vt Gabriel arguebat. Quoniam cum respondeat taxatus fructus iuxta deuotionem celebrantis vel iubentis Missas celebrari, minor erit singulis. Dixi, quod quando sua sponte dicit Missam pro pluribus, non satisfacit, non quod peccet, vel restituere teneatur, sed quod erit minor effectus in singulis. Si enim sua sponte à nullo requisitus, vel obligatus facit, non peccat plures admittendo, imo maiorem charitatis actum extensiuè elicit, at quando ab vno requisitus siue pithantiam accipiat, siue non, pro aliis offert sua sponte omnino non satisfacit.

329 **S E C V N D O** videtur, quod si plures accipit eleemosynas, in quo casu, cum sint multi petentes, non videtur defraudare aliquem, ramen non posse vna Missa satisfacere, sed ad restitutionem teneri, si vltra vnum stipendium accipiat, vt prima docet opinio, vel cerrè si vltra duos argenteos, aut vltra id, quod ad eius strictam sustentationem sufficeret cum secunda. Licet enim argumenta primæ & secundæ opinionis soluerimus, & pro tertia magnum argumētum à nobis sit factum, ob quod non omnino absurdam putamus esse: ramen prima nobis opinio Cord. & Nauar. vel certè secunda Soti celeriter, vt verissima amplectenda videtur; quæ hac ratione vrgētius à nobis probari posse videtur. Quoniam stipendium Missæ non datur ob fructum sacrificij applicandum, id enim est spirituale, & simonia committi videretur, vt si daretur pecunia, vt beneficium Ecclesiasticum mihi prælatus applicaret atque conferret, sed datur in stipendium temporale, quo indiget celebrans, vt administrando viuere possit, at illud siue consuetudinem, siue legem positiuam attendas, non nisi vno argenteo iustè æstimatur, vel si naturalem legem attendas (cui cadere debet consuetudo & positua lex) non nisi duos, vel id, quod ad strictam ministri sustentationem sufficit, valet aut valere debet. Qui ergo viginti, aut centum argenteos pro illo stipendio recipit, etiam si ab vno petente vnum tantum accipiat iniustitiam committit: cum plus longè corradat pro labore quàm labor prædictus mereatur, & licet nullum in particulari, damnificet, quia

- de fructu, (vt sæpè probaui) nihil detrahitur, & vnusquisque vno præstito argenteo tantum accipiat, quantum si pro se solo diceretur, tamen omnes simul & respub. sunt rationabiliter læsi, quia ille pro paruo labore tam magnam summam accipiat, cum id sit iniustum & inæqualitas magna, vel laboris ad mercem, vel stipendij ad sustentationem.
- 432 Accipe simile: furatur quis modica à diuersis, ita vt ex illis paruitatibus magnam sibi quantitatem pepererit, certum est tum, quod nullum in particulari notabiliter damnificauerit, tenetur tamen restituere, vt infra probabimus. Idque nulla alia ratione, quam quia omnes simul sunt rationabiliter læsi, quod ille direscat furto, etiam nullum notabiliter damnificando, idque est omnino contra ius naturæ: si igitur rationabiliter sunt læsi omnes illi, vt quis pro modico labore iustè taxato vno, vel duobus argenteis magnam sibi summam conquirat, & retineat, id enim contra naturæ ius est, & debitam æqualitatem seruandam inter datum & acceptum. Licet igitur permitti posset, vt Sotus docet, vt Dei Sacerdos duas eleemosynas accipiat, vel eas, vt mihi videtur, quæ erunt necessariae ad suam strictam sustentationem, non
- 433 tamen vnquam licebit plures accipere, vt probatum est. Nisi quando non sufficerent. Si enim reuera tres essent necessariae à diuersis accipere posset, quod non solum debent fateri, Syluester, Angelus, Caietanus, & alij ex tertia sententia: verum prædictus Sotus, vt ex ratione eius colligitur. Quam sententiam satis expressè in specie video Canonum tenuisse, libro duodecimo de Locis Theolog. capit. 13. his verbis. *Omnis autem opinio in hoc conueniat necesse est, sacerdotem, siue pro paucis, siue pro multis offerat, vitæ necessaria suscipere iure suo posse, quem cibum, si vnus non dederit, nulli facit iniuriam, si expectat a pluribus. Imò tu illi iniurius es si cogis sacerdotem vt solum pro te hostiam præbeat, nisi tu illi præbeas cibum. Qui quantus qualisque sit homini necessarius prudentia magis, quam Theologia diiudicat, vno enim tempore, & loco non satis erit nummus argenteus, &c.* & citari solet pro hac sententia, Petrus Sotus lectura nona de Eucharistia, Honcala de valore Missæ articulo vndecimo, & decimo sexto.
- 434 Ex quibus patet, & quod sacrificij virtus non minuitur ex multorum participatione, & quod simul stat non posse plures eleemosynas accipere, quam vnā, si illa sit sufficiens ad suam strictam sustentationem. dixi sæpè *ad strictam sustentationem*: Quia ex quo contra iuris ordinem ordinatus est sine beneficio, vel alio titulo, non mirum si cogi debeat ad strictè viuendum. Et certè nisi hac ratione non video quo pacto in nostra sententia quæ vt dixi verissima est, defendi posset non licere plures pro vno sacro pithantias accipere, vt modò ostendi, nec Cord. nec Soti rationes id conuincunt. Imò certè putarem, quod etiam si diues, si poterit duas eleemosynas accipere, vel eas quæ æquent strictæ, honestæ tamen sustentationi illius. Quod apertè Sotus fatetur in dicto
- 235 lib. 9. de Iustitia, nec correxit, sed confirmavit in dist. 13. 4. Sent. Ratio est plana, quia, vt idem Sotus, & Nauar. fatentur nume. illo 92. & III. paupertas, vel diuitiæ Sacerdotis nihil conferunt ad æqualitatem iustitiæ, &

tiæ, & ad debitum. Vnde si pauper nullam facit iniustitiam, quia illud est iustum sui laboris stipendium, non ob id quia abundet aliunde, priuatur iure accipiendi iustum stipendium. Diues enim sacerdos, si non quia diues, at quia sacerdos, ius habet de altario viuendi sicut pauper, modò officia debita præstet. Vnde sicut potest vnā eleemosynam accipere, non æquantem iustæ sustentationi & necessariae, poterit duas, quæ æquent accipere, etiam si sit diues, sicut econtrà licet sit pauper, non poterit accipere etiam duas, si excedant debitam sustentationem, & honestam. Vnde male Nauar. retulit Sotum, quasi dicentem diuiti non licere, cum oppositum Sotus dicat. Sed obijcit Nauar. contra hanc nostram assertionem. Quia clericus pauper non potest victum ab spiri-²³⁶ tualibus quærere, sed manibus laborando, vt habetur in cap. clericus victum, 91. distinct. item, quod esto, ita esset, tamen non ex sola Missa, ita vt eum sustentet dans eleemosynam, sed ex aliis officiis quæ præstat. Verum respon. in dict. cap. & cæteris illius distinctionis solum prohiberi, ne clericus negotiis vacet, & sic victum quærat, sed quod si Ecclesia ei non sufficiat, potius ex honesto-artificioso (exemplo Apostoli, qui de labore manuum viuebat) victum quærat, non ex negotiatione. Vnde Gratianus in principio illius distinctionis, sic ait: *Qui autem turpi lucro, vel inhonesto negotio prohibetur, ne de oblationibus Ecclesiæ stipendia consequatur.* Quod si Ecclesia ei sufficere non possit, proprio artificioso, vel agricultura, &c. Vide quàm sit alienum à proposito velle iura, quod de Ecclesia & officio suo non viuat, sed id intendit ne ex turpi negotiatione quærat, si Ecclesia non sufficiat. Sed manibus victum, & vestitum parat. Vnde fatemur iuxta Apostolum Act. 2. & 1. Cor. 4. & in 1. ad Thessal. 2. & 2. Thessalo. 3. & ita in cap. 1. illius distin.²³⁷ Pelagius Papa præcipit clericos esse puniendos, qui postposito Ecclesiæ officio negotiis vacant. Vnde in dicto capitulo Clericus. stipendia clericorum appellat Carthaginense Concil. 4. cap. 42. & 49. quod clerico ob officium debetur. Maxime quia his temporibus, vbi Ecclesia ita creuit ministrorum varietate, & dignitate, necessariaque autoritate apud laicos, non decet sacerdotes domini officia, & artes mechanicas exercendo victum quærere. Vnde argumentum illud Nauarr. parum vrget. Et sanè, vt intelligas præcipuam prædicti Concilij Carthaginens. 4. in dicto capitulo intentionem fuisse, prohibere, ne clerici negotiis, sed arte potius honesta viuerent, subdit in cap. sequenti, quod est de-²³⁷ sumptum ex capit. 51. & 53. 48. & 50. eiusdem Concilij, & habet But. lib. 2. cap. 102. & 51. & Iuo. par. 6. cap. 179. & 183. & 285. his verbis, *Qui verò non pro emendo aliquid in nundinis, vel in foro deambulant, ab officio suo degradentur.* Vbi odorem ipsum, vel conspectum fori & nundinarum ita grauitè prohibet Concilium, nedum ea exercere. Vnde statim adiungit: *Interemptores autem ab officio declinantes, vel negligentius agentes, ab officio suo remoueantur.* Quæ quidem verba per difficultia sunt intellectu. Non enim videtur, quos appellet interemptores. Possè igitur dupliciter intelligi, existimo. Primò vt sint duæ dictiones, scilicet *inter & emptores*, quasi idem prohibens, quod paulò antè, nempe

inter emptores & venditores deambulare in nudinis vel foro. Secundo ita ut sit una dictio, nam interemptores proxonetae vocantur, ut ait ibi Glossa, de quibus habetur ff. de Proxonetis l. 2. Hispanice dicuntur, *corredores*, Quia scilicet inter emendum mediatores existunt, & ob id
 338 interemptores dicuntur, quasi inter emptores & venditores existant tertij. Siue ergo hoc, siue villo modo clerici negotiis se implicent graviter in d. iuribus prohibentur. Animadvertere autem diligenter lectorem volumus, in aliis codicibus aliter legi. Nam in exemplaribus Concilij etiam manu scriptis sic habetur: *Clericum inter tentationes ab officio suo declinantem, vel negligenter agentem*, &c. Sicut contra legimus in canone 42. clericum inter tentationes ab officio suo incubantem, gradibus sublimandum. Propter Glossam autem praedictam non esse mutatum huiusmodi textum testatur editio Gregoriana in dict. cap. clericus quantum, 91. dist. quasi haec sit certior & vera lectio. Quae vero sint huiusmodi tentationes ob quas clericus ab officio declinaret, non explicat glossa Gregoriana in dict. c. Praecipua esse videtur tyrannorum persecutio, & aliae de quibus agit Ambro. epist. 17.

339 VNUM adderem praedictis, quod scilicet, si plures alios admitteret nullam ab eis eleemosynam accipiendo, sed liberaliter promittendo, non peccaret, nec restituere primo teneretur. Quia & neminem in particulari damnificat, nec omnes simul vel rempub. cum non plus stipendij accipiat quam valeant eius operae, vel exigat eius sustentatio, ob quas duas tantum rationes stipendium Missae, ut dixi accipi potest, ut Cordu. docet q. illa 5. Item colligo, quod non tenetur, imo nec potest Sacerdos applicare omnem fructum, qui est ex opere operato ei pro quo dicit, sed tantum tenetur pro eo celebrare, & ei valore Missae offerre quem tamen ille participabit iuxta quantitatem suae devotionis. Vnde fructum ex opere operato sibi, ut offerenti respondentem iuxta suam devotionem potest sibi, vel alteri retinere. Sicut nec etiam debet sacerdos, nec
 341 potest fructum audientium, & aliarum supra numeratarum personarum applicare, cui volet. Vnde etiam colligo, quod Missa melioris sacerdotis est melior, etiam ex opere operato ei, pro quo dicitur, si sacerdos velit illi fructum suae devotioni respondentem applicare, non est tamen melior secundum, id quod ei debetur, pro quo dicit, ex lege. Nam etiam si melior sacerdos sit non minus sacrificium operabitur in eo pro quo dicitur iuxta eius devotionem & Dei legem.

342 TERTIO colligo, an sit in conscientia ruitus, quia nulla eleemosyna accepta promittit Missam dicere, & non dicit. Si enim verè, & ex animo vult se obligare tenetur ac si accepisset, sicut in omni promissione rei proximo utili, & ab alio acceptatae contingit, & ita non dicens tenetur restituere, si tamen non ex animo, sed ut Hispanicè dicam, *por cumplir con el*, ne illum contristet, & ne parcus videatur, poterit sine peccato mortali, non dicere. Est enim promissio ex metu saltem reverentiali, qui evacuat promissionis obligationem, & ita qui non accipiunt eleemosynam ullam vel stipendium ex ratione sui instituti, vel sua voluntate, promissis quas dicunt, etiam *separa cumplir* promittant, non tenentur sub mortali, imo

imò nec sub veniali, si aliqua rationabili causa non impleant.

343 QVARTO colligo, malè facere quosdam, qui dum Missam alicui promittunt, vel planè liberè, vel ob stipendiū illi applicant, unū ex fructibus, scilicet vel impetrationē, vel satisfactionem, dicentes, quod dum quis Missam petit pro aliqua necessitate, solum videtur velle impetrationem, non satisfactionē, & dum quis pro suo defuncto, vel pro anima sua, aut pro peccatis, Missam petit, solum vult satisfactionē, & ita una Missa posse satisfacere utrique, quā sententiā à doctissimis audisse me fieri posse memini, quod etiā si non omnino improbabile existimem, tamen probabilius puto non licere, ut Nauar. docet vbi supra: nam licet principaliter & explicitè velit impetrationē, tamè virtualiter vult etiā fructum, qui ex opere operato sibi respondet pro quantitate suae devotionis.

344 QUINTO colligo, quod id quod cōmuniter dici solet de Missa, pro secunda vel tertia intentione, esse omnino ridendū, quā dicunt esse Caiet. opinionem, adeò ut Missam Caietanam vulgò vocent ex secunda, ut illi dicunt, intentione: hoc enim nullo Doctorum fundamento innititur, & primū Caiet. qui nostram tueretur sententiā, nihil utiq; de Missa primae vel secundae intentionis cōmemoravit: nec quisquā ex nostrae sententiae authorib. qui dicunt ex societate secūdi vel tertij, nō minui fructū Missae: imò omnes fatemur, Missā pro illis multis oblatā, non minùs secundo, quā primo (imò quādoq; magis, si maiorē habet devotionē) prodesse, nec est vlla prima vel secunda intentio, sed omnes aequè admittuntur, pro ratione suae devotionis. Authores verò alterius opinionis fatentur, fructum respondere finitum, ex eorum sententia Missae, & secundum hos posset meliùs saluari, quod isti dicunt communiter de Missa primae & secundae intentionis, quod scilicet Missa secundae intentionis minùs proficit: & ita in specie docuit Gab. lectione illa 27. quod applicata Missa pro aliquo, in gradu priori, etiam si consequatur fructum finitum, tamen applicatur alteri, in gradu posteriori, etiam si multis applicaretur, non minuetur fructus primi, quod tamen supra impugnaui.

345 SEXTO colligo, quod ceteris paribus melior esse potest Missa boni sacerdotis, & fructuosior, quā mali, non solum quantum est ex operante, sed etiam ex opere operato: nam gradus ille, qui ex opere operato respondet celebranti, ut celebrans & offerens est, non inuenitur in Missa mali sacerdotis. Non dicimus ergo, quod ei, pro quo dicitur, sit minùs bona, quantum est ex opere operato, quia ut omnes fatentur, non minoris est valoris sacrificium in se, ob malum sacerdotem offerentem, nec etiam in effectu, & fructu eius, pro quo offertur, cum secundum suam devotionem sit fructum recepturus, & nihil minus à malo sacerdote de fructu recipiat, sed dicimus esse fructuosiore simpliciter, quia maiorem haberet ex opere operato, si esset à bono: quoniam haberet effectum respondentem offerenti, ut offerens est, sicut etiam esset maior fructus, cum sunt plures vel concurrentes causaliter, vel assistentes, &c. Quia, ut dictum est, plura vasa, plus aquae è flumine haurire necesse est: imò etiam ei, pro quo offertur, posset esse utilior Missa boni sacerdotis, etiam quoad id, quod est ex opere operato. Dixi, *posset*, quia sacer-

dos bonus, si vellet, posset fructum sibi, ut offerenti peruenientem, illi applicare, pro quo celebrat. Sicut ergo fructum sibi ex opere operante respondentem applicare non tenetur ei, pro quo celebrat, sed posset: cum Missa esset illi utilior, ita posset fructum ex opere operato, &c. de lege tamen, & ex obligatione, nihil à bono maius, nihil à malo minus accipiet, sed iuxta mensuram suæ fidei & deuotionis. Non inficior, me plus fortasse prætergressum, quàm restitutionis requirebat disputatio: id mihi tamen ignoscendum: nam ut restitutionis ratio plenior esset, & res ipsa disputatu grata impulit. Quam ob causam, & illud etiam disputabo libenter (quoniam de Missæ sacrificio disputare cœpimus, sapiusque illud, tanquam verum accepisse videmur) nempe sacrificium habere effectum ex opere operato.

346
347
E R I T Q V E septima difficultas: num id verum sit, & an is effectus sit circa culpam, vel circa pœnas peccatorum. Prima enim opinio docet, tantum habere effectum ex opere operantis, sicut quodlibet opus pium ieiunij, orationis, &c. tam circa culpas, quàm circa pœnas, & consequenter non ex lege, sed per modum impetrationis. Ita sentit Caiet. loco citato, pro qua sententia refertur Gab. lect. 26. sed immeritò: nam planè contrarium sentit lect. 57. col. 2. dicens: *Ex opere operato, quia scilicet ex opere exhibitio, etiam circumscripta dispositione operantis, quantum ad eius esse acceptum habent suum effectum sacrificium altaris, & Ecclesia sacramenta, quæ effectum habet ex institutione Christi, & non ex dispositione offerentis, &c.* & aliis locis, quos infra citabimus. Huic similis est secunda aliorum sententia, quos refert Cord. quòd pœnas habet auferre ex opere operato, culpas tamen etiam veniales, non nisi ex opere operantis. Et probatur hæc sententia, quia non videtur ubi sit data hæc virtus sacrificio, ut sacrificium est: nam ut sacramentum, id est, quatenus suscipitur, non dubium, quin culpas abluat, & pœnas tollat ex opere operato. Vnde illud solùm videtur esse priuilegium sacramentorum, quòd culpas ex opere operato tollant.

348
349
S E C V N D A opinio est huic contraria, quòd valet ad remissionem peccatorum, quoad pœnas & culpas etiam mortales. Hanc sententiam expressè tenet Gabr. in can. lect. 85. litera L, & probat. Primùm, ex D. Thoma, in 4. Sent. distinct. 12. quæst. 5. art. 2. dicente: Eucharistia, in quantum est sacrificium, habet effectum spiritualement in iis, pro quibus offertur, in quibus non præexigit vitam spiritualement in actu, sed in potentia, & idèd, si eos dispositos inueniat, eis gratiam obtinet, & ita D. Thomas eius sententiæ videtur. Secundò, probat Gabr. quia quidquid Christus Saluator noster meruit, se offerens in cruce generaliter pro omnibus, hoc sacrificio applicatur particulariter singulis, vnde Ecclesia orat, ut omnes ipsum participantes omni benedictione cœlesti, & gratia repleantur. Cùm ergo sacrificium Christi in cruce, valeat ex opere operato, ad deletionem peccatorum & pœnarum, & cùm Ecclesia non oret pro aliquo, cui huius sacrificij virtus conferri non possit, sequitur, &c. Tertiò id probatur ex illo Christi: *Qui pro vobis & pro multis effundetur in remissionem peccatorum*: ergo ex institutione diuina

diuina habet peccata remittere. Quartò nos probemus ex Conc. Trid. Sess. 22. c. 1. *Reliquit Ecclesia sacrificium altaris* (aiunt Patres) *ut illius salutaris virtus in remissionem eorum, quæ à nobis committuntur delictorum applicaretur.* Cerrum est autem, quòd non solùm venialiter, sed etiam mortaliter peccamus: & apertius in c. 2. sic dicitur: *Huius quippe oblatione placatus Dominus, gratiam & donum pœnitentiæ concedens, crimina & peccata etiam ingentia dimittit.* Quid planius? & quòd sermo sit de Eucharistia, non ut sacramentum, sed ut sacrificium plenissimum est legenti.

M E D I A M tamen sententiam sequitur Cord. lib. illo, quæst. q. 3. §. idèd quarta. Sotus in 4. dist. 11. q. 2. art. 5. & 7. & d. 13. q. 2. conc. 1. Canus & Couar. vbi suprà, quòd hoc sacrificium licet ex opere operato valeat ad remissionem pœnarum omnino, & culparum venialium, non tamen mortalium, nisi forsan de congruo, hæc sententia probatur ab eis, quia aliàs frustra esset sacramentum pœnitentiæ.

M I N I videtur primùm, quòd non solùm de congruo valet hoc sacrificium (longè melius quàm quodcunque opus pium) ad remissionem pœnæ & culpæ, etiam mortalis, ad primam gratiam, & eius augmentum, ad bona temporalia salutis aut pacis, &c. Sed etiam valet ex iustitia, ad remissionem pœnarum peccatorum, & mortalium, quidquid dicat prima opinio satis immeritò. Constât enim Christi meritum & satisfactionem applicari per hoc sacrificium, sicut per sacramenta, cui debetur ex iustitia pœnæ solutio, non solùm cùm pro viuis offertur, ut Cordub. & cæteri fatentur: sed & cùm pro defunctis, quidquid Cord. dicat. Putat enim, quòd tantùm valet hoc sacrificium per modum suffragij defunctis, & consequenter non ex condigno, sed de congruo: hanc enim opinionem, quòd valere per modum suffragij, sit valere de congruo tantùm, alibi latius oppugnavi: imò valere per modum suffragij, est valere non per modum absolutionis: non enim cùm Papa pro defunctis indulgentiam concedit, actum iurisdictionis circa illos exercet, liberando à pœna, sed tantùm valent illis indulgentiæ, per modum solutionis, ex iustitia tamen & infallibiliter. Sic ergo priuatus sacerdos offerens sacrificium pro defunctis, ex iustitia proficit illis ad diminutionem pœnæ, per modum suffragij, id est, non per modum absolutionis, sed solutionis. Secundò id probo, quoniam satisfactio priuati hominis, applicata defunctis, valet illis ex iustitia, ad solutionem pœnæ. Multò ergo magis Christi satisfactio in hoc sacrificio pro illo oblata, valebit ex iustitia, &c. Eadem ratione reiiciendus est Sotus, qui art. illo 1. q. 2. d. 13. putat solùm valere illis de congruo, si Deus voluerit acceptare.

S E C V N D O mihi videtur, in hoc sacrificio conferri, non solùm de lege, & ex iustitia, sed etiam ex opere operato, solutio pœnæ nostris peccatis debitæ, ita ut ultra gradum debitum ex deuotione operantis, respondeat quidam gradus ex ipso sacrificio, sicut de gratia dicimus in sacramentis: ita sentit Gabr. & D. Tho. in 3. opinione citati, & Catharin. quem refert Cordub. ita docuerunt Couar. Sotus, Canus, Cordub. & alij de tertia opinione. Et ratio est plana, quia in eo operatur virtus passionis Christi, sicut in sacramentis, & ex sua institutione est ablatiuum peccatorum

353 peccatorum iuxta illud: *Qui pro vobis*, &c. Cùm ergo sit specialis lex, quòd aufert peccata, saltem quoad pœnas debet intelligi, iam quòd demus non intelligi, quoad culpas, igitur virtute operationis operatæ à Christo, aufert peccatorum nostrorum pœnas debitas. Nisi quòd hæc est differentia inter hoc sacrificium & sacramenta: nam illa per se & principaliter sunt instituta ad iustificationem & gratiam conferendam. Sunt enim signa visibilia inuisibilis gratiæ, licet etiam secundariò pœnam auferant, at sacrificium hoc etiam primò & per se respicit pœnarum expiationem, & consequenter culparum, vt optimè D. Thomas docuit tertia parte citata.

TERTIO videtur, quòd veniales culpas etiam abluat ex sua institutione, vt Cord. & authores tertiæ opinionis fatentur. Et potest probari ex illo: *Qui pro vobis*, &c. Cùm enim pœnæ peccatorum non sint propriè peccata, sed culpæ, vt propriè verba accipiantur, oportet saltem dicere, quòd culpas veniales auferat, quod apertè decernitur in Concil. Tri. sess. 22. c. 2. vbi post multa dicit, *Offertur hoc sacrificium pro viuorum peccatis, pœnis, & satisfactionibus, &c.* Quòd si vera est Soti sententia, quam statim referemus, quam Cord. non rejicit, quòd hoc sacrificium confert gratiæ augmentum, sicut de eodem, vt sacramentum est, id est, quatenus sumitur, omnes fatentur, planiùs erit culpas veniales tollere ac remittere.

354 QUARTO igitur videtur, quòd licet opinio Gabr. de ablatione peccatorum mortalium, & consequenter de conferenda prima gratia, non omnino falsa videatur, non tam ob eius rationes, quàm ob verba Sanctorum Patrum in Synodo Trid. suprà citata, præcipuè illud: *Crimina & peccata etiam ingentia dimittit, &c.* tamen proculdubio putamus, oppositum esse longè verius, quòd scilicet peccata mortalia non delectantur, non dico cùm missa dicitur pro eo, qui vel est in actuali proposito peccandi, vel certè existens in mortali, non cogitat, hoc enim planum est, sed neque etiam si sit dispositus, nisi forsitan per accidens: quod statim tractabitur. Moueor ergo, quia sequeretur, quòd, sacramentum pœnitentiæ non dico, esset frustra, vt Canus & Cordub. argumentantur, id enim non sequitur: sed quòd eius dignitas & virtus, maximè eneruaretur. Cùm non esset (inquam) medium ad salutem necessarium lapsis post baptismum, quod est contra sententiam omnium Doctorum, & Patrum, in Concilio Tridentino. Vnde & dicitur secunda post naufragium tabula. Quod verò sequatur, patet, siquidem sine sacramento pœnitentiæ, per hoc sacrificium posset peccator iustificari, & omnino primam iustificationis gratiam adipisci.

355 DICES, semper teneretur confiteri, fateor: sed tunc non esset confessio necessaria, vt medium, sed in vi duntaxat præcepti, cùm alia posset via peccator iustificari, quod certè derogat maximè sacramento pœnitentiæ, & eius strictè (vt verissimè censent Doctores) necessitati. Quis rogo ad sacramentum pœnitentiæ accederet, si vno argenteo præstito sacerdoti (loquor autem extra tempus præcepti) posset cum ea dispositione, qua esset confessurus, à peccato iustificari ex lege, & primam

primam consequi gratiam? Certè si duo essent remedia pro peccatis lapsis post baptismum, satis esset vnus, vel alterius votum habere ad iustitiam, & ira posset quis non habens confessoris copiam nolle habere votum confessionis, sed solum huius sacrificij, quod certè concedi non debet. Moueor secundò quoniam peccatorum actualium remissio (mortalium inquam) est actus iurisdictionis, vt omnes fatentur, cum pertineat ad clauas Ecclesiæ: si autem per hoc sacrificium peccata mortalia remitterentur, cùm sit annexum essentialiter potestati ordinis, iam tandem posset quis mortalia peccata remittere sola ordinis potestate, nulla iurisdictione conquistata, nulla approbatione postulata, quod absurdum videtur, & contra Conc. Trident. & Patrum sententias, & in damnum sacramenti pœnitentiæ & Reip. Christianæ cuius maxima columna & ornamentum est confessio sacramentum. Adde quòd ministri Ecclesiæ non possunt peccata remittere, nisi illa 357 cognoscant, vt iusti iudices esse possent, quod fieri non valet, in hoc sacrificio. Contingeret enim vt tam habens multa & enormia peccata eodem labore & stipendio dato, quàm habens pauca liberaretur, & iustus euaderet, quòd omni rationi & iustitiæ videtur aduersum. Aliqui probant hanc nostram conclusionem ex illo August. *quis offerat corpus Christi, nisi pro his, qui sunt membra Christi?* Bene enim respondet Gabr. pro membris Christi offerri, quando offertur pro eis, vt sint membra Christi. Quamuis ego aliter responderem, peccatores in mortali esse membra Christi ob fidem, quæ est nexus membrorum Ecclesiæ, licet non sint membra viua. Præterea quia nullus negat saltem de congruo prodesse hoc sacrificium peccatoribus, vt cõuertantur. Vnde nihil impediret, quo minus pro eis offerretur corpus Christi: rationes igitur à nobis factæ constantiores proculdubio videntur.

AD rationes igitur Gabr. respon. Ad primam: fateri nos eam fuisse 358 D. Thom. sententiam. Ad secundam, quòd licet sacrificium Christi in cruce fuerit pro peccatis mortalibus etiam quo ad culpas, & ex condigno, tamen propterea simul ex latere Christi illic pendentis sacramenta manarunt, vt hæc directè ad culpas, illud verò, id est sacrificium, directè ad pœnas tollendas ordinaretur, vt hac mira remediòrum varietate, copiosa foret apud Deum redemptio. Non ergo sacramento pœnitentiæ instituto, vel certè instituendo hanc virtutem ex opere operato, huic sacrificio conferri oportebat, si autem Ecclesia orat, id probat ex congruo, fatemur enim prodesse hoc sacrificium de cõgruo, vt peccator conuertatur ad Deum. Et propterea Concil. Trident. vbi suprà docuit, quod hoc sacrificio placatus Deus donum pœnitentiæ concedit, & ita vtilissimum esse non negamus Missas pro peccatori- 359 bus celebrari, quo Deus illos ad se conuertat. Et propterea Ecclesia, cùm illa verba dicit, non loquitur de sacrificio, vt sacrificium est: sed, vt sacramentum. Dicit enim: *quotquot ex hac altaris participatione sacrosanctum filij tui corpus & sanguinem sumpserimus, omni benedictione cœlesti, & gratia repleamur, &c.* Perpende quemadmodum de sumentibus loquitur, ac proinde de eo, vt sacramentum est. Ad obiecta ex Concil.

Trident. respon. loqui, vel de pœnis peccatorum, vel si de culpis, tantum ex congruo. Dices, quod in dicta Sess. cap. 22. dicitur: *Istud sacrificium est verè propitiatorium, ut si cum vero corde & recta fide, cum metu & reuerentia contriti & pœnitentes ad Deum accedamus misericordiam consequamur & gratiam inueniamus in tempore oportuno.* Respon. enim id de prima gratia intelligi non posse, nisi vt dixi de congruo, cum dicat: Si accedamus cōtriti & pœnitentes. Iam ergo supponit primam gratiam recuperatam per confessionem & contritionem.

360 **Q**UÆSTIO octaua esse potest de gratiæ augmento, in quo videri Cor. & Sor. quæst. 2. art. illo 1. aperte docentes hoc sacrificium ex ratione suæ institutionis gratiæ augmentum conferre, si cut cætera sacramenta à Baptismo & Pœnitentia, neque omnino videtur à ratione aliena ista sententia: Cum enim ex scriptura constet hoc sacrificium offerri in remissionem peccatorum, videtur consequens, quod ex lege habeat gratiam conferre & reconciliationem cum Deo, quamuis ad hoc dici posset, vt supra dicebam, nomine peccatorū intelligi posse vel eorum pœnas, vel si culpas, veniales tantum, ad quarum remissionem gratia non est necessaria. Nulla ratione probant suam sententiam ij Doctores: posset tamen ex eo probari, quia cuiusque operi in gratia factio respōdet sua merces augmenti scilicet gratiæ: cum igitur hoc opus ratione rei oblatae, nempe Christi merentis, sit gratius Patri, est verisimile, vt aliqua merces vltra eam, quæ debetur deuotioni operantis ea ratione respondeat. Imo id videtur satis lucidè ex Trid. Synod. comprobari. Cum dicat hoc sacrificium esse verè propitiatorium, vt si cum vero corde, & recta fide, cum metu & reuerentia contriti & pœnitentes (id est, in gratia: hoc enim significant omnes illæ particulæ) ad Deum accedamus misericordiam consequamur, & gratiam in auxilio opportuno. Quid enim rogo est consequi gratiam eum, qui cum prima gratia contritus, & pœnitens accedit, nisi augmentum consequi gratiæ? Cui coniunge illud eiusdem Concilij: *Huius hostia oblatione placatus Deus gratiam & donum pœnitentia concedit, &c.*

361 **S**ED verè, vt dicam difficilis semper mihi visa est ista sententia. Primum ex ea sequitur, quod primam gratiam conferret semper omni attrito, sicut cætera sacramenta præter Baptismum & Pœnitentiam, ideo primam gratiam causant per accidens, quia augmentum causant per se ex sua institutione: vt ergo illa ratione gratiæ collatae faciunt de attrito contritum, & primam gratiam conferunt: ita certè de hoc sacrificio fateri cogemur, si gratiæ augmentum conferret ex sese, modo ad sit dispositio in eo pro quo offertur. Quam nō est putandum requiri maiorem, quàm in eo, qui Eucharistiam & alia sacramenta suscipit, imo longè minorem, quanto maior reuerentia requiritur ad suscipienda & cōtingenda diuina sacramenta, quàm vt à longè (vt aiunt) existens pro eo offeratur. Nec refert, quod sit per accidens. Nam quo ad mores attinget, si semper attritus in peccato mortali existens iustificatur, quid interest an id sit per se, vel per accidens? Secundò, quia si semel concedamus gratiam conferre, certè primam, & non solum augmentum

confiteri

confiteri debemus. Ex ratione enim suæ institutionis sacrificium ad reconciliandum, & placandum Deum pro peccatis iratum, offertur, & per consequens non supponit ex sua institutione vitam spiritualem in eo, pro quo offertur, vt D. Thom. & Gabr. docuerunt. Ex natura ergo suæ institutionis primam gratiam conferret, sicut sacramentum pœnitentiæ, quod est mortuorum sacramentum, quod quidem supra reiecit. Præterea sequeretur, vt non solum is, pro quo Missa dicitur: sed etiam offerens, assistens, & aliæ personæ supra recitatae reciperent augmentum gratiæ. Omnes enim hi consequuntur effectum & fructum, qui est ex opere operato eius sacrificij, vt supra diximus. Tandem, quia sequitur, quod existentibus in purgatorio conferretur augmentum gratiæ virtute huius sacrificij, sicut datur pœnitentiæ solutio. Sunt extra viam, inquis. Sed quid refert? Quia si de lege hoc sacrificium pro illis offerri potest, cur etiam de lege non consequentur illius effectum. Sicut si sacramenta de lege illis applicari possent, ex lege illi gratiæ augmentum susciperent. Vnde Cord. cum rogaret, an saltem per accidens conferat primam gratiam, cum per se conferat augmentum, non audet quidquam affirmare. Quia non est eadem ratio (inquit) sacrificij & sacramenti. Hanc autem diuersitatem, ille silentio assignat, inquit tamen, quod saltem sacrificanti non audeat negare: non tamen concederet non sacrificanti. Sed hoc leuiter dicitur. Quoniam de sacrificante certum est gratiæ augmentum posse recipere vi sacramenti, cum sumat hostiam, de hoc autem non est quæstio. Si autem sensit, quod sacrificanti datur prima gratia per accidens, non vt sumens est vi sacramenti, sed vt offerens virtute sacrificij, & ita ante sumptionem per actum oblationis redditur iustificatus: cur id non conceditur aliis, qui sacrificium offerunt, vel illis pro quibus offertur, cum reuera longè propinquius accedat ad hoc sacrificium ille, pro quo offertur, quàm sacerdos offerens, cum pro se non offert, vt supra ostensum est. Nos igitur in hac re nihil decernimus. Nam neque plusquam oportet tribuere huic sacrificio volumus, in sacramentorum Ecclesiæ præiudicium. Neque contrà, minuere eius in Ecclesia summam virtutem, nostræ religionis vnicum ornamentum, propitiatorium, spem, iustitiam, sanctificationem, redemptionem, & (vt verè dicam) propriam salutem & gloriam. Satis apertam viam relinquere videmur sapientioribus iudicandi. Dubitasse enim non arrogantia loco poni posse putamus. Nos interim dum à doctis hominibus edocebimur de his & aliis multis, quæ ignorare aperte profiteamur, quoniam admodum in hac materia digressi sumus, ad institutum nostrum de restitutione redeamus.

362 **N**ON igitur quæstio sit, vtum sacerdos anticipans, vel post ponens notabiliter hoc sacrificium, teneatur ad restitutionem, his, à quibus accepit stipendium. Sunt v. g. plures sacerdotes, qui nimiam Missarum multitudinem sub sua fide accipiunt, anticipato stipendio: quas per longum tempus non perficiunt. Sunt, & alij ediuerso, qui cum non habeant elemosynas dicunt Missas anticipatas, vt postea cum venerint

rit aliquis cum elemosyna, ea accepta, satisfecisse arbitrantur vnam ex dictis Missis illi applicando: quorum vtrique videntur defraudare spiritualiter proximum. Quæritur igitur, an id liceat. Et sanè de postponentibus planior est nodi solutio, cum constet illos peccare, si notabiliter sint in mora. Si enim Missa dici iubebatur ratione impetrationis vtpotè pro aliqua necessitate salutis, pacis inter aliquos conuersione alicuius, pro iter agente, aut alio bono successu, fieri potest, vt si cito Missa diceretur proximus consequeretur finem intentum: ob moram autem sacerdotis, vel nunquam si iam tempus necessitatis lapsum est, vel tardè, consequatur, quorum vtrumque in damnum spirituale, vel temporale fratris (idque iniuste illatum) cedit. Si verò Missa dicitur ratione satisfactionis præcipuè animarum purgatorij, plana est iniquitas, cum acerbissimis doloribus detentas, non liberet debito ab eo suffragio. In quo etiam damno sunt testamentorum executores, quorum negligentia similia mala patiuntur defuncti. Hos igitur sacerdotes mortaliter peccare, & ad restitutionem teneri modò eis possibili, vel saltem ad Missas quam primum possunt, dicendum, nemo ambigere debet. Illud fateor non teneri sacerdotem præcipuè mercenarium, statim Missas dicere, si enim ita se gereret, vt nullam elemosynam acciperet, nisi quando nullam aliam obligationem priorem haberet, sed illam solum: viuere certè non posset, & dum aliam quærit, oporteret sæpè in vacuum Missas dicere. Poterit ergo nonnullas habere elemosynas anticipatas, non multas & longinquo tempore, quòd arbitrio boni viri, & suæ conscientiæ, & commoditati honestæ relinquendum censemus. Qui certè abusus adeo increbruit, vt sicut vecordes secularis ad mortem vsque, debita remittunt persoluenda: ita nonnulli clericis, magno Missarum ære alieno onerati vsque ad mortem procrastinando, mandant sibi quàm plurimas dici Missas, quas rudis plebs pro se mandare putat, cum tamen sit vera restitutio detentarum Missarum. Quod quàm esse debeat alienum à Dei sacerdotibus, ipsi iudicent, & suo honori, & conscientiæ consulant, tantò cupiditatem minuendo, quantò addendo diligentiam in persoluendo. Vnde planè Syluest. verb. Missa, quæstione 10. in fine sic ait: *Si sacerdos dicere tardat, peccat mortaliter, quia faceret iniustitiam expectantibus. Soluere enim tenetur, quàm citius possit.*

DE secundo verò puncto maior est dubitatio, vtrum liceat Missam dicere sine applicatione ad aliquem, & postea cum Missa aliqua ab eo petitur illam præteritam applicare. Et quoniam videtur id licitè fieri non posse: quoniam hoc sacrificium consistit in vsu. Tandiu enim est sacramentum, quandiu durat consecratio, oblatio & sumptio, ergo virtus illius iam non est, & ita nec fructus, nec effectus: sed Missam sine fructu offerre est plane defraudare eum, qui petiit, ergo non licet pithantiam pro illa Missa accipere. Secundò, quia Missa & quodcunque bonum opus, nisi pro certa intentione offeratur, non subiacet potestati sacerdotis illud opus, sed ad Ecclesiæ thesaurum pertinet, cuius dispensatio solius est. Papa, vt communiter dicunt, cum ergo illud sacrificium

cium non sit oblatum pro certo fine, iam non est sub potestate sacerdotis illud cui volet applicare.

HANC nos quæstionem non legimus apud vllum Doct. nec disputatam audiuimus, quod certè magnopere vellemus. Quamuis video Cord. q. illa 4. lib. 4. quæstionarij dub. 6. tenentem non licere. Difficiles enim iudicio nostro, habet explicatus: placet tamen more nostro sigillarim nostrum sensum aperire. Primum ergo mihi videtur licitum esse sacerdotem Missas dicere non habentem aliquas anticipatas ex ijs, quas imposterum debet dicere, pro certa intentione v. g. habet quis capellaniam, qua tenetur singulis hebdomadibus ter celebrare pro fundatore, & aliis defunctis, fecit tria sacra, quibus satisfecit hebdomadæ, omnes alias tres Missas poterit certè in eadem hebdomada dicere, quæ in sequenti hebdomada dicere debebat, & deinde sequenti hebdomada omnes alias pro alia intentione dicere. Ratio est plana, quia ille dicit Missas pro certa intentione, & ex alia parte persoluit anticipatè, quòd boni debitoris est. Quis enim non laudaret debitorem debentem ad terminum, soluentem verò multò ante? Magis enim & citius proderunt suffragia illa defunctis, quàm si terminum expectaret, vt patet, & hoc intelligo, nisi specialiter haberetur contrarium in fundatione, vt scilicet nulla hebdomada prætermitteret sacra, quod ad decorem & honorem foundationis fieri, & præcipi potuisset.

SECUNDO videtur, quòd si quis diceret pro intentione eius, qui habet mandare Missas, etiam si ille nesciat, poterit pro Missa taliter dicta, stipendium accipere, verbi gratia. Non habet sacerdos Missas, celebrat pro intentione cuiusdam alterius, vel sacerdotis, vel amici, quem scit plures habere Missas ad dicendum, posset certè commonere, se pro eius intentione tot Missas dixisse, & accipere illarum stipendia. Is enim pro certa intentione dixit, & quia non fuerit admonitus ab alio nec ille sciuerit, non eneruat vllò modo sacrificij effectum, vt constat: neque in his duobus punctis quemquam dubitare posse arbitror, quibus plane assentitur Cord. in d. dub. 6.

TERCIO igitur ad quæstionem nostram respondendo videmur intelligere, licitè illud fieri posse. Pro cuius explicatione animaduerto dupliciter posse aliquem dicta sacra facere. Primum nihil cogitando de illius reservatione, qua ratione opus illud ad Ecclesiæ thesaurum aduolauit. Vnde pro illo nec elemosynam recipere, nec de illo promissionem, vel applicationem facere posse: sed esse bona communia à solo Pontifice dispensanda arbitramur, id quod probat secunda ratio facta: alio modo fieri potest cum expressa voluntate vel virtuali, reservationi illud sacrum in posterum applicandum pro certa intentione, vt statim applicando ei, quem Deus scit primò fore petiturum, & hac ratione existimari posset licitè illud applicando recipi elemosynam posse, vel promissionem, vel applicationem illius fieri pro determinata persona, licet contradicat Cord. Hoc suaderi potest hac ratione. Quia quamuis illud opus sit præteritum respectu nostri, tamè in Dei acceptance atque eius æternitate manet præsens. Vnde quod ad

Deum acceptantem attinet, ita recens est, ac si eo momento offerretur, at si modò tamen offerretur valorem haberet sibi debitum. Ergo modo applicatum tantundem valebit. Erat enim retentum, & quasi depositum vsque ad tempus applicationis. Estq; simile, ac si quis artifex vas aliquod preciosum fingeret, vt regi offerret, apud seq; retineret, idoneum tempus expectans. Nec refert hoc esse permanens: illud verò, vt dixi, successiuum & præteritum. Nam respectu Dei neque præterita prætereunt neque futura expectantur, vt veniant: sed omnia tempora supergreditur suâque æternitate, recentia ac præsentia retinet ex omnium sententia. Aliàs neque Roma. Pont. posset applicare Missas, & orationes, & omnia bona opera, quæ retenta sunt, & reseruata in Ecclesiæ thesauro, siquidem iam præterierunt. Nec modò passio Christi Patri placeret, cum non extet. Satis ergo est extare in æternitate & diuina acceptatione. Si enim merita mortificata reuiuiscunt & valent, & hoc sacrificium reseruatum valere debet, cum nec tempore senescat, nec Dei acceptationem & æternitatem fugiat. Ex quibus facile constat primæ rationis solutio. Et sanè contra Cord. existit ratio. Quoniam ipse fatetur Missam dictam pro Petro valere ei, cui Petrus est applicaturus: etiam si quâdo Missa dicebatur Petrus nondum applicuisset. Quia inquit, cum Deus statim, ac distinctè sciuerit, quis ille est, cui Petrus applicabit, statim Deus pro eo acceptauit, fecitq; quod facturus est postea Petrus applicado. Quod si Petrus nulli postea applicabit, neque Deus vlli applicauit. Hæc Cord. Cur igitur non æquè dicemus, quod cum Deus sciat distinctè eum, qui est petiturus, statim illi applicet, vel si forte nullus sit petiturus, tum Deus nulli applicauit? Adde, quod ipse Cord. probabile dicit esse, quod non statim, ac quis celebrat pro Parrocho, verbi gratia, qui Missas habet (quas nondum vlli applicauit) fructus consequitur: sed etiam quòd à Deo suspenditur effectus Missæ, quo ad vsque Petrus Parrochus eam applicet: sicut cum Papa (ait Cord.) concedit indulgentiam ei, cui applicauerit is, cui dederit talem quantitatem. Nam sicut Papa est minister applicatorque thesauri Ecclesiæ: sic sacerdos respectu fructus Missæ. Hæc ille.

376 Si igitur hoc probabile censet, cur non probabile censebit, vt Deus effectum suspendat in nostro casu, quousque applicet sacerdos ei, cui voluerit?

Sed respondet Cord. non esse simile, quia in casibus ab eo concessis est iam dispositio petentis in actu, & ita iuxta illam Deus acceptat sacrificium, at in nostro casu nulla est petentis dispositio, cum nullus petierit, sed contra est. Tum quia licet operatio sacrificij exigat dispositionem petentis, tamen veritas, & substantia illius sine petente saluatur: sicut veritas sacramenti sine dispositione petentis saluatur, licet non effectus, qui suspendi potest, vsque ad tempus dispositionis. Adde, quod licet sit dispositio: tamen non est intentio applicantis vlla, vt supponimus: non est autem minùs necessaria intentio applicantis sacrificium, quàm deuotio suscipientis. Si igitur nulla

377 existente intentione in applicante Deus siue statim, siue postea, quando

do erit, applicat sacrificium: sic sanè etiam si nulla sit actu in petente dispositio, verum erit, & Deo acceptum sacrificium, vt ratione illius effectum conferat iuxta eam dispositionem, quam scit fore habiturum, vel saltem suspendet effectum, vt secundum eam (quando iam tandem erit sacrificium) valere incipiat, sanè discrimen vix reperio. Denique, si licet Missam dicere pro Parrocho amico, qui me non admonuit, vt illam prout volet applicet, cur non pro me ipso dicere, licebit, vt ego pro quo voluero applicem. Quod enim sit eadem, vel tertia persona nil refert, si semper sit sacrificium sine certa & singulari applicatione.

Pro cuius confirmatione obijcio, quòd sacramenta, non habent effectum reseruata: v. g. Si quis diceret: Ego te absoluo, & postea dum alicuius confessionem audiret, diceret se applicare illi absolutionem iam olim factam intra domesticos parietes. Id enim vel absurdum vel certè ridiculum videtur. Resp. non esse simile. Quia sacramentum, siue subiecto dari non potest, cum suprâ sæpè dixerimus sacramenta respicere suscipientem. Vnde absolutio in aère facta nulla est, cum ad veritatem sacramenti idoneum subiectum requiratur, sicut requiritur materia, & forma & ministri intentio: at sacrificium hoc non requirit subiectum, id est quòd sacrificium insit ei, pro quo offertur: sed in cōsecratione & oblatione, & sumptione perficitur. Imo essentialiter in sola cōsecrata hostiæ oblatione, vt alibi diximus, etiam si sumptio non sequatur. Vnde sicut ipsa Eucharistia, quæ subiectum non requirit, reseruari potest, & reseruata, cum applicatur habet effectum, ita &c. Sicut cætera sacramenta, quæ cum fictione suscipiuntur, quia vera sunt sacramenta operantur, veluti reseruata, cum subiectum est dispositum, de quo alio fortasse tempore.

In quo licet diuersam esse rationem dicat Cord. in finem dict. q. 4. tamen diuersitatem ipse non ostendit. Asserit namque neminem posse fructum Missæ, vel alterius boni operis reseruare in posterum pro quo tempore indigebit, quod ipse non admitto. Cum ille non aliter prober, quàm, quia si est capax statim ei valet: aliàs in thesauro Ecclesiæ reseruatur. Dicimus enim ad hoc: tum solum ad Ecclesiæ thesaurum pertinere, quando, vel illi superest, vel ipse sine vlla intentione, vel applicatione facit, vt sunt permulta Christianorum bona opera sine certa intentione facta: at quando expressa intentione sunt sibi reseruandi, & applicandi, cum erit opportunum, non probat ipse mei dominij limites excedere. Et sicut hoc ipsum sacrificium ei, pro quo offertur in thesauro Ecclesiæ de facto reseruatur: ita profecto à priuato sacerdote, vel alio causaliter concurrente ad illud, reseruari potest, à se postea pro voluntate dispensandum, vt dictum est. Et hæc sub correctione doctioris dicta esse volumus.

DECI MA difficultas sit, vtrum sacerdos defraudans in vna vel duabus Missis teneatur restituere sub mortali. Videtur enim, quòd non teneatur, siquidem vnum, vel duo argentei, non sunt materia peccati mortalis, vt infrâ dicemus capite 5. Alia verò, ex parte videtur esse

esse mortale, quoniam in spiritualibus defraudat plurimum in gratia, scilicet, satisfactione, impetratione, aliisque inestimabilibus huius sacrificij effectibus, ut supra tradidimus. Fieri enim posset, ut necessitas vel rei impetrandæ, vel satisfactionis, maximè defuncti impeditur, eo quòd sacrificium offerre desuerit, ad quod ex lege iustitiæ tenebatur.

381 **M**ISSAM videtur sub distinctione esse respondendum. Nam vel ille, qui Missam dici iussit, cognouit eam esse omissam, quia vel ex ore sacerdotis audiuit, vel alia via, & tunc putarem, nullam illi restitutionem esse faciendam sub mortali. Non enim ratione damni temporalis, quod voluntariè patitur, quia vnus vel duorum argenteorum quantitas non est materia peccati mortalis: neque verò ratione damni spiritualis. Quia ipse recognita poterat aliam Missam commendare ad leues expensas, si voluisset. Quamobrem si non iubet Missam dici, iam videtur remittere, vel saltem non grauem reputare spirituale illam iniuriam. Sicut supra copiosè præuidimus, cum de restitutione damni spiritualis (quod qui sciens volensque patitur) tractaremus. Si verò nescit, tenetur sacerdos sub mortali Missam per se, vel 382 per alium dicere, alioquin efficiens causa erit magni damni spiritualis vel certè satis erit, ut à mortali liberetur illi significare, ut dictum est, quo pacto se à mortali liberabit. Sed non omnino à peccato. Nam ratione eleemosynæ fraudulenter acceptæ peccatum furti committit, quæ verò quantitas sit materia peccati mortalis infra ca. 5. dicemus in hoc ipso 2. lib.

383 **H**IC disputari posset de redditibus Ecclesiasticis quomodo sint restituendi, de aliorum bonorum Ecclesiasticorum cura, administratione & residentia. Sed hæc potius in damnis temporalibus computanda videntur, cum pauperes, vel Ecclesiæ, quorum sunt ea bona temporaliter, non spiritualiter defraudentur. Ipsi certè malè dispensantes, se ipsos spiritualiter defraudant, qui (ut supra vidimus) suæ utilitati spirituali cedere possunt. Solum de simoniæ restitutione ad extremum placet differere, hæc enim ratione spiritualibus bonis Ecclesiæ, & alijs priuati detrimentum pati solent.

VNDE CIMA difficultas, vtrum simoniacè accepta sint restituenda? Hæc materia de simonia latissima est, in qua nos propter operis breuitatem, quam sequi studemus, id dumtaxat, quod ad restitutionem pertinet disputare intendimus: libet tamen quædam præponere quod ea, quæ de restitutione simoniæ sumus dicturi, lucidiùs intelligantur.

384 **P**RIMUM igitur suppono simoniam (ut placet D. Thom. 22. q. 100.) esse studiosam voluntatem emendi aut vendendi aliquid spirituale, vel spirituali annexum. Dicitur *voluntas* (ait D. Thom.) quia iniustitia omnis in voluntate consistit: sicut & iniustitia. Ita docet in solutione ad 384 secundum. Ex quo deducitur simoniam ad vitium iniustitiæ essentialiter pertinere: licet etiam ad irreligionem pertineat ob irreuerentiam factam rebus spiritualibus cum pretio comparantur. Quomodo ergo D. Thom. ad iniustitiam mortale vitium reducit? Responderi potest, essentia

essentialiter quidem, & directè esse irreligionem, ut apertè dicit in fine corporis, & ita D. Thom. inter vitia opposita religioni tractat de simonia. Est enim natura sua & principaliter iniuria Deo, & spiritualibus rebus illata, consequenter tamen, & minùs principaliter esse iniustitiam: in quantum rem alienam (cuius nullus in terra est dominus etiam Summus Pontif. sed dispensator) vendere tentat. Vnde & qui vedit iniustitiam committit, & qui retinet, quod suum non est, nec eius qui venderat. Et secundum hanc partem pertinet (hæc de simonia disputatio) ad nostrum institutum, qua scilicet parte est iniustitia, & ad restitutionem obligas. Additur autem, *studiosa*, ait D. Thom. ad significandam electionem voluntatis. Sed id necessarium nõ est. In omni enim vitio electionem voluntatis consequi necesse est, & electionem imperium, &c. 385 Aliàs actus humanus non esset vituperio dignus. Sicut etiam in omni actu virtutis electio omnino requiritur. Fortasse iudicio meo addita est illa particula: quoniam simonia à patribus hæresis est semper appellata, non quia reuera sit actus infidelitatis essentialiter: sed ut explicat D. Thom. vel secundum exteriorem protestationem, quia ex quo aliquis vendit donum Spiritus sancti quodammodo protestatur se esse illius dominum, quod est hæreticum: vel quia Simon Magus, hæreticus fuit. Docebat enim mundum non esse à Deo creatum, sed à quadam superna virtute (ut idem D. Thom. ex Isido. in lib. Etymol. docet) & ob id 385 simoniaci hæretici sunt appellari à Patribus. Quia igitur hæresis est, *falsa ex electione sententia*, &c. ob id forasse simonia definitur per voluntatem studiosam, seu ex electione. Dicitur *emendi, & vendendi*, quia in vtroque committitur irreligio, & iniustitia. Emere sanè voluit Simon Magus: vendere Giezi. Vnde possent etiam appellari Gieziæ, ut D. Thom. docet, ad quartum, sed quia contractus emptionis principalior est ad quem ordinatur venditio, ideo à Simone emere volente, Simoniaci sunt appellati. Dicitur autem spirituali annexum propter beneficia, & dignitates Ecclesiasticas.

SE C V N D O præsuppono duplex esse genus simoniæ. Quædam est verè, & propriè, ea scilicet, qua res spiritualis, vel ei annexa, pecunia, aut alia re temporali veditur aut emitur, quæ est iure naturali prohibita, & intrinsecè mala. Tum quia res spiritualis non est pretio æstimabilis, & ita sine magna irreuerentia, & iniuria non potest rei temporali comparari. Tum quia nullus est dominus rerum spiritualium, atque ob id peccatum est mortale, & intrinsecè malum, adeo, ut D. Thom. ad 386 7. doceat Papam dispensare non posse, sed vitium simoniæ incurrere, sicut quilibet alius homo. Alia autem est simonia largè sumpto vocabulo, quando scilicet res spiritualis, pro alia spirituali datur, ut cum permutatur vnum beneficium pro alio, vel Missa pro sacramento, aut grano aliquo benedicto, vel Agnus Dei, &c. ex pacto, & hæc saltem in beneficiis prohibita est iure tantum humano, ut infra dicemus. Imò ut D. Thom. docere viderur in sol. ad 5. dicens, quod nomine emptionis intelligitur omnis contractus non gratuitus, ut est permutatio præbendarum, &c. afferens illud Christi Matth. 10. *Gratis accepistis gratis*

date. Vnde simoniaci in iure appellantur, qui sine Papæ autoritate beneficia permutant. Imo certè si præceptum est illud Matth. 10. *Quod gratis accepistis gratis date,* sine dubio, nec Papa posset dare præbendam cum pacto alterius præbendæ renunciandæ, nec Papæ autoritate fieri posset inter duos conuentio de permutandis beneficiis, sed oporteret unumquemque liberè resignare in manus prælati, & deinde resignatione facta, supplicare, vt hodie fieri audio satis laudabiliter, sed id alio forlasse tempore latius examinabimus.

I A M igitur est dub. an accepta simoniacè sint restituenda. Et primum de acquisitis per simoniam mentalem, an sint necessariò restituenda, siue sit beneficium acquisitum per pecuniam, vel obsequium à manu vel lingua, vel aliud munus temporale. Et sanè pro intelligentia præmitto, eritque tertium, quod præsupponimus, quòd simonia tam intrinsecè mala, quàm ea, quæ solum est mala, quia prohibita: tripliciter fieri potest. Primò tantùm mentaliter, quia scilicet in affectu velit quis beneficium conferre, vel accipere pro pecunia, vel pro alio beneficio: id tamen à nullo declaratur exterius. Secunda dicitur conventionalis, quando scilicet proceditur de mente praua ad pactum, & conuentionem exteriorem verbis, aut aliis signis explicatam, vel implicitè pactum intercedit. Tertia dicitur realis, quando vltra pactum exterius, fit realis traditio, vel beneficij, vel pecuniæ, vel vtriusque simul, quæ dicitur realis ex vtraque parte.

D I C V N T ergo aliqui indistinctè, quod simonia mentalis obligat ad restitutionem tam beneficij quàm pretij. Hanc sententiam firmat Caiet. 2. 2. q. centesima art. 6. Primum, quia regula (inquit) generalis est, quòd quando tam dare, quàm accipere est iniquum, non potest retineri, cum igitur tam dare, quàm accipere mente simoniaca sit iniquum, sequitur, &c. Secundò, quia sicut vsurarius mentalis omni pacto excluso tenetur restituere quia scit oblatum non sponte dari, ita cum cognoscat simoniacus mentalis pecuniam seu beneficium, non sponte dari, sed coactè, scilicet principaliter ob illam, sequitur, &c.

S E C V N D A M opinionem refert aliorum, qui docent, quòd in simonia non intrinsecè mala, non est necessariò restituendum simoniacè acquisitum, iuxta cap. mandato de Simonia. In acquisitis autem per simoniam iure naturali prohibitam tenetur: Quorum ratio est. Quia tex. ille solum loquitur de simoniacis ex iure positiuo, vnde non est extendendus ad acquisita simoniacè ex iure diuino, vt prima dicit opinio. Hanc tenent Host. & Ang. vt refert Syl. simonia. quest. 20. sed rectè impugnatur à Caiet. hæc sententia. Nam tex. planè loquitur de simoniacis contra ius diuinum. Vnde Greg. 9. in d. Decretali dicit *ad resignationes spiritualium & temporalium, qua nullo pacto: sed affectu animi procedente, vtrinquet aliter acquiruntur, eos pro simonia huiusmodi non teneri, sed per solam pœnitentiam suo satisfaciant creatori.* Secundò, quia vt infra probabimus nulla simoniacorum restitutio est de iure diuino, aut naturali, necessaria: sed merè ex iure humano, frustrà igitur ex rei natura distinguere voluit hæc opinio inter simoniam malam, quia prohibitam: vel

proh

prohibitam quia malam, cum iure humano (quo solo restitutio est necessaria) non sit facta distinctio. Maximè, quia lex humana de interioribus non disponit, vt ait Sylu. q. 20.

T E R T I A M refert sententiam, sed eadem est cū prima. Docet enim non ratione pœnæ Ecclesiasticæ sed ratione iuris naturalis prohibentis acceptionem spiritualium, & corporalium tanquam iniustam, esse restituendum, sed tam hæc quàm prima opinio falsa est, & meritò à Caiet. reijcitur, quod etiam docuerunt D. Tho. ar. illo 6. ad 6. dum docet simoniacum sola voluntate non teneri abrenunciare beneficium: sed agere pœnitentiam, atque idem Caiet. in sum. verb. simonia, versus finem, versic. aduerte. Nauar. c. 23. nu. 102. Syluest. verb. simonia. q. 20. dict. 1. Armill. simonia nu. 58. Victoria. relect. de simonia.

H A N C sententiam docet Naua. esse communem, & pro ea, quidquid Syluest. dicat citat Host. Inno. & Ioan. And. Eam omnes probant ex d. c. mandato, & euidenter quantum ego possum existimare, quidquid Sor. Adria. & alij doceant. Inquit enim Greg. 9. in d. c. vt paulò ante referebam. *Ad resignationes spiritualium & temporalium, qua nullo pacto, sed affectu animi procedente, vtrinquet aliter acquiruntur, eos pro simonia huiusmodi non teneri, sed per solam pœnitentiam suo satisfacere creatori.* Quid apertius? Verum ad hoc cap. Adri. Sor. & alij permulti, qui contrariam sententiam tuerentur, plures afferunt solutiones, ex quibus, quia fere omnes non placent iis adhuc qui eas afferunt, idcirco eam libet referre ac refellere, eam Sotus ex Adr. affert, sibi que quammaximè placere docet. Respondet (inquam Sot.) litteram illius textus aliter esse legendam, ac communiter legitur. Inquit ergo Sot. quid cum quidam praua voluntate pretium dedissent cuidam monasterio, vt reciperentur. Postea compuncti petierunt dispensationem: Papa verò misit mandarum, vt fieret, sed tamen dubitauit postea Abbas de extensione mandati, & responderet Pont. extendi ad Abbates, vt ipse valeant dispensare, extendi etiam ad resignationes temporalium & spiritualium, si modò nullum extet pactum, vt scilicet Abbas etiam possit dispensare ne resignatio fiat spiritualium & temporalium receptorum. Ex quo (inquit) Sot. potius colligitur eos antea teneri ad restitutionem, cum dispensatio, ne resignatio fieret, esset necessaria. Ex quo colligit Sot. & quòd rubrica rem obscurauit, peruertitque lectionem, vt intelligeretur non teneri talem simoniacum ad restitutionem seu resignationem. Et secundo colligit apud se per quã abunde hanc responsionem capituli vim explicare. Atque adeo (ait Sot.) cum communis opinio (quòd simonia mentalis non obliget ad restitutionem) in eo solo c. fundetur, non est cur ei adhibeatur fides.

S E D vt verum fatear, hoc mihi videtur plus sapere, quàm oportet, neque enim ob leuissimas has (ne dicam inanes) coniecturas à communi Doctorum sensu est ita facile recedendum. Vnde Naua. nu. illo. 102. tam manifestè (inquit) cap. prædictum loquitur, vt nimis cuiusdam audaciæ fuerit illud inficiari adhibendo glossas omnino dissonas.

P R I M V M igitur Sotus non rectè intellexit mentem text. & Pontific. Dicit enim Rom. Pontif. rogatum fuisse, an facultas dispensandi

395 esset extendenda ad prælatum, seu Abbatem monasterij ita vt ipse posset cum monachis dispensare, respondisseque Pont. affirmatiuè nempe posse Abbatem dispensare cum illis. At hoc valdè extraneum est à mente Pontif. & quo ostenditur Sotum non maturè text. expendisse. Vt enim ibi explicat glo. & Doct. omnes, aliter se res habet: Isto scilicet modo. Nam cum quidam reciperet in mandatis à Rom. Pontif. vt (secundum constitutionem generalis Con. Const. relati in cap. quoniam, eodem tit.) dispensaret cum monachis, qui locum in monasterio pretio dato fuerant adepti, nulla facta mentione de Abbate, qui pretium recepit, consuluit ille Papam, An autoritate & virtute illius mandati, posset etiam cum Abbatibus dispensare, cui respondet Greg. mandatum Apostolicum ad Abbates extendi, ita vt etiam cum illis sicut cum monachis simoniacè locum adeptis possit dispensari. Et hæc est prima pars tex. Secundò rogatus fuit Pont. An tales simoniaci siue monachi, scilicet dantes, & Abbates recipientes, teneantur spirituale, & temporale abrenúciare, ita vt, nec Abbates pretium, nec monachi habitum & locum (quæ spiritualia sunt) debeant resignare. Cui secundæ interrogationi resp. Et ad resignationes spiritualium, &c. non teneri: sed ad solam pœnitentiam suo creatori faciendam. Et sanè iuxta Soti opinionem, & expositionem, sensus Decretalis ineptus quodammodo videretur. Ait enim sic esse legendum, *Respondemus mandatum Apostolicum extendi ad Abbates, extendi etiam ad resignationes temporalium & spiritualium, vt scilicet Abbates possint dispensare, ne resignatio fiat.* Si enim hoc ita esset, cur addit, eos pro huiusmodi simonia non teneri. Hoc declarare est, non facultatem dispensandi Abbatibus dare, vt non fiat resignatio. Quid? quod omnino falsum est, quod dicit, dari facultatem Abbati, vt dispensent in eo secundo, ne scilicet fiat resignatio temporalium, vel spiritualium adquirentium, sicut dixerat dari facultatem eidem. Abbati dispensandi in delicto, & pœnis. Vtrumque enim est alienum à veritate, & mente Pontif. iuxta glo. & communem sensum. Ibi enim loquebatur Papa cum suo legato, qui ex mandato suo dispensaturus erat, ad quem scribit. Primùm, quod eius mandatum de dispensando, cum illis monachis extenderetur ad Abbatem, vt etiam cum ipso posset dispensari, qui in simonia particeps fuerat. Secundò ad aliam interrogationem respondet dicens: *Et ad resignationes spiritualium & temporalium, quæ utrinque prauo animo adquisita sunt, eos non teneri si modo pactum non interueniat, sed solam pœnitentiam sufficere, respondemus.* Quid planius? Vnde Med. adeo est textus vi conuictus, vt dicere audeat, quod Rom. Pontif. secutus est opinionem probabilem, sed opinio hæc est magis probabilis, hæc ille. Sed dimittamus modò curioso lectori textus ponderationem. Ratione eam sententiam probemus, quam inter omnes nostræ sententiæ authores solus tetigit Syluest. quæ talis est. Quia ea 389 quæ restituenda sunt ratione simoniæ, non sunt restituenda vigore iuris naturalis, aut diuini, cum omni iure & dispositione positua seculi nulli fiat iniustitia, nullusque esse possit rationabiliter læsus, sicut in omnibus turpiter datis, & receptis, voluntate tamen libera contrahentium, vt infra

vt infra, lib. 3. c. 2. docebimus. Igitur solo humano iure introducta est restitutio simoniacè adquirentium: at nulla est dispositio humani iuris, vt accepta ob mentalem simoniam (modò absit omne pactum, & conuentio) non possint retineri, imò neque fortasse esse posset talis iusta lex: cum nulla lex humana iuxta magis communem sententiam de actibus humanis, non possit disponere interioribus, & ob id fortasse Pont. Ro. in dict. c. *Sola*, inquit, *necessaria est pœnitentia suo Creatori*: confessio enim de actibus mentalibus, solo iure diuino introduci potuit, vt alibi ostendi, igitur, &c. Et sanè, si Soti sententia vera esset, vix esset vllus Prælatus, vllusve Prælatorum famulus à restitutione liber. Quis enim est 399 horum talium, qui non spe beneficij, vel seruiatur, vel seruiat. Tales ergo, si principaliter eo animo temporalia vel exhibeant, vel recipiant, propter beneficium consequendum, mortaliter peccant, vt Caiet. & ceteri adnotarunt, & sunt in statu damnationis æternæ, quamdiu perseuerant in tali animo, sed restituere non tenentur omni pacto secluso.

NEQUE prætereunda silentio est Soti expositio ad Diuum Thomam, cum Diuus Thomas (inquit Sotus) ait in prædicta solutione ad 6. sufficere simoniaco mentali, de mala intentione pœnitere, respondeo (inquit) non loqui de simonia mentali, vt communis opinio intelligit, dict. cap. mandato, aliàs ipsum citasset Diuus Thomas, sed vocat simoniacum mentalem eum, qui mente vellet dare, aut recipere rem spirituales, aut temporales: sed non verè dat. O præclaram expositionem! Quid enim tam manifestum, quàm simoniam mentalem, quæ exteriùs non prodiit dando, vel recipiendo, non obligare ad restitutionem? Quid enim restituet, qui cupit beneficium etiam per pecuniam habere, sed nunquam habuit? aut fur, qui cupit furari, vel vsurarius, re tamen ipsa nunquam furatus est, vel vsuras accepit? Quare de hoc D. Thom. 400. intelligere ridendum videtur, pace dixerim tanti viri: maximè, quia apertè est contra textum Diui Thomæ ista expositio: dicit enim: *Mentalis simoniacus non punitur pœna Ecclesiastica, vt abrenuntiare teneatur beneficium, sed debet de mala intentione pœnitere.* Iam ergo supponit Diuus Thomas, adquisisse mentali vsura beneficium. Cur non citauit hoc c. D. Thom. ait ille, cui ego: cum verba aut certè sensum totius decretalis refert, quid opus est alia citatione: non enim oportet in actu (vt aiunt) signato, omnia scribere.

CVM igitur contrariam nobis sententiam sequatur præfatus Dominicus Sor. libro octauo de Iustitia, quæstione prima, articulo primo. 401. Henricus quodlibeto sexto, quæstione vigesima. Barth. Med. capite decimoquarto, §. vigesimo primo, libro secundo Sum. Mai. in 4. d. 15. quæst. 1. art. 7. Andr. Quodlib. 9. Med. C. de restit. c. de vsur. restituenda. §. iam ad rationes. Oportet, pro eorum sententia, sic argumentari. Primùm, quia vt supra tangebamus ex sententia D. Thom. simonia iniustitiam continet, cum Prælati non sint domini beneficiorum Ecclesiasticorum. Igitur iure naturali & diuino, contractus est nullus, at per consequens restitutio erit facienda. Hac ratione conuictus Couar. in reg. peccatum. 2. part. §. 8. nu. 8. fatetur, putatque esse sententiam Diui

Thomæ, q̄ iure naturali & diuino, est cōtractus nullus, quāuis fateatur esse cōmunem Doctorū sententiā, q̄ nullitas collationis non est ex natura cōventionis simoniacæ, neq; ex diuino iure, sed ex pœna tantū Ecclesiastica. Vnde neque ipse Couar. à cōmuni, ac nostra sententia discedit. Id tantū docet hāc sententiā refragari verbis D. Thom. in d. art. 6. in quo certè non placet. Quare respondeamus ad argumentū, ac D. Thom. 402
 403
 404
 405
 406
 407
 408
 409
 410
 411
 412
 413
 414
 415
 416
 417
 418
 419
 420
 421
 422
 423
 424
 425
 426
 427
 428
 429
 430
 431
 432
 433
 434
 435
 436
 437
 438
 439
 440
 441
 442
 443
 444
 445
 446
 447
 448
 449
 450
 451
 452
 453
 454
 455
 456
 457
 458
 459
 460
 461
 462
 463
 464
 465
 466
 467
 468
 469
 470
 471
 472
 473
 474
 475
 476
 477
 478
 479
 480
 481
 482
 483
 484
 485
 486
 487
 488
 489
 490
 491
 492
 493
 494
 495
 496
 497
 498
 499
 500
 501
 502
 503
 504
 505
 506
 507
 508
 509
 510
 511
 512
 513
 514
 515
 516
 517
 518
 519
 520
 521
 522
 523
 524
 525
 526
 527
 528
 529
 530
 531
 532
 533
 534
 535
 536
 537
 538
 539
 540
 541
 542
 543
 544
 545
 546
 547
 548
 549
 550
 551
 552
 553
 554
 555
 556
 557
 558
 559
 560
 561
 562
 563
 564
 565
 566
 567
 568
 569
 570
 571
 572
 573
 574
 575
 576
 577
 578
 579
 580
 581
 582
 583
 584
 585
 586
 587
 588
 589
 590
 591
 592
 593
 594
 595
 596
 597
 598
 599
 600
 601
 602
 603
 604
 605
 606
 607
 608
 609
 610
 611
 612
 613
 614
 615
 616
 617
 618
 619
 620
 621
 622
 623
 624
 625
 626
 627
 628
 629
 630
 631
 632
 633
 634
 635
 636
 637
 638
 639
 640
 641
 642
 643
 644
 645
 646
 647
 648
 649
 650
 651
 652
 653
 654
 655
 656
 657
 658
 659
 660
 661
 662
 663
 664
 665
 666
 667
 668
 669
 670
 671
 672
 673
 674
 675
 676
 677
 678
 679
 680
 681
 682
 683
 684
 685
 686
 687
 688
 689
 690
 691
 692
 693
 694
 695
 696
 697
 698
 699
 700
 701
 702
 703
 704
 705
 706
 707
 708
 709
 710
 711
 712
 713
 714
 715
 716
 717
 718
 719
 720
 721
 722
 723
 724
 725
 726
 727
 728
 729
 730
 731
 732
 733
 734
 735
 736
 737
 738
 739
 740
 741
 742
 743
 744
 745
 746
 747
 748
 749
 750
 751
 752
 753
 754
 755
 756
 757
 758
 759
 760
 761
 762
 763
 764
 765
 766
 767
 768
 769
 770
 771
 772
 773
 774
 775
 776
 777
 778
 779
 780
 781
 782
 783
 784
 785
 786
 787
 788
 789
 790
 791
 792
 793
 794
 795
 796
 797
 798
 799
 800
 801
 802
 803
 804
 805
 806
 807
 808
 809
 810
 811
 812
 813
 814
 815
 816
 817
 818
 819
 820
 821
 822
 823
 824
 825
 826
 827
 828
 829
 830
 831
 832
 833
 834
 835
 836
 837
 838
 839
 840
 841
 842
 843
 844
 845
 846
 847
 848
 849
 850
 851
 852
 853
 854
 855
 856
 857
 858
 859
 860
 861
 862
 863
 864
 865
 866
 867
 868
 869
 870
 871
 872
 873
 874
 875
 876
 877
 878
 879
 880
 881
 882
 883
 884
 885
 886
 887
 888
 889
 890
 891
 892
 893
 894
 895
 896
 897
 898
 899
 900
 901
 902
 903
 904
 905
 906
 907
 908
 909
 910
 911
 912
 913
 914
 915
 916
 917
 918
 919
 920
 921
 922
 923
 924
 925
 926
 927
 928
 929
 930
 931
 932
 933
 934
 935
 936
 937
 938
 939
 940
 941
 942
 943
 944
 945
 946
 947
 948
 949
 950
 951
 952
 953
 954
 955
 956
 957
 958
 959
 960
 961
 962
 963
 964
 965
 966
 967
 968
 969
 970
 971
 972
 973
 974
 975
 976
 977
 978
 979
 980
 981
 982
 983
 984
 985
 986
 987
 988
 989
 990
 991
 992
 993
 994
 995
 996
 997
 998
 999
 1000

Secundo obijcies, q̄ sequitur, q̄ acceptū per simoniā cōuentio-
 nalē, imò etiā realē, non est restituendū, quādo simonia est in sacramētis,
 siquidē solū acceptū per simoniā in beneficiis iure statuitur restituendū,
 at nemo dixerit, non esse restituendum acceptū pro mala sacramento-
 rum administratione. Signum ergo est restitutionē esse de iure natura-
 li. Resp. quidam quid mirum si non necessariò sit restituendum? neque
 id vlla

id vlla ratione probant. Ego verò restituendum existimo, quoniā iure
 positio retineri non potest. Vt enim patet ex c. fi. de pactis, *omnis pa-*
ctio, omnisque conuentio in spiritualibus cessare debet, & nullius est momenti.
 Si igitur annullatur pactum, atque conuentio, manifestum est, retineri
 non posse, & ita omnino restituendum.

TERTIO obijcies, quia in simonia venditur, quod nullum habet
 pretium, igitur venditio iure naturali est nulla, & iniusta, ac per con-
 sequens obligat ad restitutionē. Respond. primū, quod res spiritualis
 non dicitur carere pretio, quia sit infra omne pretium, sed potius, quia
 excedit omne pretium. Vnde danti pecuniam, non fit iniuria vlla, vt
 possit conqueri de re sibi data pro pretio, quasi non habeat pretium: sed
 potius ei beneficium impenditur, & multò plus ei datur, quàm pecunia
 valeat. Cùm autem res caret pretio propter sui vtilitatem, tum iniusti-
 tia esset pro pretio vendere: vt peccatum quod nec delectationem,
 nec vtilitatem haberet vllam, vel quid simile, quod vendibile non est,
 quia est infra omne pretium. Quid? quod titulo donationis ob cau- 406
 sam retinetur, sicut in dicto exemplo de peccato: nam reuera, etiam si
 nullius pretij & vtilitatis, vel delectationis esset, potest datum volunta-
 riè ob eam causam licitè retineri: maximè quia in iis non fit iniuria vl-
 la proximo, sed Deo, ad quem non est iniustitia specialis virtus, quæ ad
 restitutionem obliget: sed si à Diuo Thoma dicitur iustitia (vt scilicet
 dicebam) est reuera religio essentialiter, quæ pars iustitiæ dicitur po-
 tentialis. Quomodo enim idem actus in duabus speciebus esse possit?
 Est igitur simonia essentialiter irreligiositas, vt planè concludit Diuus
 Thomas, art. illo 1. in fine, ac proinde, quæcunque iniuria fiat vel à
 Prælato, seu alio vendente beneficium, seu ab emente, non iniustitia,
 quæ ad Deum non est, sed sacrilegium est essentialiter, sicut omnis ini- 407
 iuria facta proximo, iniustitia est. Hinc igitur est, quod nulla simonia
 iure naturali aut diuino, iniustitia est, ac proinde, nec ad restitutionem
 obligans. Quod si alicubi legamus apud Patres, vt haberi videtur 1. q. 1.
 per totam, quod simoniacus est in statu damnationis, nisi abrenuntiet
 sic acquisitum, de simonia ex pacto intelligere decet.

Ex iis colligit quædam Nauar. loco citato. Primū, quod hæc vera
 sunt, etiam in simoniacè quæ sitis, contractus naturale & diuinum, &
 non solū in acquisitis contractus humanum, vt prædictum caput pla-
 nè decernit, & ex dictis satis constat, sed hoc planū est: cùm enim
 iure naturali prohibita non sit beneficiorum permutatio, vel vnum spi-
 rituale pro alio dare, solūque iure humano pactum in his sit prohibi-
 tum; sequitur apertè, quod mentalis simonia in iis non obligat ad resi-
 gnationem acquisitorum, dummodò auctoritate superioris permuta-
 tio, seu renunciatio fiat. Secundò colligo, esse etiam vera in fo- 408
 ro animæ, vt ex dictis, & ex dicto capite finali, constat, licet contra
 sentiat Bartholomæus Medi. folio illo 140. Tertio infero, esse etiam
 vera, quando non modò altera pars, verum vtraque mentali simo-
 nia recipit, vt in dicto capite dicitur, quando dicit vtrinque acqui-
 situm, &c. Vnde Innocentius quartus ponit exemplum in duobus,
 quorum

quorum alter seruit pro beneficio, alter confert pro seruitio. Quare colligo, quod licet Papa dispensare non possit in simonia intrinsecè mala, cum scilicet spirituale datur pro temporali, ita vt licitè fiat: nam reuera, si cum eodem Papa fieret conuentio, ipse etiam Papa mortaliter peccaret, tamen potest dispensare in retentione, & restitutione, ita vt collatio valeat, & resignatio seu restitutio (etiam pacto & traditione sequuta) non sint facienda. Et hinc certè non leue (iudicio meo) argumentum pro nostra sumitur opinione: nam si simoniacus contractus iure naturali & diuino est nullus, apertè sequeretur, quod collatio beneficij à Papa simoniacè facta, esset nulla, neque ipse validam efficere posset, quod dici non posse videtur. Neque etiam inter alios contractus factos posset dispensare, ac confirmare, vt non fiat resignatio: imò quod maius est, si verum est Soti fundamentum, neque etiam in permutatione duorum beneficiorum dispensare posset, vt contraheutes sine licentia Papæ retineant, vel si ipse Papa daret beneficium pingue, ea lege, vt alter renuntiet minùs pingue, non esset validum, siquidem fundamentum istorum est, esse prohibitum iure diuino, apud Matth. 10. *Quod gratis accepistis, gratis date*, vt Sotus arguit. Constat enim ex sententia Diui Thomæ, quod ibi est prohibitus omnis contractus non gratuitus: cum ergo sit contra ius diuinum, non posset auctoritate Papæ fieri. Igitur certum esse debet, omnis simoniæ restitutio-
nem esse de iure humano, mentalem verò adhuc non esse prohibitam humano iure, vel pœna restituendi, vel in capacitate retinendi: non intelligat autem lector, nos asserere prædictam Christi sententiam esse præceptum, ne ex pacto, spirituale pro spirituali detur, licet D. Thomas id valdè significet.

D V O D E C I M A difficultas sit, vtrum accepta per simoniam conuentionalem, sint restituenda: ita vt nequeant, sine præiudicio animæ retineri, absq; dispensatione Rom. Pont. Et quidem dupliciter potest contingere cõuentionalis simonia. Primùm, sine voluntate interiori emendi, sed tantùm pacto exteriori adiecto. Secundò, ita, vt voluntate emendi exterior cõuentio informetur. Circa primum sunt nonnulli: qui non censeant eam esse simoniam, ac proinde secundùm istos, nulla erit restituendi obligatio, nec ob eam iuris pœnæ contra simoniacos latæ incurrentur. Huius sententiæ ratio est, quia simonia est, *studiosa voluntas*, &c. vt supra diximus: vbi igitur voluntas non est: verè simonia esse non potest, sed apparatus, & diminuta, sicut homo pictus. Ita sensit Caiet. in tract. de simonia, q. 2. tom. 3. opusc. & sequitur Sotus, art. illo 1. versic. *dubium hinc autem*, qui expressè fatetur antequam condemnerur, non teneri ad resignandum beneficium in conscientia: benè tamen fatentur ij Doct. peccare mortaliter multiplici nomine. Primùm, quia participat peccato simoniæ mentalis alterius, scilicet vendentis, ad quod dat operam efficaciter. Secundò, quia scandalizat malo exemplo proximum. Tertio, quia mentitur, & se infamat, quod idem Caiet. mortale peccatum esse censet, vt infra c. 4. dicemus.

V E R V M T A M E N Nauar. in Sum. c. 23. nu. 106. contrà existimat esse

esse peccatum veræ simoniæ & obligare ad restitutionem adquisitorum si ad traditionem ventum sit vt dub. sequenti dicemus. Probat Nauar. quia ad veram rationem simoniæ non est necessaria voluntas emendi, sed satis est voluntas dandi spirituale pro temporali, vel cõtrà, quod in hoc casu fit, cum vnus velit dare spirituale, & alius promittere temporale pro illo per publicum instrumentum.

V E R V M ego sententiæ Caiet. magis acquiesco. Nauar. enim nõ expendit veram rationem emptionis & venditionis. Constituit enim diuersitatem inter dare spirituale pro temporali, & venditionem, cum tamen sint idem prorsus, vt enim infra cap. 5. ostendemus, omnium sententia venditio est traditio rei pro pecunia, emptio econtrà, traditio, seu saltem obligatio tradendi pecuniam pro re, sicut cambium est commutatio rei pro re. Impossibile igitur est habere voluntatem dandi spirituale pro temporali, & non habere voluntatem vendendi, & econtrà. Cum enim hic sit voluntas dandi spirituale pro temporali, quæ rogo contractus species erit? Sicut igitur fieri non potest, vt quis habeat voluntatem dandi pecuniam pro tritico, & non habeat voluntatem emendi: ita &c. ad rationem ergo Nauar. facilis est solutio. Negari enim debet, quod ille talis habeat voluntatem dandi spirituale, pro temporali, vel econtrà, imò longè secus. Nam solo verbo & instrumento id proficitur: animo tamen non intendit pro spirituali pecuniam illam dare, aut econtrà, quod est non habere animum vendendi, aut emendi spirituale. Fateor equidem ab Ecclesia puniendum, quæ iuxta verba censeret, ita in animo habere voluntatem dandi rem spiritualement pro temporali, vel certè etiam si constaret de animo à simonia alieno, ob iniuriam apparentem, & alia quæ ibi miscerentur crimina meritò puniret.

P O S T R E M A difficultas sit de simonia conuentionali in secundo sensu, quando scilicet animus adest dandi spirituale pro temporali. In quo omnes fatentur vnanimiter sic adquisita esse obnoxia restitutioni, nec villo modo sine animæ periculo retineri posse non distinguo modo, an sit facta traditio vel alterius, vel vtriusque rei. Id enim sub dubio Doctoribus est, vt statim explicabimus. Modò absolutè loquimur de simonia exteriori, prout pactioalem, & realem omnino comprehendit, vt iura loquuntur. Sic sanè docuit D. Thom. ar. illo 6. Caiet. opusc. citato & in sum. & d. art. 6. Sotus ar. illo 1. Couar. reg. peccatum, §. 8. nume. 8. Nauar. & cæteri omnes citati. Id autem conatur probare D. Thom. ex natura rei: quia scilicet id quod contra domini voluntatem acquiritur retineri non potest, adquisita autem per simoniam acquiritur contra voluntatem domini Ecclesiarum, qui est Christus. Prælati enim sunt dispensatores. Cum ergo Christus dicat, *quod gratis accepistis gratis date*, sequitur, &c. sed vt supra dicebam, id non est de iure naturali vel diuino probandum, sed merè ex dispositione Ecclesiæ. Ratio autem D. Thom. congruentia quædam est supposita Ecclesiæ ordinatione, qua ostendit D. Tho. maximè diuino & naturali iuri congruere, vt sic adquisita relinquuntur. Aliàs, vt supra arguebam, nec auctoritate Papæ posset dari beneficium cum pacto permutationis alterius.

Est enim contra illud, *gratis date*. Nomine enim gratiosæ dationis non intelligitur contractus permutationis, nec vllum pactum teste eodem D. Tho. in d. ar. Maximè, quia illa ratio nihil de pecuniæ restitutione probat, cuius dans est verè dominus, & ita prælatus non contra domini voluntatem retinet.

416 P R A E C I P V A ergo ratio est, quia iure humano sanctissimè, & consuetissimè talis contractus, & pactum est annullatum, & ita contrahentes facti sunt incapaces adquirentium. Quo fit, vt ad abrenuntiationem vtrinque adquirentium in animæ iudicio teneantur. Ita sanè decernitur in c. finali. de Pactis, vbi sic ait Greg. 9. *Pactiones facta à vobis audiuimus super quibusdam spiritualibus obtinendis, cum in huiusmodi omnis pactione omnisque conuentio cessare debet, nullius penitus est momenti.* Vbi præcipuè est notandum non solum pactum rei spiritualis pecunia, quæ est simonia intrinsecè mala, sed etiam permutationem beneficiorum, & omnem contractum non gratuitum penitus annullari. Et in c. Præterea, de Tráfact. Lucius 3. Pont. Rom. sic ait. *Cum igitur ipsa pactione simoniaca merito videatur, respondemus, quod de iure non tenet, &c.* Et in c. cum vniuersorum, de Rerum permutatione ait Inno. 3. *Ipsi per se de iure non possunt Ecclesiastica beneficia permutare, &c.* In aliis etiam permultis iuribus prohibetur 417 omnis conuentio, & pactum in spiritualibus, licet nõ clarè dicat annullari vt patet ex c. Quam pio. 1. q. 2. & c. Vt nostrum, vt Ecclesia benef. & c. Tua nos, & c. Tanta, & c. De hoc autem & c. Insinuatum, & c. Cum esset, & c. Sicut simoniaca, de Simonia, & c. Cum pridem, de pactis & c. Cum olim, & c. Quæsitum, de rerum permutatione, & c. Maioribus, de Præb. & dig. & in c. De regularibus, de Simonia.

Ex quo colligitur, & docet D. Tho. in d. ar. 6. ad 3. & 4. & cæteri ex eo, quod non solum beneficium sed etiam fructus percepti, imò etiam ij, qui percipi potuerunt à diligenti possessore, sunt restituendi, quod verissimum est. Cum enim beneficij collatio ipso iure sit nulla, consequens est, & quod beneficij est possessor iniustus, & quod fructus non facit suos, & consequenter ego dicerem quod si res temporalis, quam accepit pro beneficio, est fructifera, tenetur etiam fructus perceptos restituere. Quod verò D. Tho. ait teneri ad restitutionem eorum fructuum, qui percipi potuissent, sanè est intelligendum. Nam vt latè infrà dicemus c. 6. 418 non tenetur quis fructus ex re aliena restituere, quos de facto dominus non percepisset, etiam si percipi potuissent, facta diligentia. Hos igitur fructus, quos reuera esset percepturus ex beneficio alius possessor diligens, vel certè negligens eo tempore. (eos inquam solos) tenebitur iudicio meo restituere. Nam si v. g. decem percipi potuerunt, tamen alius possessor iustus tantum esset percepturus, siue casu, siue sua negligentia. In illis igitur iste damnificauit. Verum est, quod si fructus extent, etiam si non tot alius esset percepturus, tenebitur omnes restituere deductis expensis, vt D. Tho. docet in d. solutione 3. Quia semper sunt ex re aliena, & non sui. Sed de hoc infrà latius, arque ita in specie docuit Couar. reg. peccatorum secunda parte §. 8. numero septimo, citans ad 419 d. c. dudum, cl. 1. de Elect. vbi nec in 2. cap. eiusdem titulo quicquam ad rem

ad rem inuenio, citat etiam Dynum in regul. 1. de Regul. iur. in 6. Inno. in capit. cum nostris, de Conces. præb. Felin. in capit. 2. de Rescript. col. 3. Lamb. de iure patro. lib. 2. part. 1. quæst. 9. artic. 4. Milis in repen. verb. irregularis. Paul. Paris. consil. 136. numero 40. libr. 4. Rebuffum in tractat. pacif. posse nume. 226. Sed Tandem in extrauagan. 2. de Simonia hæc veritas in expresso declarata est, his verbis: *per electiones verò, postulationes, prouisiones, confirmationes, seu quasuis alias dispositiones, quas simoniaca contigerit labefieri, & quæ viribus omnino careant in Ecclesiis, monasteriis, dignitatibus, personatibus, officiis Ecclesiasticis, & quibusvis beneficiis, aut aliquo eorum, cuiquam ius nullatenus adquiratur, nec inde faciat aliquis fructus suos, sed ad illorum omnium, quæ percepti restitutionem, sub anima periculo sit adstrictus.* Hæc Paulus Venetus Papa secundus. Quam pœnam sicut, & excommunicationem quam ibidem statim adiungit ipso facto incurrere declarat tam manifestum, quam occultum simoniacum.

P R A E C I P V A tamen difficultas circa hanc rem est. An prædicta 420 iura priuanti ipso facto acquisitis per simoniam, & excommunicationem seu alias pœnas apponenda sint accipienda de simonia conuentionali tantum, an etiam requiratur simonia realis, id est, quod ventum sit ad traditionem. Et quidem omnes quos ego legerim Doct. præcipuè Theologi, sentire videntur simoniacorum pœnas (saltem duas, quæ præcipuè sunt de quibus nos solum in præsentia agimus,) non incurri, scilicet de beneficiorum priuatione, & fructuum restitutione & de excommunicatione ipso facto, de quibus loquitur prædicta Extrauagans Pauli 2. cuius meminisse video Gasa. Gomez. & Naua. locis citatis. Fel. in c. de cætero col. vltim. de Re iudicata, & in c. in nostra col. 2. de Rescript. Rochus de iure patronatus verb. Et vtile. q. 3. Bernar. in Practica crimi. cap. 85. D. Anton. 3. part. tit. 24. cap. 65. Sylu. ex eo. 7. casu 42. & 421 simonia. quæstione 19. Couar. numero illo 7. Et Pius V. in Extrauag. quæ incipit: *Cum primum & vt simoniaca prauitatis*, per quam inuiolabiliter hæc constitutio obseruari mandatur. Vbi obiter adnotò, eam constitutionem antea fuisse traditam à Martino 5. in Concil. Constan. non quidem quoad excommunicationem latam in non reuelantes simoniacos vt Couar. placet, sed solum quoad priuationem beneficij, fructusque restitutionem & etiam quoad excommunicationem Papalem contra ipsos simoniacos. At tamen Syl. & Ant. etiã quoad eam partem docent editam esse à Concil. prædicto: & vt non reuelantes incurrant excommunicationem Papalem, quamuis disuetudine, quadam abolitam esse affirmet, ijdem Syluest. & Ant. c. 66. tit. illo 14. Sed profecto quod 422 hi Doct. etiam Couar. docent non modò in d. Concil. nulla inuenitur excōmunicatio contra non reuelantes sed nec in dicta Extrauag. si benè legatur talis est excommunicatio Papalis. Solum enim ibi Paulus secundus, vt patet ex editione Gregoriana iniungit in virtute sanctæ obedientiæ vt quantò citius poterint, reuelent, quod si non faciant absolui nõ valeat donec reuelent. Meritoq;, quia sunt in peccato mortali at nec excōmunicatōne, nec absolutōne etiã peccati ad Sedē Apost. reseruat.

Secundò omnes conueniunt in hoc, quòd si traditio facta est tam rei spiritualis, quàm pecuniæ, prædictæ pœnæ incurruntur. Neque hoc eger probatione alia, quàm lectione prædictorum iurium, in quem ego sensum facilius venio, quàm in primum. Non enim satis possum intelligere, quid tot Doctores in eam mentem impulerit, vt existiment ante traditionem rei, saltè spiritualis, vel vt aliis placet vtriusque, non incurrantur prædictæ pœnæ. Constat enim omnia iura prædicta ob pactum, & conuentionem, (in quo ratio simoniæ exterioris completur) prædictas pœnas imponere, nihil aliud prorsus exigendo, atque ita videri posset alicui de iure potius incurrere ante omnem traditionem post conclusum pactum inter partes, quod ea ratione probatur. Quia, vt ex dictis iuribus constat, præcipuè ex illa Extrauagante constitutione Pauli 2. dictæ pœnæ imponuntur simoniacis, at negari non potest, quin verè & propriè sit simoniacus, qui concludit cõtractum dandi spirituale pro temporali. Ei enim planè conuenit simoniæ definitio, cum sit, *emptio, & venditio exterior rei spiritualis*. Perspicuum est sanè, vt infra cap. 5. ostendimus esse veram emptionem & venditionem, quando deliberatè factus est contractus, & obligatio ex vtraque parte, quamuis res nondum sit tradita: igitur, vt in temporalibus est vera, emptio & venditio, quando vtrò citòque est facta obligatio, maximèque si res tradatur, vt in creditis, vel si pecunia tradatur, vt in anticipatis, ita licet credatur solutio pecuniæ, vel beneficij, imò vtriusque, vera est emptio, & venditio rei spiritualis, atque ita voluntariè dici, requisitam esse traditionem vel rei, vel vtriusque, vt Nauarr. & Couar. docent. Aliàs ex Nauarr. sententia sequeretur, quod non incurreret pœnas, qui daret v. g. canonicatum pro mille aureis soluendis ex fructibus eiusdem beneficij. Item esset situm in potestate simoniaci differre solutionem pecuniæ, & ita differre excommunicationem & beneficij priuationem, imò nunquam incurrerendi si nunquam soluere velit. Ex quo sequitur absurdum. Nam vel teneretur soluere pretium, & tum sequitur, quòd ex peccato suo non soluendi, commodum reportaret, vel non teneretur, & tum pro libito posset incurrere censuras & pœnas, quæ dicenda non videntur. Adde c. sicut 1. quæst. 6. vbi Grego. damnans dare pecuniam pro spiritualibus, subdit, *si quis verò pecuniam promiserit, vel soluerit pro electo ignorante, non nocet ignoranti*. Sentit ergo quòd si eo sciante sit soluta, vel promissa, incurritur pœna. Ad eòque Caiet. qui contrariè sententiæ est, ista veluti considerans, ait in dict. quodlib. *si intentio, inquit, cum pactione absque executione est secuta, quibusdam videtur esse simonia ab Ecclesia punita, & satis rationabiliter, quia vbi est intentio cum pactione, ibi est vera venditio, & vera emptio spiritualium, vnde nulla apparet ratio, cur pœnas iuris pactione facta statim simoniaci incurrere non debeant. Simonia enim in contractu emptionis & venditionis consistit. Executio verò nihil aliud est, quàm ponere in possessione rei iam emptæ seu pretij promissi. Vnde nulla ratione cogente, sed sola antiquitate virorum creditur requiri, tertium, scilicet executionem*. Et hanc sententiam tenuit gloss. vt probabilem in c. tua nos de simonia, & refert pro ea Tanc. Et Sor. in d. q. 8. lib. 9. de Iust. ar. 1. vers. *His denique idem tenet*.
Quam

Quam assertionem indubitanter censet esse B. Thom. & probat rationibus suprâ à me factis, quia, inquit: *Qui creditò vendit, verè vendit*, neque (inquit) venditio potest dependere ex futuro contingenti, siue executioni mandetur, siue non, venditio est, & simoniaca. Quamuis hæc igitur de rigore iuris ita videantur, tamen omnium sententia cæterorum est, quòd non sufficit sola mentalis, nec conuentionalis simonia, sed requiritur realis, saltem ex vna parte, vt Ecclesiastica pœnæ incurrantur, & ita obseruat cõmunis praxis, & stylus in curia, vt testatur Nauarr. consuetudine sic iura interpretante, atque ita tenendum est. An autem vtriusque rei traditio requiratur, an sufficiat rei spiritualis dationem subsequi, magna Doctorum controuersia est. Caiet. locis citatis, in d. scilicet *Quodlib. & 2. 2. q. 100. art. 6. & in Sum. verb. simonia. Sor. 9. de Iust. q. 8. art. 1. docent, & requisitam, & sufficientem esse rei spiritualis traditionem*. Ratio Caiet. est, quia res spiritualis in hoc contractu tenet principalem locum, & est radix totius repugnantia ad venalitatem, & ita penes illius executionem attendi debet executio simoniaca. Secundò probat ex cap. *Si quis, de Simonia*, vbi quis iudicatur simoniacus conferens ordinationes ex pacto rei futurae.

VERVM Nauarr. vtrumque putat esse necessarium executioni mandari, vt simonia ab Ecclesia punita, ac proinde, vt excommunicatio & beneficiorum priuatio incurratur. Ita docuit cap. 23. num. 103. Armill. simonia, §. 4. Couar. reg. peccatum. 2. p. §. 8. num. 7. vers. *Sic qui, & Sorus* quidquid dicat Nauarr. ita sentit 9. de Iust. quæst. 8. art. 1. in corp. vers. *his denique prælibatis*. Idem tenuit Cassa. decis. 5. Gom. in reg. de trien. cap. 12. Probat autem Nauarr. quia ita seruatur in Rom. curia. Quæ etiam opinio probari potest ex d. Extrauag. vbi illæ pœnæ videntur apponi contra dantes vel recipientes, & ita supponit, præcedere debere traditionem. Quæ autem ex iis opinionibus verior sit, non est difficile iudicare ex prædictis à me suprâ inductis. Si enim de iure loquamur, longè verior est Caietani Sorique sententia, vt suprâ obijciebam, & fortasse neruosa: si verò de consuetudine loquamur, verior est sententia Nauarri, & aliorum, cum eam dicant in praxi obseruari, ita vt, licet veniat priuandus beneficio, & excommunicandus, tamen non ipso facto priuatus est, nisi quando vtraque ex parte traditio rei spiritualis & pecuniæ facta est, vt prædicti Doctores docent, & curiæ Stylus habere traditur. Ex iis ergo colligere quædam oportet. Primum, quòd si contractus ipse simoniacus fuerit, & quidem alia ratione ignoranter factus, putà, quia qui retinet beneficium per simoniam ab alio, ipso ignorante commissam, tenetur fructus restituere, quamprimùm sciuerit simoniacam fuisse collationem, beneficiumque restituere, & dimittere in foro conscientia, vt docuit Diuus Thomas prædicto artic. 6. ad quartum, & Couar. num. 7. Et probari videtur ex cap. penultimo cap. A nobis. cap. Ex insinuatione de Elect. & præcipuè ex cap. De simoniacè, de simonia, vbi Lucius 3. sic ait: *Quidam licet secundum quandam speciem simonia, utpotè ipsis ignorantibus ordinati sunt, possunt, quia simoniaci non sunt, in suis ordinibus remanere*: quod dispensatiuè factum docet gloss.

in dict. cap. De iure enim tenetur dimittere dignitatem, & beneficium, cum sciuerit, ut habetur in cap. de Regul. eodem titulo, ait enim Clemens tertius: *Si autem ipsis ignorantibus pecunia data fuerit, cogas eos ad renuntiandum loco eidem, & postmodum in ipsum reducere, &c.* ut habetur in iuribus citatis, & prima quaestione, primo capite Praesentium. Vnde sentit Couar. validam fuisse electionem, licet sit rescindenda ratione iniqui contractus. Quae sententia in foro exteriori videtur accipienda.

430 Alias maximè refragatur sententia Diui Thomae, in solutione ad tertium, cum dicat restituendos esse fructus extantes: si autem valida esset collatio, suos fecisset, & restituendi non essent.

431 Si autem ignorantia esset ipsius contrahentis, quia dedit ipse pecuniam pro beneficio, non putans se malè agere, ab excommunicatione certè liberarem, etiam si sciret esse iniquum, sed nesciebat excommunicationem esse latam, & annexam tali actui, ut suo loco probaui, si inquam excommunicationem inuincibiliter ignoraret: collationem verò non putarem esse validam, etiam in foro exteriori. Vnde de consumptis teneri videtur, cum non videatur esse ex bona fide, sicut si quis rem proximi, eo inuito, furaretur, vel per usuram haberet, putans crassa ignorantia licitè retinere.

SECVNDO colligo, quòd etiam si occultissimè facta sit simonica electio, non tenet, & iam excommunicationem, quam peccatum, seu incapacitatem beneficiorum, incurrit talis simoniacus, ut adnotauit Couar. in fine, dicto numero, & est aperta decisio Concil. Const. & d. Extrauag. 2. licet plures, ut Gom. tractat in illa quaestione duodecima, contra senserint ante dictas constitutiones.

432 TERTIO colligo, quòd priuatio beneficiorum, licet quandoque habeat rationem poenae, utpote cum scienter est facta, vel ignoranter crassa ignorantia, ut in prima illatione dicebam, tamen ex se non est poena, sed incapacitas quaedam ad beneficium. Alias non posset stare illa Diui Thomae sententia, in solutione tertia, quòd tenetur beneficium, & fructus extantes restituere, ignoranter ordinatus, vel electus, quando ab alio peccatum est commissum: non enim ob peccatum alterius, par est alium puniri. Non igitur est poena, sed quia iura voluerunt incapacem efficere omnem detentorem & possessorem beneficij simoniacè collati, licet ipse nihil peccauerit; sicut fecit ad matrimonia clandestina inhabiles, & sicut irregularitas, quae quandoque est poena, ut in occidente priuata autoritate. Non est autem poena, sed incapacitas quaedam in iudice, & ita docuit Couar. in dicto numero octauo, in principio, quamuis ipse malè sentiat, colligens id ex Diuo Thoma, quod haec incapacitas retinendi beneficium, est ex iure naturali: quia, inquit, materia vendibilis non est, & ita lege iustitiae commutativae dimittere tenetur beneficium, & fructus restituere. Vnde titulus emptio- nis (diuino, naturali que iure impediante) nequit adquiri, & ob id, Diuus Thomas ait ad tertium, quòd id quòd aliquis priuetur beneficio, non

433 est solùm poena peccati, sed effectus acquisitionis iniustae, quia emit-
rem, quae vendi non potest: hanc enim iam supra reiecimus, cum solo
humano

humano iure impediatur translatio dominij in conuentione simonica. Ad eam verò rationem Couar. quòd res non est vendibilis, aut pretio aestimabilis, iam supra respondi. Exemplum etiam à Couar. adductum de re temporali, quae nullius est pretij, vel quia venditor vendere non poterat, quae ab initio emptori no acquiritur, etiam si bona fide emerit, supra est scriptum.

434 QVARTO colligo, quid dicendum, si Papa conferat beneficium simoniacè ob pecuniam, sunt enim qui doceant, quod etiam si ex certa scientia conferat, adhuc est excommunicatus, & tenetur beneficium deserere, qui pecunia emit: nisi enim expressè dispensauerit, putant non ex hoc ceteri tacitè poenas remittere. Ita docuit Adrian. Quodlib. 9. artic. vlt. ad quartum. Panorm. in cap. 1. de Simonia. Mai. in 4. dist. 15. quæst. 3. col. penult. in quam sententiam dubius Caiet. inclinat quæst. illa 100. artic. vlt. Sed meliùs docent Syluest. verb. simonia, quæst. 4. & 19. Palud. in 4. dist. 25. quæst. 4. Soto lib. 9. quæst. 5. artic. 2. ad finem, & quæst. 8. artic. 2. Felin. in cap. 1. de Simonia, &c. De cetero, de re iudicata, col. vlt. Turre. in cap. Latorem 1. quæst. 1. num. 4. Couar. reg. peccatū. 2. part. §. 8. nu. 9. vers. *Hinc etiā*, & ratio est, quoniā princeps sciens aliquem iure humano impeditum, dignitatem habere eam illi nihilo minus conferens: non dubium, quin visus sit eum capacem dignitatis efficere. Alias frustra vanè que ageret, & ita sensit Panormitanus in cap. Cum in cunctis, §. inferiora, col. 3. Idem Felin. in cap. Præterea, num. 9. de Testibus cogendis.

435 VLTIMO tandem colligo, an prædicta de excommunicatione & restitutione, tam beneficij, quam fructuum accipienda sint de simoniacis, contra ius positium, ita ut, si duo permutant beneficia traditione secuta, sine licentia superioris, sint excommunicati, & utroque beneficio, ipso facto, priuati, fructusque perceptos & consumptos restituere teneantur? Et sanè videri posset alicui, quòd dictæ poenae à talibus simoniacis incurrantur. Primum, quia in capite Cum olim, de rerum permutatione, prohibetur pactum inter beneficia, sub priuatione beneficiorum. Secundò, quia in dicto Extrauag. 2. fulminantur illæ poenae contra simoniacos. Constat autem in iure esse verè simoniacos, qui sine licentia superioris, dant vnum spirituale pro alio, ut supra latè probaui. Vnde in cap. Quæsitum, de Rerum permutatione, dicitur labem continere simonia. Si igitur in iure tales simoniaci dicuntur, sequitur sub illa constitutione Pauli 2. comprehendi, maximè, quia ibi dicitur quomodolibet dando, vel recipiendo, quasi dicat, etiam si non derur spirituale pro temporali, sed vnum spirituale pro altero, ex pacto, secuta traditione. Atque hæc quidem videtur communis sententia.

436 EGO, si audiendus sum, nunquam credidi sic agentes esse excommunicatos, aut priuatos beneficiis ipso iure: atque idem est de reseruantibus sibi pensionem, sine Papæ auctoritate. Moueor ea ratione, quia nullum est ius, quod de hoc genere simoniae loquatur, scilicet de beneficiorum permutatione, vel vnus rei spiritualis pro alia, quod habeat aliquam poenam ipso facto annexam. Nam in cap. Cum olim, de rerum

rerum permutatione, quod loquitur de permutantibus beneficia, solum habet pœnam priuationis beneficiorum ferendam tamen, excommunicationem verò nullam, cap. autem, Cum pridem, de Pactis, &c. Cum esset, &c. Sicut, &c. Terra, &c. De hoc autem, &c. Insinuat, de Simonia, omnia loquuntur de pœna ferenda. Neque in vilo eorum de excommunicatione aliquid. Imò si rectè consideres. Nec ad hanc pœnam ferendam agunt ad propositum: cum ibi sit sermo de simonia propriè & strictè, quando accipitur temporale pro spirituali. Vnde solum potest probari contraria sententia per d. Extrauag. 2. de simonia: & Concil. Const. quod in ea relatum est. At nec ex hoc probatur prædicta opinio: cum enim prædicta constitutio nihil aliud dicat, quàm quod simoniaci illas pœnas ipso facto incurrant, non debet extendi ad eos, qui permutant beneficia: est enim materia pœnarum, & earum grauium, atque adedò restringi debet vocabulum, & in propria accipi significatione: constat autem propriam significationem, & strictam verbi *simonia*, esse *emptionem, & venditionem, rei spiritualis pro temporali*, quod est iure naturali & diuino, prohibitum. Licet enim verum est, vt suprà diximus, iure vocari simoniam, dationem vnus spiritualis, pro alio non gratuito, sed ex pacto, tamen reuera hoc est in lata significatione & extensa vocabuli, non in propria & stricta, in qua mea sententia comperio Couar. lib. 1. Varia. resol. cap. 5. num. 3. in fine, & num. 5. versic. Item, quod vidimus non displicuit, imò Nauar. clariùs loquentem, c. 23. nu. 105. in fine.

PER hæc patet, ad rationes à me pro hac ratione factas, cap. enim Olim, priuationem habet beneficiorum ferendam tamen, vt patet legenti. Ad secundum etiam solutio patet: licet enim tales permutantes, vel pensionem referuantes, aut quouis alio modo conuentionem exsequentes in rebus spiritualibus, in iure verè simoniaci appellantur: tamen in materia pœnarum, non oportet eos intelligi, cum non strictè, sed extentione quadam vocabuli, dicti sint simoniaci. Ad illud, quod Extrauag. dicit: *Quomodolibet dando, vel recipiendo*. Respon. solum prohiberi modum, non obiectum. Non enim dixit quodcunque dando, vel recipiendo: sed quomodocunque dando, vel recipiendo: nam eo ipso, quòd datur spirituale pro temporali, quomodolibet fiat, siue pecunia, siue seruitio, siue munere à manu, vel lingua, incurruntur.

439 prædictæ pœnæ ipso facto, in beneficiis. Hic de eo, cui restituendum esset per simoniam adquisitum,

poterat commodè disputari: sed locum

tamen habet infra libro 3. cap.

2. illuc Lectorem

remittimus.

CAP.

De ladente in bonis corporis.

CAP. III.



BONA corporalia & temporalia non sunt eadem, vt ad nostrum attinent institutum. Temporale enim bonum latius patet, & est omne illud, quòd spirituale non est (vt gratia, virtutes, doctrina, intellectus, ordo, cætera sacramenta & spiritualibus annexa, vt beneficia, &c. De quibus omnibus cap. superiore satis admodum locuti sumus.) Huiusmodi autem sunt vita, fama, res familiaris, &c. Corporale verò bonum est velut species quædam, vt sunt ea quæ intrinsecus sunt in homine vt vita, sanitas, &c. Cum igitur inter temporalia bona præcipua sunt bona corporis, vt vita cui opponitur mors: salus cui opponitur morbus: integritas cui opponitur mutilatio, vulnus, corruptio. Propterea ordine procedentes post bonorum animæ restitutionem agendum est de restitutione corporalium bonorum.

*PARS PRIMA DE LAEDENTE
in vita propria, id est de homicida sui.*

DVPLICITER potest quis esse homicida vel sui vel alterius, alterius autem, vel autoritate publica, vel priuata. Item aliquando innocentis, aliquando malefactoris. Rursus ex intentione, vel casu, &c. Inuestigandum, ergo primum est in his omnibus, quis iustè, quis iniustè agat, vt restitutionis obligatio planior sit. Homicidium, vt ipsum nomen sonat nihil aliud est, quàm hominis occisio: sicut parricidium, vel fratricidium patris, vel fratris occisio. Et sanè si largè sumatur, vt Doctoribus placet, est quædam hominis occisio siue iusta, siue iniusta, propriè verò est hominis iniusta occisio, & ita communiter est peccatum. Vnde iudices iustè occidentes non propriè dicuntur homicidæ. Atque ita August. 1. lib. de Ciuit. Dei cap. 20. *Qui sine publica administratione maleficum occiderit velut homicida iudicabitur*. Vnde 3 Cicer. 2. Philip. *homicidij rei sunt, an vindices libertatis?* Quare in præcepto quinto decalogi, prohibetur absolutè homicidium cum dicitur, *non occides*, quasi homicidium secundum se sumptum, sit peccatum, cum constet illud esse prohibitum à Deo, quia malum, & ita docet Sotus artic. 2. in fine, & est communis Theologorum consensus. Nomen autem homicidij pro licita, & laudabili necatione reperitur acceptum, sed rarè. Horatius siquidem Hectorem homicidam cum laude dixit.

PRIMA igitur difficultas sit de intelligentia illius præcepti. *Non occides*, & an tantum sit Dei vel iuris naturalis prohibitio. Primò est 4 reiicienda hæresis Vvaldensium, quam Guido recenset, & Castro lib.

11. de Hæresibus, verb. *occidere*, qua docent nullum hominem posse occidi iustè, etiam publica autoritate. Quem errorè postea tenuit Nicolaus Galeus ex Bohemia oriündus, qui fuit ex legatis Bohemia missis ad Conc. Basil. Hic tamen error apertè est contra rationem & scripturam. Cõtra rationem quidem, quia eo admissio omnem reipub. pacem, quietem & humanũ conuictum tollere necesse est, vt ex se patet. Item bella dammare oporteret, quæ tamen licita & necessaria in repub. esse, ratio aperta ostendit, & Dei autoritate esse facta sæpissimè legimus. Vnde David magnorũ bellorum gestor fuit. Item Apost. Petrus morte puniuit Ananiam, & Saphiram, vt legimus Actorum 5. ob fraudem factam. Sed obijciunt hæretici illud Dei præceptum, *non occides* cuius intelligentia iam à nobis explicari debet. Vnde Hiero. super c. 22. Hie-
 5 remiæ, ait *homicidas, & sacrilegos & venerarios punire, non est effusio sanguinis, sed legum ministerium*. hac igitur hæresi breuiter reiecta, Victoria in relect. de homicid. nu. 11. refert opinionem quorundam, qui ita vniuersaliter illud intelligebant, vt illo præcepto prohibeatur à Domino omnis occisio hominis siue nocentis, siue innocentis: siue publica, siue priuata autoritate: quod si magistratus aliquem occidunt, id dicunt provenire virtute exceptionis diuinæ, quæ in scriptura expressè reperitur. Vt cum dicitur, *Ne patiaris viuere maleficos*. Vnde secundum istos, quando expressa exceptio non est in scriptura, vt erat de maleficis, blasphemis, homicidis, & adultera, non licet etiam publica autoritate occidere quemcunque malefactorem. Vnde colligunt isti, quod fures non licet occidere. Imo neq; adulteram: Quoniam dicunt eam legem reuocatam esse, à Christo cum dixit, *Neque ego te condemnabo*. Ita Scot.
 6 in 4. d. 15. q. 3. litera G. Eamque Gabriel nonnullam habere probabilitatem docet. Imo videtur Aug. lib. 1. de Ciuit. Dei cap. 21. *Quasdam* (inquit) *exceptiones diuina fecit autoritas, vt liceat hominem occidi, &c.* Probat etiam Gabriel dist. 15. q. 15. dub. 2. Quia inferior non potest derogare aut dispensare in lege superioris, ergo nulla humana autoritate potest contraveniri illi legi, *Non occides*. Hæc sententia meritò impugnatur à Caiet. 2. 2. q. 64. art. 2. & Victo. relect. de homicid. num. 11. Med. q. 4. de Restit. Soto art. 2. citato. Et quamuis Soti & Victorix rationes & aliorum non tam planè conuincant: inde tamen conuinci potest, quod leges & consuetudo omnium receptissima id præcepit, vt latrones, adultera, & ob crimen læsæ maiestatis, prodicionis, incendij, &c. occidantur. Et ipsa naturalis ratio demonstrat, quam D. Thom.
 7 artic. 2. reddit. Quia pars licitè & salubriter aufertur, pro salute totius. Constat enim fures & adulteros, & similes esse perturbatores publicæ pacis, & communi bono inimicos. Quis enim nisi tantæ pœnæ metu perterritus ab his malis desisteret, imo his non obstantibus respublica scateret his criminibus. Laudabiliter ergo tales ciues ex repub. abscinduntur. Et sanè ex hac sententia sequitur non esse absoluedos iudices, imo ad restitutionem teneri, quod est satis absurdũ. Vnde Cicero lib. 3. de Offi. *Illud natura non patitur, vt aliorum spolijs nostras facultates, copias, opes augeamus: nec hoc solum natura, sed etiam legibus popu-*
 lorum.

lorum. Hoc enim volunt leges incolumen esse ciuium coniuentionem, quam, qui dirimunt eos morte, exilio, vinculis, damno coërcent. Atque hæc multò magis ipsa naturæ ratio, quæ est lex diuina, & humana, cui parere, qui velit (omnes autem parebunt, qui secundum naturam viuere volunt) nunquam committet, vt alienum appetat, & id quod alteri detraxit sibi assumat. Cogitare debebant ij authores, quòd lex illa vetus erat non iudicialis: sed moralis, sicut etiam, *non furaberis*, & quæ est naturalis iurisque diuini præceptio, & ita exceptio, aut dispensatio in illa non magis expectanda est, quàm in præcepto non furum faciendi, vel aliud malum proximo inferendi. Vnde quòd ait de reuocatione legis per illa verba, *neque ego te condemnabo*, friuolum est, & extortum. Tum, quia vel erat lex moralis, & sic non esset à Christo reuocata: si iudicialis per eius mortem illa, sicut & cæteræ de blasphemio, malefico, & huiusmodi cessarunt. Et ita neque modo liceret hos homines occidere, quod illi negant. Imo neque principibus licuisset, tum temporis occidere adulteram, cum lex illa huiusmodi pœnam imponens reuocata esset à Christo, quod dicendum non est. Adde, quòd non sunt illa verba reuocatoria, sed ostendentia Christi benignitatem, vt Sotus, & Caiet. docent. Vnde neque August. eius est sententiæ. Subdit enim statim. *Nequaquam contra hoc præceptum hoc faciunt, qui personam gerentes publica potestatis, secundum eius leges id est iustissimarum rationes imperium sceleratos morte punierunt*. Vnde quo pacto Augustinus legem Dei appellat iustissimæ rationis imperium, seu dictamen practicum rectæ rationis, quæ dictat tales esse morte puniendos. Lex ergo illa diuina *non occides*, quamuis sit de moribus, recipit interpretationem ad maiora mala vitanda, secundum iustissimæ rationis imperium, & ita non oportet bullam de cœlo querere, aut dispensationem, vt ait Scot. quem merito in hac parte eius perennis sectator Gab. de seruit. in 4. d. 15. q. 15. dub. 2. Mai. in 4. d. 27. Sot. in 5. de Iust. q. 3. art. 2. Secunda ergo sententia est Dur. in 4. d. 48. q. 1. num. 19. q. ibi est sermo de occisione innocentis, quod (inquit) ma-
 10 gis explicatum fuit Exo. 23. Sed contra est, quia priuatus occidens malefactorem peccat, imo & iudex prætermisso ordine iuris, & tamen agit contra hoc præceptum. Vnde meritò à Soto hic dicendi modus rejicitur art. illo 2. Tertia expositio, est quòd intelligitur de occidente autoritate priuata siue nocētis, siue innocētis. Ita Dur. lo. cit. & Castr. de Hære. lib. 11. vers. *occidere*. Sed contra est, quòd inuasorè licet occidere priuata autoritate, vt infra dicemus. Item si magistratus innocentem occideret, faceret contra hoc præceptum, & tamen non occidit autoritate priuata, sed publica. Quarta expositio est, quam refert Dur. nu. 18. & sequitur Vict. num. 14. q. illo præcepto prohibetur adæquatè omne homicidium q. sua natura est malum vel iniustũ. Quia hæc decalogi præcepta solũ sunt prohibitiones eius quod iure naturali est malũ, & ideo ad id est respiciendũ. Cætera verò, quæ id excedũt, vel alio modo prohibentur, iudicialia potius quàm naturalia seu moralia celsenda sunt. Atq; ita docet Caiet. in d. art. 2. Hanc sententiam rejicit 11

Dur. quia cum præcepta decalogi negatiua prohibeant ea, quæ sunt mala, secundum se, & iniusta, vt ipse Victorius fatetur, fit, vt sine extrinseca additione iniusti & mali debent esse prohibita, aliàs similis additio fieri posset in quacunq; materia, scilicet non ibis in agrum iniuste & male, & ita tot erunt præcepta decalogi, quot erunt actus qui fieri possunt male.

11. **N I H I L O M I N V S** mihi placet Caiet. & Vict. explicatio. Ad id enim quod Duran. obijcit facile est respondere. Absque additione enim illius particulæ *malè vel iniuste*, damus simplicem materiam illius præcepti esse secundum se malam atque iniustam, scilicet occidere hominem se vel alium, vno ex tribus modis, vel autoritate priuata extra defensionem, vel publica extra maleficium, vel vtroque modo extra altiore finem, ob bonum, scilicet commune reip. vel salutem spiritualement proximi. In his enim casibus, vt dicemus dub. sequenti licet se occidere negatiuè vel alium etiam positiuè. Extra hos autem non licet ipsa natura & ratione dictante. Sed quia non est aliqua communis vox, quæ comprehendat homicidium extra hos casus factum, ideo illud homicidium, quod sic prohibetur, appellamus nomine mali: non quasi in conceptu homicidij hic prohibiti non sit intrinseca, & inseparabilis malitia: ita vt indifferens homicidium ibi prohibeatur, & extrinseca additione mali contrahatur: sed quoniam ita vocibus exprimere cogimur. Sicque Victorius sententia explicata vera est. Et ita docuit Sor. artic. 2. in fin. corp. Et videtur esse D. Thom. 12. q. 100. artic. 8. dicentis homicidium, ibi prohibitum esse, quod habet rationem indebiti, id est quod iure naturæ indebitum est, vt Sor. explicat, scilicet quod est genere suo malum. Aliter explicauit Vict. dictum præceptum à num. 17. vsque ad 20. vt occidere hominem ex intentione, sit quod prohibetur in hoc præcepto priuata personæ. Et sic intellecta sententia
12. Durandi esset vera. Sed non placet, eo quod putet, quod occidere inuaforem: sed defendendo non est ex intentione occidere. Hanc enim doctrinam infrà impugnabimus. Et etiam, quia aliàs iudex contra ordinem iuris occidens non ageret contra hoc præceptum, quod falsum est. Ideo melius explicatur, vt diximus. Et sanè cum ista præcepta sint moralia, non melius quid sit præceptum, quidque prohibitum intelligi oportet, quàm quod vel natura exigit, vel cum illa repugnet. Ex his constat hoc non esse præceptum iudiciale: sed esse iuris ipsius naturalis, vt ex se patet, & Caiet. adnotauit.

13. **S E C V N D A** difficultas sit vtrū aliquo casu, vel fine liceat seipsum occidere? Fines quibus occisio sui honestari posse videtur hi sunt. Vel desiderio æternæ vitæ, vt olim frequentissimum erat, & quotidie apud Gentiles videmus, vt narrant Epistolæ Patrum Societatis Iesu, ex Iaponicorum insula, hominum vrbano bono ingenio ac indole. Et ita fecit philosophus quidam Theobrotus, Platonis lector, teste Augustino 1. de Ciuit. Dei. Secundò, ad euadendum miserias huius vitæ, ignorantiam, paupertatem, &c. vt quotidie (quod non sine magno dolore dici potest) apud Christianos nostros videmus: ita Architophel 2. Regum

Regum 17. & Saul 1. Regum vltimo, Razias 2. Machab. 14. & Cato Vtricensis audita Iulij Cæsaris victoria, vt refert August. eodem lib. 1. de Ciuit. Dei. Tertio, propter peccatum commissum, vt fecit Iudas Matt. 27. qui sanè maiorem, quàm cæteri iniuriam Deo facere videtur. Cum non solum homicidij, sed desperationis de Dei misericordia peccatum committat, quasi maior sit eorum iniquitas quàm Dei misericordia, ita vt vtriusque peccati locum pœnitentiæ sibi præcludant.

V E L quarto ob salutem spiritualem alterius, ne crimen committat, sicut iuxta Ecclesiasticam historiam fecit quædam mulier impetita à Diocletiano, quæ cum videret maritum resistere non posse, se interemit. Quintò ad vitandum proprium peccatum, ne scilicet consentiat in delectationem veneream, vel in pœnam peccati, vel exemplum aliorum, vt fecit Lucretia, de quibus vide 23. q. 5. cap. si non licet maxime. §. hoc dicimus.

P R O explicatione, ergo huius dubij, notandum est dupliciter posse aliquem se occidere, sicut alium, primò directè & positiuè operando, vt se iugulando, sumendo venenum, se præcipitando, vel flammis immittèdo, &c. Secundò negatiuè & indirectè, scilicet, non faciendo id, quo posset vita conseruari, vt non sumendo cibum, non fugiendo manus inimici cum posset, vel se offerendo certæ morti. Et quidem de isto secundo modo cooperandi ad propriam mortem dub. sequenti 16 dicimus. Est enim inter hos modos magnum discrimen. In secundo enim casu sæpe licet, vt si fiat pro salute spiritali proximi, vel temporalis rei publicæ, imo vt alij volunt cuiusque amici, permittere se occidi, cum vitare posset, & se ad id offerre, at seipsum positiuè interficere, non ita vt iam explicare volumus, an id aliquando liceat aliquo fine ex prædictis. Videtur enim, quod liceat cum ita sanctos viros fecisse legamus. Nam ita fecit Sanson Iud. 19. & plures mulieres, quæ se persecutionis tempore occiderunt, quarum facta probat, & memoriam colit Ecclesia. Et Razia, qui laudari videtur 2. Macchab. 14. Ita Cato fecit, & omnes supra dicti, præcipuè Lucretia, cuius factum tota laudare videtur antiquitas, de quo vide Liuium, & antiquiores historicos. Secundò id probatur ex Hieronymo relato 22. quæst. 5. cap. Non est nostrum. *In persecutionibus, inquit, non licet mihi propria perire manu, absque eo ubi castitas periclitatur.* Tertio, quia non est de se malum, cum Dei instinctu, & autoritate fieri possit. Sed quod non est malum intrinsecè potest aliquo bono fine fieri, cum ergo supra dicti fines videantur satis honesti, saltem ob illos fines liceret seipsum interficere. Quarto, quia licitum est optare mortem. Sic enim Christus Dominus coarctabatur, desiderio moriendi, sic Paulus cupiebat dissolui, &c. at quod desiderare licet executioni mandare, cur non licebit?

V E R V M T A M E N certissimè est tenendum, id nullo pacto nisi Dei impulsu & ordinatione, qui dominus est vitæ, licitum vnquam esse, aut fuisse, nullo quantumcunque optimo fine quispiam moueatur. Quin potius esset intrinsecè malum, haberetque inseparabilem repugnantiam cum ratione. Est hæc aperta decisio Conc. Bracha. 1. cap. 34.

vbi sic dicitur. *Placuit, ut is qui sibi ipsis, aut per ferrum, aut per venenum, aut per precipitium, aut suspendium, aut quolibet modo violentia, inferunt mortem, nulla pro eis in oblatione commemoratio fiat, neque cum Psalmis ad sepulturam eorum cadauera deducantur.* Idem sentit August. 1. de Ciui. Dei cap. 17. *Profecto qui seipsum occidit homicida est, &c. & refertur 23. quæst. 5. can. Si non licet. Qui cap. 26. lib. 1. de Ciui. Dei, vt ibi refertur §. Hoc dicimus, in hunc modum scribit. Hoc dicimus, hoc asserimus, hoc modis omnibus approbamus, neminem spontaneam mortem sibi inferre debere, velut fugiendo molestias temporales: ne incidat in perpetuas. Neminem propter aliena peccata, ne hoc ipso incipiat habere grauissimum proprium, quem non polluebat alienum. Neminem propter sua præterita: propter quæ magis hac vita opus est, vt possint pœnitendo sanari. Neminem velut desiderio vitæ melioris, quæ post mortem speratur. Quia reos, suæ mortis, melior post mortem, vitæ non suscipit.* Et lib. 2. contra literas Petili. cap. 49. & habetur can. Tu dixisti eadem causa, & quæst. Et Hieronymus in cap. 1. Ionæ ad finem. Can. non est nostrum, eadem causa. Est etiam optimorum philosophorum communis sententia, vnanimisque Doctorum nostrorum consensus. Et oppositum, vt hæreticum habendum, vt docet Castro. verb. Martyrium lib. 10. de hære. Et August. de Hæres. hæ. 69. dicens. Huius hæresis authores fuerunt circunceliones, eos vocant genus hominum agreste, & famosissimæ audaciæ, non solum in alios immania facinora perpetrando: sed nec sibi eadem insania, & feritate parcendo. Nam per mortes varias, maximè præcipitiorum, aquarum, & ignium seipsum necare consueuerunt, & in eum furorem alios deducunt, dicentes se eo modo martyres fieri, quam diabolicam doctrinam, vt scribunt Patres sanctissimæ Societatis Iesu seruant Gentiles Iaponicæ insulæ. Hos hæreticos appellat Philaster circuitores. Nam ad hæc facinora patranda per diuersa loca circuibant.

20 T O T A ergo controuersia est in reddenda ratione huius veritatis. In quo scilicet stat ista homicidij sui malitia D. Thom. 2. 2. quæst. 64. artic. 5. Sorusque ex eo 5. de Iustit. quæst. 1. artic. 5. Victor. relect. de Homi. à num. 2. Syluest. hominum 5. §. 1. distinct. 2. Ang. §. 2. & 3. Castro. 10. de Hære. vbi supra, Couar. 1. Varia. resol. cap. 2. num. 9. Tres assignant rationes huius conclusionis. Prima quòd homo facit contra naturalem inclinationem conseruandi se, & contra charitatem sui. Secunda, quia facit iniuriam reipub. cuius est pars, vt docet Aristor. 5. Ethicor. cap. vltim. Sed hæc reduci potest ad tertiam, quòd scilicet homo non est dominus vitæ, & ita peccat in Deum cuius est seruus, sicut peccat occidens seruum alienum. Et quamuis hæ rationes impugnari possint, vt impugnant Sor. & Victor. eas tamen impugnationes 21 missas facio. Ego enim aliter obijciendum existimo. Si enim attentius contenderemus: hæ rationes non probant singulariter de occisione directa, de qua hic loquimur, sed de occisione sui absolutè, etiam indirectè, & ita vel nimis, vel nihil probant. Si enim naturalis inclinatio, & charitas sui obligat propriam vitam conseruare, eam non licet voluntariè perdere. Rursus si nullus est dominus vitæ, peccat ergo eius iacturam

Sturam liberè sustinendo, & ad id se sponte offerendo, cum tamen id licitum esse probaturi simus dub. sequenti ex omnium sententia. Si enim naturalis inclinatio est diligendi Deum tempore, loco, & aliis debitis circumstantiis, profectò peccaret, non ille solum, qui Deum odio haberet posituè: verum qui non diligeret, cum posset, suppositis debitis circumstantiis, quibus existentibus est talis inclinatio naturalis. Præterea si ego custos sum rei alienæ peccarem, non solum, quando 22 equum illius vel illum occido: sed & quando permetterem ab alio occidi, cum tenerer, & commodè possem illius mortem vitare, & rem saluam habere.

Si dicas in his casibus excusari, qui negatiuè se habet, quia facit ob altiorem finem, scilicet ob salutem spiritualement proximi (imo, vt aliis videtur etiam temporalem) & ob salutem reipub. Fateor id verum esse. Sed cur similiter non dicemus à malitia liberam positiuam occisionem, quando ob excellentiorem finem fit, quàm sit vita mea, si aliud non est remedium nisi me directè occidere. Non enim positiuam sui occisio habet intrinsecam malitiam, qualem habet mendacium, & odium Dei, &c. Siquidem Dei autoritate fieri potest. Sicut ergo quādo voluntariè finit se necari, & ad mortem se offert pro salute reipub. vel tertij, non facit contra inclinationem naturalem conseruandi se: quia maior est inclinatio ad salutem reipub. Nec facit contra charitatem sui, quia maior est charitas reipub. Nec facit contra charitatem alienum. Quia tum ius naturæ interpretatur Deum potestatem tribuere ob maius bonum. Cur non æquè existimetur de positiuam occisione? vel explicare oportet specialem deformitatem alteram ab ea, quæ est facere contra naturalem inclinationem & dilectionem sui & usurpare dominium reipubl. vel Dei. Secundò, quia licitum est seipsum mutilare ob salutem totius corporis, etiam posituè, vt dicemus. Cur ergo occidere se non licebit ob salutem totius corporis reipub. Tam intrinsece enim est mala mutilatio, quàm occisio. Cum etiam sit naturalis inclinatio & charitas ad membra, sicut ad vitam, & non magis est dominus membrorum quàm vitæ. Tertio, quia saltem si esset malefactor, in pœnam peccati sibi mortem inferre posset ad sententiam, & imperium iudicis. Licet enim ad id non teneatur, tamen non videtur illicitum si iudex aliquem condemnaret, vt veneno moreretur, illud directè accipere, ac per consequens seipsum interficere. Quæ enim tum esset deformitas? Præterea non minus cooperatur 24 morti alicuius, qui imperat, quàm qui exequitur, imò maior est malitia in imperante, vt dicemus cap. 6. Sed licitum esset reo rogare consulere & imperare, maximè si esset iudex & dignus morte, vt in se pœna exerceatur se sua sententia condemnando, ergo liceret etiam exequi. Vltèrius contra prædictas rationes obijcio argumenta Sor. & Victor. quia cum inclinatio hominis sit ad malum, potius colligitur esse bonum facere contra illam. Sed respondet Sor. & Victor. quòd licet inclinatio hominis generica vt animal est, sit ad malum, cum ex appetitu sensitivo rationi contrario oriatur, & ira nonnunquam bonum

bonum sit agere contra illam: tamen inclinatio specifica hominis, ut homo est, bona est, & ad bonum inclinatur, cum rationalis sit, ut ad esse beatum, & huiusmodi est inclinatio ad propriam vitam. Sed contra hoc est. Primum, quod falsum supponit, quod inclinatio viuendi sit rationalis, imò certè naturalis est homini, ut animal est, omne enim animal naturaliter appetit esse, & viuere, sui que conseruationem. Vnde Christus Dominus licet secundum partem rationalem mori cupiebat, tamen naturaliter, ut viuens erat, mortem fugiebat. Nec est dicendum, quod Christus faciebat contra naturalem inclinationem specificam & rationalem, cum mortem optabat, sed solum contra naturalem genericam, qua viuens erat. Vita enim intellectualis non perditur morte, ut patet, cum anima sit immortalis. Item inclinatio hominis ad sciendum, conuenit homini, ut homo est: & tamen non semper est bona, imò facere contra illam sæpe bonum est. Non scilicet plus sapere, quam oportet sapere, cum tamen ad omne genus scientiæ homo naturaliter inclinatur. Nam *omnis homo*, teste Aristot. *naturaliter scire desiderat*. Vnde sæpe secreta & alia quæ non oportet, scire naturaliter desideramus. Sed demus esse bonam omnem inclinationem hominis, qua homo est, non inde inferitur, quod facere contra illam sit malum. Constat enim inclinationem naturalem hominis ad generationem via matrimonij licitam esse, & bonam: & tamen benefacit, imò melius facit qui matrimonio non iungit virginem suam, teste Paul. Sed respondet Castro, quod hæc est inclinatio naturæ rectæ non deprauatæ, cuius signum est (ait ille) quod in Christo fuit, quia naturaliter refugiebat mortem. Si ergo illa est inclinatio naturæ ad vitam, ergo recta est, & ita contra illam agens conuincitur malè agere, quod ex dictis videtur non sufficere.

VERVM dicendum est rationes allatas ex August. & D. Thom. rectè probare de homicidio sui, tam indirecto, quam directo, quando scilicet nulla causa vel insufficienti, quis volutariè se occidit vel se permittit occidi. Tū enim homo contra sui charitatem facit. Cōtra Deum, & remp. cuius est. Vnde in sol. 2. D. Tho. de occisione indirecta loquitur. Et ita meritò Cast. vbi suprà dicit esse hæresim, siue loquendo de eo, qui sibi infligit mortem, siue de eo, qui vltro patitur. Secundò videtur, quod occisio sui indirecta licita est, modò sine bono sufficienti fiat. Quis verò sit is finis sufficienter bonus dub. sequenti dicemus late. Sed rogas, an liceat autoritate iudicis, ut damnatus, verbi gratia, suspendij, ipse se suspendat. Videtur enim esse licitum, licet non teneatur, ut infrà dicemus. Quia iudex habet locum Dei, potestatem ergo illi facere potest maximè cum deesset carnifex. Sicut ipse Deus. Et cum cooperari iustæ morti sit licitum cum publica autoritate fiat, & dominium vitæ suæ non usurpet. Et ita videtur sensisse Vict. num. 30. Nam dicit esse licitam legem, quæ damnaret aliquem, ut ipse sibi poculum sumeret mortiferum. Sed nolumus in hoc dare sententiam. Illud est certum, quod si esset iniuste damnatus non liceret. Est enim ac si sua sponte & priuata autoritate faceret.

T E R

TERTIO videtur, quod sibi vitam directè adimere quocunque bono sine fiat citra Dei dispensationem sit illicitum, & peccatum mortale. Quod videtur posse efficaciter probari. Primum, quia est contra ius diuinum, & præceptum illud decalogi, *Non occides*. Ut enim argumentatur August. lib. illo 1. de Ciui. c. 20. qui seipsum occidit, hominem occidit, & fortasse innocentem, quod manifestè est à Deo prohibitum, & prohibitum, quia malum. Ratio autem est, ut simul differentiam ponamus inter directam & indirectam occisionem. Nam qui se permittit occidi sine sufficienti causa, iam planè mortem intendit suam, & ita est, ac si se occideret directè, quorum vtrumque est rationi repugnans, cum homo non sit vitæ dominus, sed Deus, iuxta illud Deut. 32. *Ego occidam, & ego viuere faciam*, &c. & Sap. 16. *Tu es Domine, qui vita & mortis habes potestatem*. Vnde vel se percutere, vel occidere directè, vel indirectè sine causa est apertè contra rationem rectam, & in Dei iniuriam cuius res illa est. At ille qui se permittit occidi iuste & causa sufficienti, ut ob salutem reip. vel proximi spiritualem, non tam mortem suam, quam prædictum laudabilem finem intendit. Et licet sciat certò moriturum, nil refert. Quia ex quo nullam sibi vim infert, nullam Deo, vel alteri facit iniuriam, sed magnum obsequium. Et per hæc patet ad obiectiones nostras. Ad illam de mutilatione infrà dicemus, longè diuersam esse rationem. De rogante & imperante non est eadem ratio, quoniam hi non sibi vim inferunt, ut constat, quod certè ipsa natura maximè abhorret. Quando enim aliam rationem reddere nõ possemus, quam quod sibi manus & vim inferre ad vitam adimendam est naturaliter horribile, & rationi dissonans, satis esset ad nostram & omnium sententiam, probandam. Adde, quod vel est innocens, ut erat Lucretia, & similes, & tum apertè est contra rationem, & contra Dei præceptum innocentem occidere, de quo præcipuè præceptum intelligitur: aut est nocens, & sic etiam est contra rationem cum solius publicæ autoritatis sit iudicare & punire. Et quia sibi locum pœnitentiæ adimit, quod rectè rationi est aduersum. Vnde ut refert Cast. 10. de her. verb. martyr. hæ. 2. Hæresis fuit Petiliani, quod se occidere pro peccato commisso liceat, & debere martyrem appellari, ut infrà dicemus.

AD rationes suprà factas bene respondent doctores ex Aug. quosdam id fecisse Dei instinctu, ut Sançon, & ita dicit Innocen. c. Gaudeamus de Diuor. Et mulieres sanctæ quarum fit memoria in Ecclesia. Et potuit etiam in eas cadere inuincibilis ignoratia, ut Sor. docet. Raziam verò D. Tho. ad 5. illius art. non laudat, sed infirmitati, & molliciei animi tribuit, nõ valentis pœnæ mala sustinere. Et hac ratione licet de castitate lauderetur ab Aug. 1. de Ciuit. c. 19. tamen de homicidio vituperatur: dicit enim, *Quod ergo seipsa quoniam adulterium pertulit, etiam nõ adultera occidit, non pudicitia charitas, sed pudoris infirmitas fuit. Puduit enim eam turpitudinis alienæ in se commissa, & humana mulier laudis auida, verita est neputaretur libenter passa, si viueret, sociâ quippe facti se credi erubuit, si quod alius in ea fecerat turpiter, ferret ipsa patienter, non hoc fœmina Christiana fecerunt*, &c. Et hac pusillanimitate se Cato occidit, ne Cæsaris domi-

Tom. I. z

natum subiret, & idem Sauli vituperio datur ob eandem rationem.

32 AD dictum Hieronymi respon. vt glos. & Doctores explicant, quod illa particula, *Absque*, non est exceptiua, sed inclusiua potius, quod non licet perire propria manu absque eo vbi castitas periclitatur, id est etiam vbi castitas periclitatur. Vt est illud, *gena tua pulchra, &c. absque eo quod intrinsecus latet*, non vult, quod intrinsecum non sit pulchrum, sed multo magis pulchrum, sic accipi hanc dictionem in cap. Ebron. 13. quæst. 2. & cap. Progeniem 35. quæst. 2. docet Syluest. & Ang. quam tamē ego non inuenio. Habetur autem dictio (*prater*) quæ sensu eadem est, ibique tenetur inclusiue. Estque sententia eiusdem Hiero. in q. Hebraicis in Genesim, de locis Hebraicis, Et in epitaphio Paulæ, quod loco ait Hierony. *Hebrō est ciuitas quatuor virorum. Quia in ea sepulti sunt tres Patriarcha, Abraham, Isaac, & Iacob, prater Adam.* Vbi particula (*prater*) sumitur inclusiue. Aliàs non quatuor sed trium virorum esset ciuitas. Vnde cum olim legeretur trium virorum, nunc tandem emendatum est in Gregoriana editione, & ita legitur apud Hiero. locis citatis, & Hebraica dictio significat quatuor. In dicto autem c. Progeniem, nihil 33 penitus habetur ad rem. Adde quod dictio, *prater* quandoque sumitur pro *ultra*, ac proinde idem est dicendum de particula *absque*. Vnde Plin. li. 10. *prater hominem* (inquit) *somniare equos, canes, boues, pecora, & capras, palam est.* Vbi constat exclusiue sumi non posse, sed inclusiue, & pro dictione *ultra*. Aliàs homo non somniaret ex huius philosophi sententia. Quo circa Couar. 1. lib. varia. resol. c. 2. nu. 9. versic. Tertio ex hoc, immerito docuit plurimum prædictæ veritatis refragari D. Hiero. sententiam in d. cap. Non est nostrum & super Ionam prophetam ca. 1. & Ambros. li. 3. de virginibus, vbi de Marcellina tractat, & Euseb. lib. 3. hist. Eccl. c. 12. & 17. & denique ea, quæ scribit Claud. Spencus li. 4. de Continentia. cap. 14. & 15. Non enim (vt putat Couar.) ij contrarium docent, Vt videre est apud ipsos.

34 AD tertium fatemur sui interemptionem non esse intrinsecè malā, vt est mendacium, vel Dei odium. Dei enim autoritate fieri potest, sed citra Dei dispensationē malū est intrinsecè, nulloque sine honestabile. sicut licet occidere alium nō sit intrinsecè malum ex obiecto, supposita tamen circumstantia, vt fiat sine publica autoritate citra dispensationē est intrinsecè malum. Ad vltimū, quod sicut illicitum est se occidere, ita desiderare sui necem à se exequendam, est illicitum: mortem tamen in communi desiderare potest, quia intelligitur à Deo, vel ab alio inferēda. Vnde magnū esse putamus meritū apud Deum eorū, qui ardēter martyrium desiderant. An autem mortem sibi imprecari sit illicitum, non est huius loci, disputabitur, cum agemus de maledictione. Id tamē merito rogabis, an is, qui seipsum occidit peccet contra iustitiam, an duntaxat contra charitatem? D. Tho. ad primum Sor. etiam art. 5. in corpore & ad primū & li. 4. q. 2. ar. 3. concl. 1. Couar. 1. lib. Varia. c. 2. nu. 8. citatq; in eam sententiā Hegesippū de excidio Hierosol. li. 3. c. 17. Fatētur peccare contra iustitiam. Quia licet sibi iniustitiam non faciat: tamen reipublicæ, cuius est pars, facit iniuriā. Quia lege iustitiæ prohibetur ho-
mo se

mo se occidere, & alios, quia non est magis dominus suæ vitæ, quam alienæ. Quia inquit licet se perimendo nulli faciat iniuriam: tamen, vt est reipublicæ pars, iniurius est illi se necando. Id tamen ego probare non soleo. Si enim sermo sit de iustitia generali virtute: fateor equidem esse legem iustitiæ de se non occidendo, sicut de cæteris decalogi præceptis, honorandi Deum & parentes, quæ iustitia dici solet. Et planè D. Tho. ita est locutus, cum dicat, respectu reipu. & Dei esse iniustitiam, at constat non esse specialem iustitiam, cuius vitium iniustitia cōmutatiua vel distributiua, sit. Si verò sermo sit de iustitia speciali, non video quo pacto verum sit, quod hi authores docent. Primū distributiua non est, cum non diuidatur aliquid commune inter multos, 35 sed lex iustitiæ communis esse debet: at hæc nulla videtur, vel Deo fit iniustitia, vel reip. nam proximo in particulari nulla fit. Deo fieri non potest, quia Dei ad homines non est iustitia commutatiua rerum temporalium vt patet. Neque reip. quia respub. non est domina vitæ ciuium, & ita nullum eius dominium vsurpat. Dices saltem habet ius & ita iniuste damnat. Sed contra, quia quando non esset reip. necessarius illam non damnificat. Quid enim interest ad reip. vtilitatem vnum, vel duos aut plures occidi. Præterea sequitur, quod occidēs alium peccaret contra iustitiam commutatiuā in rempublicam, & ita teneretur, illi vitam restituere non solum post sententiam: sed in consciētia, quod nullus dixerit. Item saltē sequitur quod quādo resp. facultatē faceret remittendo suū ius, nō peccaret contra iustitiā, cum tamen constet, quod non minūs peccaret, qui sibi mortem inferret habita facultate, quā nō habita à rege, vel rep. Denique sequitur, vt si quis sibi membrum iniu- 36 riosè abscinderet teneretur restituere reip. Sicuti si alterum mutilaret, teneretur restituere illi, vel membri valorem, vel damna secuta, quod non videretur concedi posse. Postremò sequitur, quod etiam ille, qui se negatiue occidit, id est, se permisit occidi sine rationabili causa, vel non comedendo vel non fugiendo, &c. peccaret contra iustitiam. Non minūs enim ille alienum, id est vitam prodigit, quam si se gladio iugularer.

IN vno tamen casu fortasse dici posset peccare contra iustitiam, vt si esset reip. necessarius rex vel dux à quo pax salusque dependeret. Tum enim dici posset peccare contra iustitiam non ratione vitæ, qua priuat remp. sed ratione damnorum, quæ inde sequuntur iniuste. Cum ex officio teneatur remp. defendere, sicut cuiuslibet membri officium præcipuum est toti inferuire. Dixi fortasse, quia neque in hoc casu putarem 37 certò definiendum esse peccare contra iustitiam. Quis enim ducem reipub. necessarium, se tamen occidentem, vel mutilantem, vel ex negligentia nolentem arma sumere, in conscientia obligaret, vel eius hæredes, ciuitatis depopulationem, vel damna restituere in solidum? Id tamen certum sit, quod vbi nulla sunt damna secuta, non peccat cōtra iustitiam, vt probatum est. Sed nunquid pœna legis dignus erit? Non putarem æquam legem, quæ se mutilantem, vel suspendere volentem, aut occidere: suspendij damnaret. Quia vt dixi nulli iniuriam facit, & licet faceret, non esset tanta pœna dignus, cū non sit pars vlla iniuria affecta:

nisi ipse qui sibi remittere potest. Vnde in praxi nūquam vidimus mortis damnari eum qui se suspendere, aut veneno necare tentauisset.

38 TERTIA quæstio sit vtrum liceat se negatiuè saltē occidere, id est morti se voluntariæ offerre S. Thom. in 3. d. 29. ar. 5. ad 3. & li. 1. de Regimine prin. c. 10. & 22. q. 26. ar. 5. ad 3. Viç. relec. de Homi. nu. 27. Sot. 5. de Iusti. q. 1. ar. 6. & 4. de Iust. q. 2. ar. 3. conc. 1. Dur. in 3. d. 29. q. 2. nu. 20. Palu. ea. d. nu. 2. Merc. de Rest. homi. c. 5. Lactan. li. 5. Iusti. cap. 18. Et Cord. li. 1. qq. q. 38. in sol. ad 4. fatentur esse licitum & laudabile offerre se morti spontaneæ propter amicū. Et probatur primò ex Arif. 9. Eth. c. 8. qui dicit esse opus amicitia, imò Christi vox ista esse videtur, dum planè dicit, *maiorē charitatē nemo habet, ut animam suam ponat quis pro amicis suis*, & Gre. li. 3. c. 37. hoc ipsum laudat. Secundò ratione, quando præstantior est vita proximi nostris bonis temporalibus, sed pro his licet mortem subire, ergo, Tertio, quia opus perfectionis est, vt inuasus sinat se occidi, quando nullum refugium manet, nisi inuasorem occidere, ergo multò amplius licitum erit & laudandum pro amico vitam perdere, cum magis teneamur, magisq; sit laudabile ac meritoriū amicū diligere quàm inimicum, sicut econtrā peius esset amicū odisse, quàm inimicum.

40 AD DE quartò, quod nulla videtur ratio, quare non liceat me, & patre meo, vel alio homine in extrema necessitate famis existentibus, dare illi panem, vel in naufragio tabulam, aut equum in bello. Imo docet Sot. non solum pro vita proximi, sed etiam pro eius honore & pro re familiari illius saluanda, licitum esse vitam ponere, sicut liceret pro honore, bonisque exterioribus propriis. In hanc sententiā plures, alias conficit rationes Sot. primū, quia vita est bonum temporale, amicitia verò est pars felicitatis: Cum ergo bona vtilia ad felicitatem ordinentur, pluris est facienda fœlicitas & per consequens vita proximi. Secundò, quia sicut pro Republica quæ est totum, ita pro proximo, qui est alterū membrum, licebit vitam dare. Cætera parui sunt momēti. Verū, quòd id non liceat tenere videtur Bona. 3. d. 29. q. 3. dum dicit stultum esse & repræhensibile salutem suam pro salute alterius exponere.

41 IN hac re. Primo arbitramur licitum esse & excellentissimum religionis opus, vitam pro Deo eiúsque fide ponere, quod, vt de fide certissimum esse debet de quo latius dub. 8. Secundò supponimus non esse licitum amittere spiritualem vitam pro spirituali proximi, vt Sotus ibi conclu. 2. de quo aliàs. His suppositis verius nobis videtur, non esse licitum pro salute temporali hominis priuati morti voluntariè se tradere. Ita docuisse videtur Bonauent. loco citato. Estque August. expressa sententia li. de Med. cap. 6. Vbi docet doctrinæ regulam excedere, vitam temporalem perdere pro vita tēporali alterius. Cui testimonio nihil responderet Sot. quamuis illud citauit. Forsan quis respondeat Aug. doctrinæ regulam excedere dixisse, non quod sit contra rationem, sed quòd suprā. Sicut quodlibet aliud perfectionis opus posset dici rationis regulam excedere. Sed hoc nihil est. Ibi enim August. intendit hoc dicto probare non esse licitum mendacium hac ratione. Quia dare vitam temporalem pro temporali alterius, rationis regulam excedit, ergo multò

multò magis excedet dare æternam pro temporali alterius. Si autem in antecedente loqueretur, de excessu perfectionis nihil colligeret vitij in eo, qui vitam æternam commutaret pro temporali alterius, sed potiùs colligeret esse opus egregiæ perfectionis, esseque magis suprā rationem: quod & falsum esse constat, & contra intentionem Augustini, loco citato.

VERVM ratione probo hanc sententiam. Primò supponendo, quòd ordo charitatis non tantum est in consilio, sed in præcepto, saltem respectu eorum, quorum homo non est dominus, vt vitæ spiritualis, & honoris necessarij, &c. Hæc enim non sine prodigalitate perderentur, sine iusta & sufficienti causa. Cur enim in spiritualibus est in præcepto, & non in temporalibus? Item, quia illud præceptum, *Diliges proximum tuum sicut teipsum*, absolutè loquitur: illa autem particula, *sicut*, vt omnes fatentur, non significat æqualitatem, sed proportionem. Ea ergo lege præcipitur homini, se & proximum diligere, quasi nec suæ, nec proximi vitæ sit dominus, vel suæ subiaceat potestati. Si ergo homo teneretur & se, & proximum diligere, & suam & proximi vitam conseruare, & inter has dilectiones debeat esse ordo, manifestum est, quòd non proximum, sed se plus diligere teneretur, & per consequens teneretur sibi maius bonum velle, quàm proximo.

DICIS etiam, est ordo in rebus suis, & proximi, & tamen non ideò teneretur suas res conseruare in concurrentia bonorum proximi. Respondeo non esse simile: quia est animaduertendum, esse alium ordinem charitatis in posse, id est, quod potest homo, & ius habet, se, suaque magis diligere, & ita fatemur, quod non peccat, bona sua pro bonis proximi ponendo. Sic enim ordo de præferendis propriis bonis, non est ordo præcepti, sed posse. At ordo præcepti est, quo charitas non solum disponit, hoc posse illi anteferri, sed præscribit, ita esse præferendum, & talis est ordo vitæ propriæ ad alienam. Præcipit enim charitas, non solum posse meam vitam temporalem, vitæ temporali proximi præferre, sed & præscribit, & præcipit, sic esse faciendum. Cuius diuersitatis ratio est, quia bonorum temporalium homo est dominus, non autem vitæ, & ita ordo, qui est rerum ad res, est liber, ita, vt eas possit ponere, & non ponere. At in vita non est liber, sed præscriptus à Deo naturæ auctore, vt nequeat pro libito eam dispendere, nisi secundum ordinem rationis, & charitatis, qui est, vt sibi magis, quàm proximo teneatur. Sicut ergo in bonis animæ, quorum homo non est dominus, ex Dei præcepto teneretur homo esse in gratia: & non possunt licitè perdi, propter salutem animæ proximi, quia cum sit ordo obligationis, & ipse sibi magis proximus sit, magis teneretur suæ, quàm animæ proximi consulere: ita etiam cum sit in præcepto conseruatio propriæ vitæ, non potest sine peccato non conseruare iuxta ordinem debitæ dilectionis. Et idem dicem de honore, & rebus familiaribus: si enim istorum dominus non esset homo, sed ea conseruare, sicut vitam, teneretur, proculdubio etiam peccaret, se infamando, vt alterius famam tueretur, rem familiarem prodigendo, vt alterius res conseruaret. Quare, cum in aliquo casu

fama ex præcepto sit conseruanda, putà, quia est necessaria in republica, propter alios, vt capite quarto dicemus, non licere eam perdere, pro alterius honore tuendo, & id, quia in eo casu famæ propriæ dominus non est, nec illi iuri cedere potest.

46 **D**ICENS ergo, nec pro salute reipublicæ, nec pro spiritali proximi, liceret vitam perdere, cum non sit homo dominus vitæ, sed sit ordo necessitatis, & obligationis ad se? Responderetur. Primò, quod licet sit naturale præceptum de propria vita conseruanda, tamen recipit interpretationem, & epicheiam, vt cum aliud maius præceptum naturale simul occurrat, illo demisso sit seruandum, sic autem est in proposito: nam præceptum de salute spiritali proximi seruanda, & de salute reipublicæ strictius est, quàm de propria temporali vita conseruanda. Nam recta ratio præscribit, vt homo spiritualem proximi, & communem reipublicæ propriæ temporali vitæ anteponat: at non postulat ratio, imò inuersus ordo est, vt homo bonum vitæ, cuius aliàs non est dominus, pro non maiori, sed æquali bono, stultè perdat, imò minus bonum maiori præferat. Cum ergo propria vita sit æquale, imò maius mihi bonum, & cuius ego non dominus, sed custos sum à Deo institutus, nulla est prorsus diuini, vel naturalis iuris, de vita proximi tuenda, interpretatio: & ita semper stat obligatio iuris naturalis de vita propria conseruanda.

47 **I**LLVD verò quod Dur. docet, teneri hominem magis seipsum diligere, quàm proximum, non tamen teneri magis suam vitam seruare, implicatio quædam est, cum probatio dilectionis exhibitio sit operis. Dilectio enim efficax ex affectu prodit, & cognoscitur in effectu. Quis enim non videt eum, qui pro amici vita seruanda, propriam perdit sponte illius magis, quàm suam vitam diligere? iuxta illud: *Maiores dilectionem nemo habet, quàm vt animam suam ponat quis pro amicis suis.* Non enim intelligi potest, quòd in intentione & electione præferatur vita propria, & non in executione: sicut nec verè censeretur, Deum super omnia diligere, qui in effectu non sperneret omnia pro illo. Nec intelligi potest, quòd quis teneatur patrem, plus quàm extraneum diligere, nisi simul teneatur ei succurrere, extraneo prætermisso. Si suam igitur vitam magis teneatur diligere, quàm alienam, tenebitur certè illi magis providere, quàm alienam. Deceptus autem videtur Dur. in hac doctrina, 48 eò quòd ipse putat eum, qui pro amico moritur, vel pro republica, non pro amico, vel pro republica mori, sed pro bono virtutis. Et ita non amicum, vel rempublicam magis diligere, quàm seipsum: sed bonum virtutis. Debebat enim medullitè considerare Dur. quòd licet bonum virtutis, v.g. in eo, qui pro republica moritur, sit finis, & per consequens terminus intentionis: tamen bonum reipublicæ, pro qua moritur, est medium, & per consequens, terminus electionis. Constat autem electionem ita esse voluntatis, & amoris actum, sicut intentionem: media enim (licet propter finem) volita sunt, & amata. Si ergo finis virtutis est magis volitus, quàm vita mea, similiter media ad illum finem, scilicet 49 vita communis reipub. erit magis volita, quàm mea. Sed, vt supra respondi, conseruare proximi vitam, cum periculo meæ, non est actus virtutis,

tutis, sed prodigalitati, & contra charitatem: & secundum aliorum opinionem, contra iustitiam, quòd est iniustum homicidium.

AD Aristotelem ergo, & alios, si qui sunt, qui tale opus laudant, vt Gregorius. Responderetur, id esse verum, quando est aliqua spes euadendi, tunc enim lex amicitie & charitatis est, periculo se exponere, pro liberando proximo. In quo casu vera sunt omnia, quæ Sotus in eo articulo congerit, ad probandam laudem egregiam huius actus: at, quando certum est discrimen, & interitus, stultum & reprehensione dignum est tale opus, nisi maius bonum prætendatur, scilicet, vel salus animæ, vel commune bonum. Vt enim idem Sotus adnotat, conclusione secunda, non est idem certæ amissioni vitam spiritalem exponere: ac eam periculo obijcere. Hoc enim licet: illud secus. Non ergo ex eo, quòd licitum est, & laudabile, impetentes se gladiis, cum aliquo sui periculo, componere, inferre debuit, licitum esse, quando certa mors est futura. Ipso enim teste, in secunda conclusione illius articuli, licitum est animæ, salutem periculo exponere, pro alterius spiritali salute lucranda: at negat ipse inde sequi, vt liceat, si certò est amittenda propria, vt alienam salues animam, non ergo æqua vtitur argumentatione. Adde, quòd in exemplo ab eo adducto, de impetentibus se gladiis, &c. non est recta similitudo adducta: ibi enim non tam corporis, quàm animæ, in periculo versatur, cum certum sit alterum saltem, & fortasse vtrumque decertantem peccare: at pro peccato vitando, pace & charitate componenda licitum esse non inficiamur, neci se obijcere.

AD D E, quòd sæpè laudamus multa, quæ non sine peccato imitaremur: non enim laudamus factum, sed modum, aut circumstantiam facti. Lucretia enim non laudatur de nece, sed de amore castitatis, quo impulsa, se peremit: imò Scriptura videtur laudare Raziam 2. Machabæorum decimo quarto, cum dicit nobiliter elegisse mori, &c. Et tamen Diuus Thomas vbi supra, ad secundum, docet, illud esse dictum propter quandam speciem fortitudinis, & virtutis, cum tamen reuera fuerit vitium. Sic fuit factum Piladis, & Orestis, quorum alter finxit se esse alterum, vt moriens, alterum liberaret à morte, siue id veritas fuerit, siue fabula, vt Cicero refert libro tertio de Amicitia: & Augustinus quarto Confess. capite sexto. Augustinus verò libro de Amicitia, capite vigesimo, quem adducit Sotus, de salute spiritali proximi loquutus est, vt colligitur ex principio capitis, vbi dicit: *Primordia amicitie spiritualis, &c.* Vnde locus ille Euangelicus, ad quem alludit Augustinus libro de Amicitia, quem Sotus valde ponderat, non de temporali, sed de spiritali salute debet intelligi, vt ipse Augustinus expressè interpretatur, capite sexto de Mendacio. Atque ita, cap. etiam illo 10. colligitur, eum loquutum fuisse de spiritali amicitia. Sed vrget Sot. quòd Christus pro salute etiam temporali nostra, vitam posuit. Fateor libenter: meruit enim nobis immortalitatem. Nam sicut per Adam moriuntur, etiam morte temporali, ita per Christum omnes viuificabuntur, etiam vita corporali, per resurrectionem, quæ fuit effectus suæ resurrectionis. Sed quid postea? Primùm enim, non ob illam solam, sed ob

sed ob spiritualem vitam principaliter mortuus est, & resurrexit: *Mortuus est enim propter scelera nostra, surrexit propter iustificationem nostram.* Nunquid enim pro temporali duntaxat, vita nullo excellentiore fine, quàm amicitiae temporalis causa, Christum Dominum moriturum existimabimus fuisse? Hoc apertè excludit Augustinus capite illo sexto, libro de Mendacio, tomo quarto, dicens: *Temporalem vitam suam Christus pro nostra aeterna ponere non dubitavit: non enim quisquam est ita desipiens, ut dicat aliud, quàm saluti sempiterna hominum consuluisse Dominum, vel faciendo quod praecepit, vel praeicipiendo quod fecit.* Vbi absolutè negare videtur, eum pro temporali mortuum fuisse, sed intelligitur principaliter. Et quamuis id concederemus Soro, non inde argumentum sumi posset: nam ille pro omnium hominum vita mortuus est, & ita pro communi bono, non vnus ciuitatis, aut regni, sed totius mundi. Tum etiam Christus non perdidit omnino suam vitam temporalem, vt nos à morte liberaret, ne scilicet moreremur: cum etiam post eius mortem praece eius clamet: *Statutum est hominibus semel mori, sed vt post primam mortem, resurrectionem nobis, & immortalem vitam corporis donaret, quod sanè cuique homini licere fateamur.* Cùm præstantius sit, vitam immortalem corporis amico recuperare, quàm suam temporalem conferuare: imò hinc obiter arguitur contra oppositam sententiam, quia vitam nostram corporalem immortalem non liceret post resurrectionem perdere, pro simili vita immortalis corporali alterius. Tandem ratio non probat, quia Christus erat Deus, & ita author & Dominus vitae, & ita potuisset pretiosissimam suam vitam, etiam pro temporali vnus ponere: imò etiam si non esset Deus, potuisset id ex Dei præcepto facere, quod habebat moriendi, vt supra dixi, excusari Sanson. Et hinc est, quòd licet perfectior esset sua vita corporalis, quàm nostra, & corporalis, & spiritalis, potuit eam pro nostra ponere, non solùm (vt ait Sorus) quia nostra vita aeterna in eius redundabat gloriam: sed etiam ex dicto Patris præcepto salubriter nobis, & laudabiliter sibi ponere potuit. D. autem Tho. 2. 2. in d. q. 26. non agit de salute proximi temporali, sed de spiritali: tum quia non quærebat, an sit diligendum magis corpus proprium, quàm corpus proximi, sed quàm proximus. Itaque comparatio est nostri corporis ad proximum. Nomine autem proximi, quis dubitat, quin anima & corpus intelligenda sint? tum, quia id in corpore apertè distinxit, & de spiritali salute proximi, est apertè loquutus.

Sed ait Sorus, quod licet vita proximi, aut æquale, aut minus bonum sit, quàm propria, tamen quia est pars nostrae felicitatis vita amici, redundat in meam gloriam & felicitatem, quam pro illo moriendo conferuo. O præclaram rationem! Quid rogo Sorus potissimùm felicitatem appellat? an aeternam? at id minimè, cum Philosophis nihil de aeterna felicitate credentibus, licitum fuisse fateatur Sorus. Si de temporali, quæ rogo felicitas temporalis est, quæ morte finitur? imò potius finis temporalis felicitatis esset dicenda. Post mortem enim nullus temporaliter est beatus. Quid? quòd nulla est temporalis felicitas, nisi ex virtute, vt Arist. fateatur. Dum ergo docet Sorus, mori pro amico,

esse

esse felicitatem, consequenter dicit, esse consequi virtutem, id verò ratiocinari magis, quàm supponere oportebat. Vnde enim ipse scitè docuit. Nulla est, inquit eorum ratio, qui probant id esse licitum, quia pro virtute ponitur vita, cum pro amico ponitur. Petit enim principiū, ait Sor. Hoc enim ipsum est in controuersia. Vtrum ius amicitiae & virtutis, id permittat. Sic ergo ad eius rationē dicimus, id esse in quæstione, an vera felicitas, quæ ex virtute esse debet, consequatur, ex tali actu, imo & miseria, stultitia, & vitium, inordinatiōque naturæ, & naturalis inclinationis, & consequenter stultus est, & summa reprehensione dignus, qui certissimæ morti se committit pro liberandis bonis temporalibus, honoris, vel rei familiaris alterius. Ad illud quod Sor. obijcit, quòd vnum membrum se exponit pro alio. Respon. Falsum esse, quando sunt æqualia. Stultum enim esset ad liberandum vnum oculum à læsione, alterum subire læsionem: si tamen alterum esset excellentius fateamur, vt cum brachium sustinet vulnus, ne caput vulneretur. Atque ita pro rege, qui caput est reip. & etiam pro patre vitam ponere probabile sanè reputamus. Et hinc patet solutio ad aliud Soti argumentum, quòd vita est bonum vtile, & ita licet eam pro amico ponere. Non enim domini sumus nisi postulante, strictiore iure, quod hic nullum est, vt supra respondi. Et ita si non est aliud præceptum obligans dare vitam pro amico, vt ipsi fateantur, sed possumus non dare, primum præceptum de seruanda vita semper manet. Vnde inductiue videre licet pro nullo licere vitam ponere pro libito. Id enim esset habere dominium vitæ, nisi simul teneamur id efficere. Si enim pro Deo & republica possumus vitam ponere, simul tenemur, neque in hoc datur optio homini. Quare vix credo licere pro patre vitam ponere. Periculo tamen eam obijcere pro patre, cum aliqua spe euadendi, licitum est, vt supra diximus. Per quod patet ad argumenta Scoti.

Restat modo soluere nostra argumenta supra facta. Et primo soluemus secundum quod difficultatem facit. Vt enim infra dicemus, licitum est pro bonis temporalibus nostris & honore vitæ ponere, quæ sunt minora bona, quàm vita proximi: ergo multò magis licebit pro vita proximi. Verùm distinguendum putamus, si enim bona temporalia pro quibus vita ponitur, sunt superflua statui, vel naturæ, nullo modo licet certæ morti se tradere. Quid enim ista proderunt sine vita? si ante sit mortuus ille, qui acquirit, quàm acquirantur. Sanè nihil. Stultum ergo est cum illa sint lōgè minora bona, quàm propria vita, illam sic perdere, & cum magis teneamur ad vitam proximi tuendam, quàm ad nostra bona temporalia nō simpliciter necessaria ad vitam, sequitur, quòd si illius vitæ succurrere cum propria detrimento, non licet, multò minus licebit pro defensione temporalium rerum nostræ vitam volūtariè ponere. Vnde si pro saluanda vita proximi, qui inuaditur à latrone, vt occidatur, teneor eam si possum pecunia redimere, etiam si sit necessaria statui, quia est in extrema necessitate, vt ait Nauar. cap. 24. num. 9. Syl. uest. homicidium 1. q. 6. Armil. eodem verb. ad si. multò magis pro propria vita tuenda, tenebitur necessaria statui dare, suamque vitam redimere,

vt etiam ibi docet Armill. & glos. in princ. d. 83. Quo ergo pacto pro dictis bonis licebit velle perire planè? Si verò sint simpliciter necessaria ad vitam licebit pro illarum acquisitione, & defensione propriæ se morti exponere. Si enim non se exponit, certò amittet vitam. Ergo etiam si exponendo se, amittat, non est prodigus vitæ, cum potius sit naturalis tantum inclinatio illo modo euadendi.

60 **D** I C E S peccant ergo, qui ad Indos, & periculosas procellas terræ marisque bella vagantur. Resp. Primò eos qui non argentum & aurum, nec bona temporalia quærunt: sed salutem animarum, non esse reprehendendos, sed vehementer laudandos, vt multi religiosi tum B. Dominici, & D. Francisci, per se laudati: tum alij, vt sanctissimæ Societatis Iesu, qui exemplo ducis eorum Christi Iesu, vt multos fratres in gloriam adducant, mortem non dubitant oppetere, & vt veri Apostoli pro Euangelij predicatione per passionem consummati, intelligètes se meliorem habere resurrectionem, & manentem substantiam. Quorù sanctissimorum hominum egregiam virtutem, & eximiã in omni genere, vel sapientiam, vel pietatem, non prosequimur. Nam neque id agimus modò, neque oportere existimamus eorum laudè nostris indignis vocibus efferre, quæ, non in vno loco, vario & obscuro sermone aliquorum: sed omnium clarissima, & vna voce toto orbe perfertur.

61 **S** E C V N D O dicimus eos, qui tēporalia bona quærunt, non esse dammandos: semper enim est aliqua spes euadendi in bellando & nauigando, & ideo non censentur sui homicidæ, si fortè terra marive pereant, vt enim non miserè & ignominiosè viuant, imò multos vt simpliciter viuant, se periculo vitæ exponere, licet non certæ morti, non videtur contra rationem, cum præsertim sic viuere sit moraliter, & ciuilitè mori. Maximè, quia vt plurimum salui eunt & redeunt.

S E C V N D V M nostrum argumentum quærebat, an liceat sine re se occidi ab inuasore? Et sunt multi, qui ad id inuasum teneri existimant, sic Gerson, vt refert Sotus, quia dicunt plus tenemur ad vitam spirituales proximi, quàm ad nostram temporalem. Sed oppositum ex omnium sententia infrà ostendemus. An verò liceat se sinere occidi? Gerson & authores prædictæ opinionis necessariò ita dicere tenentur. Et mihi ita verum videtur. Quod etiam sensit Caiet. 2. 2. q. 64. ar. 7. Sylu. verb. bellum 2. q. 3. Mexia in pragm. tritici. num. 135. Viç. releçt. de Homicidio nu. 24. Et ratio est plana, quia tunc non pro corporali vita inuasoris se morti committit, sed pro spirituali, cum constet illum esse in peccato mortali quòd si occiditur fore damnadū. Cum enim obiectū sit præstantius: non potest dici prodigalitas propriæ vitæ: sed magnum abundantioris charitatis factum. Exemplo Christi, qui pro salute spirituali nostra eorumque qui sui nequissimi, & nefarij aggressores fuerūt, mori non dubitauit, vt August. egregiè docuit lib. illo de mendacio, c. 6. Vnde his argumentis nihil pro Soti sententia colligitur.

T E R T I V M verò petebat. Eritque quarta dubitatio. An liceat panem vel tabulam dare amico vel patri? Sot. vbi supra ad 1. distinguit. 63 Nam si quis habeat tabulam in mari, non licet eam dimittere, nam illud est po

est posituè se suffocare, & secundum hoc, nec pro rege, nec pro republica liceret dimittere. Imo videtur sequi, quod nec pro salute spirituali proximi, vt si esset alter in peccato mortali notorio, à quo moraliter loquendo, tunc exire non potest, propter magnam mentis turbationem, quæ tunc contingit, non liceret illi tabulam dare, cum nec pro salute animæ liceat aliquem se occidere. Si tamen non accepit (ait Sotus) posset eam relinquere alteri: quia tunc solum negatiuè se habet ad mortem, scilicet non faciendo id, quo posset viuere.

S E D Couar. melius loquens primo libr. Variarum resol. cap. 2. nume. 8. Dicit quosdam esse actus, qui directè tendunt ad mortem, siue 64 posituè, vt iugulatio, siue negatiuè, vt nolle cibum sumere tempore necessitatis, & tales actus non possunt villo sine fieri, sed est verè & propriè se occidere. Alij autem sunt, qui non natura sua, sed ex accidenti mortem inducunt, vt non fugere ex carcere cum possit, quod negatiuum est, vel ire ad locum supplicij, quod est positiuum. Non enim ex sola mansione in carcere, vel ex solo aditu ad locum mortis, sequitur necessario & sufficienter mors, nisi alterius actus voluntatis interueniat, & tales actus boni esse possunt secundum rationem bonitatis finis, ad quem ordinantur. Si enim nullo bono fine, vel non sufficienter bono fierent censeretur planè homicida, non directè, sed sicut nauta est causa submersionis nauis sua culpabili absentia. Vnde martyres, qui pro magno fine, honore scilicet Dei, non fugiebant, imo se offerebant in manus inimicorum, & locum supplicij, non erant sui homicidæ, cum non immediatè ex illo actu sequeretur mors, sed mediatè, & ex accidenti. Primi verò actus ex quibus immediatè sequitur mors, siue negatiui, siue positui, etiam pro religione non licent. Et ita Samson, qui fecit id, ex quo necessario sequenda erat mors, nisi ex spirituali Dei reuelatione non excusatur, vt supra (ex August. & Innoc. in cap. Gaudeamus) diximus. Et huic doctrinæ consonat D. Thom. 2. 2. quæst. 69. art. 4. ad 2. dicens eum, qui non acciperet cibum cum fame periret, se occidere. Idem Caiet. ibid. & ead. 2. 2. q. 32. art. 6. dicit non esse licitum dare elemosynam de necessario naturæ, quia esset sibi vitam subtrahere. Quamuis cum ibi dicat fore laudabile id efficere pro rege, vel republica: non video, quo modo sit occisio sui secundum ipsum. Cohærere enim ista nequeunt.

S V P P O S I T A ergo hac Couar. Caiet. & D. Tho. doctrina facilè responderetur ad argumentum nostrum supra factum in principio quæstionis. Non enim licet dare panem, quo extremè indigeo etiam principi, imo nec pro salute spirituali alterius, vt si contingeret laico & clerico extremā necessitatē patientibus, vno pane oblato, quemdam tamen 66 aliū sine confessione mori. Tū enim nisi laicus clerico panē porrigeret, vt alium audire posset, in peccato mortali moreretur. Ratio autem est: quia illud est se directè occidere, quod nullo sine licet. Et hinc rejicitur Soti doctrina. Quia cum tabulam non accipere, quæ locum habet panis sit causa proxima, & necessaria interitus, idem est ac si iam acceptam deferret. Quid enim refert, an habeat in manu vel ante oculos, quam

posset, si vellet apprehendere facile? Sicut enim ille tantum negatiuè se habet non accipiendo tabulam, sic alter non accipiendo cibum. Nec illud est se immergere, cum passum non conferat vim. Et si non vti tabula habita, est se occidere, non eam accipere idem erit prorsus. D. Th. 67 enim cum docuit eum, qui non apprehendit panem se occidere, nihil distinguendum putauit de habente in manu, vel in arca, vel ante oculos. Et secundum hanc sententiam est secus de fugiente in bello. Pro salute enim spiritali, vel temporali regis bene liceret illum dare. Quia illa datio non est totalis causa, ac necessaria mortis: sed aliorum voluntas æqua, vel iniqua, vt dictum est. Ac proinde non liceret pro amico deferere, nisi in secundo casu, vel si bellum esset iustum, & contra infideles. Quia martyr esse posset, si vellet, cum iam sit causa finisque nobilior, vel si esset spes aliqua euadendi, vt supra dixi. Quia cum non est maius bonum, non licet, vt dixi, adhuc passiuè se habere, voluntariè ad mortem. Ex qua doctrina, & discrimine plura satis eruditè infert Coua. præcipuè per 10. numeros illius cap.

68 VERVM, licet hæc rectè dicta ab his doctoribus, & à nobis explicata videantur, non tamen omnino difficultate carent, quantum conijcere possum. Primum contra hanc doctrinam Couarru. & doctrinam Caiet. & D. Thom. quæst. illa 69. art. 4. videtur militare, quòd ipse D. Thom. fatetur esse laudabile necessaria naturæ à se auferre pro Rep. Non ergo est se interficere, vt Couarru. docet. Tum etiam quis dicat in casu illo supra posito de moriente in mortali, non licere dare cibum confessori? Tum etiam quia legisse me (ni fallor) memini apud Aug. & id refert ex August. Henric. Quodlib. 5. quæst. 31. quòd si quis sciat cibum esse immolatum idolis, potest, imo debet abstinere, etiam si fame moriturus sit, quod certè falsum esset, etiam si ad scandalum vitandum fieret. Si quidem in his omnibus casibus immediatè sine vllò actu alterius sequenda mors est, & per consequens esset sui occisio. Imo & multi laudant factum Eleazari, qui vt refertur 2. Machab. 6. potius voluit fame mori, quàm carnes porcinas manducare. Et ita sentit Adria. Quodlib. 1. art. 3. litera. R. & Gerson ab ipso citatus, Med. C. de pœnit. quæst. de integritate confessionis non semper facienda. Vnde scriptura 69 ipsa factum illud commendat, dum dicunt, *secundum diuinæ legis institutionem respondit*. Non ergo verum est, quòd cum ex actu positiuo, vel negatiuo immediatè sequitur, & ex natura rei mors, tum est sui occisio. Licet enim ille ad manus tyrannorum obierit: tamen mori fame potius volebat: quàm carnes porcinas manducare, vt ex litera patet. Denique quia D. Thom. quæst. illa 69. cit. docet esse sui homicidam eum, qui manet in carcere, cum fugere possit, & tamen constat non ex illo facto immediatè sequi mortem, sed ex voluntate iudicis, & aliorum. Neque satisfacit vllò modo expositio atque responsio Couarru. in d. nume. 10. opinantis eum esse D. Thom. sensum, & mentem, vt dicere solum intendat, quòd quemadmodum condemnatus ad gladij mortem, nec tenetur, nec condemnatus censetur, vt actum aliquem, ex quo mors sequatur, ipse agat, sed, vt patiatur mortem: ita damnatus, vt fame pereat non

non est damnatus, vt quidpiam, ex quo sequatur mors, efficiat: sed, vt patiatur sibi non ministrari alimenta. Ex quo (ait Couar.) non sequitur censere D. Tho. æquale esse, non sumere cibum, & à carcere non fugere. Non, inquam, satisfacit hæc interpretatio: nam D. Thomas in fol. 2. dict. artic. 4. sic ait: *Nullus damnatur, ita, vt ibi mortem inferat: sed, vt mortem patiatur*. Vnde non tenetur facere id, vnde mors consequatur, quod est manere in loco. Rogo enim hac ratione à Couar. Num manere in loco, vnde ad mortem ducatur, est sibi mortem inferre, aut non ita, sed eam ab alio patiatur. Si primum conuincitur intentum nostrum. Si alterum, quòd ipse docet, inepta ergo est Diui Thomæ consecutio. Siquidem ex eo, quòd nemo tenetur sibi mortem inferre, deduxit non licere manere in loco, ex quo ad mortem perducatur. Est enim argumentum à contrario sumere, non à simili. Siquidem manere in loco non est mortem agere, sed pati, vt Couar. vult. Sensit ergo D. Tho. sibi mortem inferre, qui manet in carcere, potens fugere. Et ob id, docuit 71 non teneri ad manendum, sicut de non sumente, cibum statim exemplificat. Atque eadem ratione reijcitur expositio Caiet. quæ vel eadem est, cum prædicta, vel parum ab ea dissidet. Neque verò in sententia Soti hæc difficultates euaduntur: nam D. Thomas quæst. illa 32. loquitur de eo, qui habet panem apud se, cum loquatur de eo, qui facit eleemosynam. Deinde, quia concedere debet habentem tabulam, vel panem, non posse porrigere regi, vel confessori, pro salute alterius spiritali, quod non est dicendum. Tandem illud ex August. militat contra Soti sententiam. Dicendum enim esset, verum esse, quòd Augustinus ait, si non haberet iam panem: non tamen si haberet, quòd friuolum est.

72 QVARE, vt verè dicam, hæc opiniones non omnino mihi satisfaciunt, putarémque aliter esse finiendam hanc controuersiam. Afferimus ergo secundò, posse quempiam, suæ morti cooperari, vno modo, actione positua, qua sibi immediatè necem inferat, vt se iugulando, venenum potando, in ignem conijciendo, vel se aliter præcipitando, vel suspendendo, & id nullo sine honestari posse, vt supra probauimus. Alio modo, negatiuè, scilicet non accipiendo id, quo vitam conseruaret, vt qui non sumit cibum, vel faciendo id, quo amittatur, siue ex tali opere, per se & immediatè sequatur occisio, siue non, nisi alterius actu intercedente, vt Couar. docet, siue iam habeatur, siue possit haberi. Et hoc non est de se malum, sed ex fine potest esse bonum. Cum enim sic 73 negare, id est, non conseruare vitam, etiam si possit, non ei imputatur, nisi quando tenetur: non autem tenetur secundum rectam rationem, nisi quando maius bonum concurrat, scilicet spiritalis proximi vita, vel reipublicæ temporalis: ergo ius naturæ, vel diuinum non obligat in tali casu cibum sumere: & ita mors inde sequuta, non imputatur ad homicidium non sumentis, etiam indirectè. Sicut nec imputatur nauæ, si eius absentia nauis demergatur, etiam si possit succurrere, quando eius absentia erat ob maius bonum, scilicet ob vitam propriam tuendam, vel salutem suam spiritualem. At illam positiuè, submergere nullo sine liceret, cum ex se deformitatem includat. Cum enim sit actio po-

74 tiua & realis, non potest non esse volita, at quando est negatiua, potest non esse volita, si alio fine præstantiori moueatur. Et huius sententiæ est Cordub. lib. 1. quæst. q. 38. in sexta ratione, & eius solutione. Victoria loco citato, nu. 26. quo docet, licere tabulam regi relinquere: & nu. 28. docet, quod non licet condemnato non sumere cibum, quæ contradictoria essent, si non saluentur ex diuersitate finis, vt dixi. Huius autem discriminis ratio est, quam eleganter tangit Ioan. Med. C. de rest. q. 9. versic. *Quintò obijcitur.* Quoniam aliud est damnum positiuè inferre, aliud illud permittere: nam vbi est pura permissio, reperitur, alia causa per se damni illati, cui damnum seu actio venit imputanda, quæ certè causa nullatenus fuit ab ipso permittente adhibita, sicut adhibetur ab eo, qui positiuè concurrat ad damnum, atque iniquam actionem.

75 ET per hæc facilè Sancti Thomæ contraria dicta conciliantur, quæstione enim illa sexagesima nona docet, quod non sumere cibum, est se occidere, quod verum esset, quando non faceret ob præstantiorem finem, quam sit vita propria: & idem docuit quæstione trigesima secunda: at quando bono fine faceret, ex commutatione circumstantiæ mutaretur voluntarium, & ita non esset dicendus sui homicida, quod ipse docuit, cum subiunxit, quod dare necessaria, status, & naturæ alicui magnæ personæ laudabile est, imò præceptum, vt benè ibi explicat Caietanus. Per eadem explicatur locus Diui Thomæ, quæstione sexagesima nona citata. Vbi pro eodem reputat non sumere cibum, & manere in carcere, quidquid Caietanus & Couarruias dicat: nam reuera vterque est sui homicida, si non conuenienti fine facit, quod si debito fine faciat, reuera non erit talis, vt bene adnotauit Ioan. Mai. dist. 15. q. 22. §. in fine Quidquid, vt dixi, explicet Caiet. & Couar. nu. 10. versic. 8. ex præmissis Med. & Adria. vt si quis maneret in carcere eo fine, vt in eo impleatur iustitia, & aliis se præbeat exemplum, licitum esset: imò se in carcerem conijcere, & iudici præsentare: est enim finis ille, bonum virtutis, vt constat. Eodem modo intelligitur locus Augustini: illa enim actio non est se occidere, sed cessare à sustinenda vita, propter magnum finem scandali, & religionis.

77 OB has ergo D. Tho. & Aug. auctoritates, & rationem factam nostra sententia sic explicata probabilior fortasse appareat, quam tandem hoc exemplo confirmo. Quia ex sententia Caietani, & Couarr. sequitur, quod Parrochus, verbi gratia, qui se sciret morbo pœnitentis certè esse inficiendum, si illius confessionem audiat, vel aliud sacramentum ad salutem necessarium, ministret, aliàs in peccato mortali morituro, non teneretur, imò nec licitè posset ministrare. Quod certè videtur contra omnium sententiam. Si quidem facit id, ex quo immediatè nullo alio posito, mors est consequenda propria. Eodem prorsus modo, ac ille, qui non sumit cibum. Quam nostram considerationem video apud Ioan. Mai. in 4. quæst. illa 22. qui asserit damnatum ad mortem, benè posse manere in carcere, etiam si posset fugere. Et similiter, quod posset non sumere cibum, si iustè damnatus est, vt paulatim fame pereat: ille enim habet finem virtutis, qui est præstantior sua vita, sicut cum habet
pro fine

pro fine salutem spiritualem proximi, vel temporalem reipublicæ. Vnde Diuus Thomas cum negauit vtrumque casum, intelligi debet, quando vel iniustè esset damnatus, vel iustè: ipse tamen non eo fine faceret, sed ex ira vel passione, vel certè bono aliquo fine, insufficienti tamen, vt adnotauit ipse Couar. c. illo. 2. nu. 10. §. 7. Adde, quod ex dict. Couar. sententia sequitur, quod esset iniusta lex, quæ præciperet, ne aliquis cibum sumeret. Quam tamen fuisse multis temporibus in Hispania scimus. Item regulas quarundam religionum damnaremus, vbi tanta est pœnitentia, & vitæ asperitas, vt vix saluari possit, eos non sibi notabiliter vitam abbreviare. Qui per prædicta saluari possunt, cum negatiuè habeant non sumendo omnia necessaria ad vitam, & præcipuè cum infirmi sunt ad valetudinem, & ob id, ob finem altiorem, de quo, dubitatione sequenti sermo redibit. Denique prædicta doctrina ex eo confirmari videtur, quod, vt ait Ambrosius, *Si non paviisti, occidisti*, indirectè scilicet. At si quis non præberet, quia vel ipse, vel suus pater, vel respublica indigeat, non propterea diceretur occidere illum extraneum: cuius nulla ratio assignari potest, nisi, quia hic se habet negatiuè ad mortem alterius, propter meliorem finem: quod tamen sibi non imputatur, ibi tamen nullus est melior finis, & ita meritò, si non pavit, occidit: & tamen certum est, vt infra dicemus, nunquam licere innocentem occidere positiuè, vt gladio, vel veneno, propter illum meliorem finem, scilicet salutem meam, vel patris: signum ergo est euidentis nostræ doctrinæ. Et quod magni refert negatiuè, vel positiuè se habere, vt supra diximus, & in specie docet Cordub. libro primo quæstionum, q. 33. in sol. ad quartum, & quod multum refert ei etiam, qui negatiuè se habet, quo fine moueatur ad permittendam suam, vel alterius mortem. Denique omnes fatentur, vt infra dicemus, hominem de bello fugientem, qui necessario innocentem est conculcaturus dormientem in via angusta, non posse fugere, sed teneri gradum sistere, & tamen ex mansione sequitur eius mors.

80 DICES cum Couar. quod non sequitur necessariò, & directè, sed ex aliorum voluntate. Pone, quod pestis vrgeat, vel grauis cœli influenza, vel fluminis submersio, vel bestiarum ferarum impetus, quæ fugere non potest, nisi innocentem occidat. Ecce naturales & directas causas mortis, & tamen manere tenetur. Iam ergo obligaretur se occidere, si vera esset sententia Couar. quod non facere, vel facere id, ex quo mors per se & immediatè sequitur, est seipsum occidere. Hæc doctrina explicari etiam lucidius potest, per ea, quæ de peccato communiter docet Theologi: peccatum enim committere positiuè nunquam licet, quocumque fine mouearis. Nam eo ipso, quod directè facis, non potest non esse volitum peccatum, quod nullo fine potest esse licitum: at negatiuè concurrere, id est, non vitare peccatum, cum possis, si meliori fine moueris (quod est permittere) licitum est, nec tibi imputatur, quod tamen imputaretur, si nullo fine, aut insufficienti faceres. Et ita Deus Opt. Max. qui à peccato longè abest, permissiuè & indirectè se habet, nolens impedire sæpè cum possit, ob fines, vel suæ iustitiæ manifestandæ in puni-

niendo, vel misericordiae in ignoscendo, vel ob alios sibi notos: imò vt Nauarrus, & alij docent, etiam homini id sæpè licet, vt si pater permittat filium sibi furari, vel aliud peccatum committere, quo illum postea salubriùs & meliùs corrigat, quod infra latiùs explico, capite sexto.

81 A D calcem huius dubitationis placet interrogare de sumente venenum specialiter: an sit sui homicida, propriè, & directè? Victoria numero illo tertio, putat non esse positiuam occisionem, & ita licitum esse, ob iustum tamen finem, & posse esse legem ad id obligantem. Cui addo id, quod de Socrate legimus, & à Cicerone, & aliis maximè laudatur, qui mortiferum bibit poculum, &c. Sed mihi non placet ista sententia: si enim ille ignitum ferrum, vel plumbum ardentem liquidum sumeret, quis dubitat, quin se interimeret. Si enim qui se in flumen iniiceret, planè se occideret, ergo multò magis, qui aquam ipsam, respirationem, & vitam auferentem, sumeret intra stomachum, vel ignem
82 ipsum, ergo & qui venenum. Quid enim refert, an calore, vel frigiditate nimia, mors eueniat, si vtrumque ab eodem applicatur? Præterea, liceret etiam sibi venam abscindere, vt paulatim deficiente sanguine, moreretur, vti quidam molles animo fecerunt, vt suauitè morerentur. Quid enim interest, an in fundendo mortiferum, an effundendo quod est vitale, pereas? Denique ex Victoria sententia, qui non sumit cibum, seipsum occidit. Nónne ergo magis de proximo se habet ad mortem, qui potum venenosum in stomachum iniicit.

83 E T per hæc resoluenda est dubitatio de sumentibus venenum, vel permittentibus se ab scorpione, vel vipera morderi, vt triachæ virtutem experiantur à pharmacopolis. In quo Nauar. c. 15. nu. 8. refert opinionem dicentium non esse mortale, dum tamen quædam concurrant. Primum, vt componens illam pro homine legali habeatur. Secundò, vt in bruto animali periculo facto, virtus eius comprobata sit: & quòd sumès eam, credat esse talem, & nullum esse mortis periculum. Ipse verò putat post factum veram esse hanc opinionem: sed ante factum eam damnat. Sed certè id mihi displicet: si enim est homicidium, vel aliud peccatum mortale ante factum, non minùs erit post factum, & peccati mortalis, & pœnitentia imponenda. Quòd si post factum non damnat peccati mortalis, & non ante factum, variat naturam rerum. Quare ego dicere in hac re, quòd stantibus conditionibus prædictis, vel aliis, quibus sit probabile, non sibi nociturum venenum, licitum est accipere. Est enim ac si non acciperet quoad effectum moriendi. Si verò talis probabilitas non adsit nullo fine, licitum putarem. Est enim directa & positua occisio sui, vt infra dicemus. Et idem iudicandum est de eo, qui aliquo vtitur loco, cum periculo probabili vitæ, vt qui ambulat per funes altissimos volitans, l. qui ex turre vel ponte se in fluuium præcipitat, vt ait Nauar. nu. 8. & Syluest. verb. Ars. Secus si viribus & velocitate ita polleat, vt prudentis arbitrio non sit tale periculum. Facit (ait Nauarrus) Extravagante prima, de Torn. Ioan. 22. sed parum ad rem meo iudicio. Ibi enim. Primum, non approbantur torneamenta & Hastilidia, sed tantum prædecessoris sententia de excommunicatione, reuocatur, & cum
84 irregula

irregularitate inde contracta dispensatur. Deinde, vt ibi constat, non erant torneamenta prohibita ob periculum homicidij, sed quia impedimentum præstabat profectiõni ad terram sanctam & ita parum agit ad rem. Simile enim mihi videtur decretum istud, & illud, quod de reuocatione censurarum edidit Gregor. 13. Rom. Pontif. quas tulerat Pius V. eius prædecessor circa taurorum agitationem. Greg. enim non probauit factum: sed amouit censuras. Vnde ex eius Extravag. argumentum sumi non potest, vt licitus sit huiusmodi ludus, de quo infra sermo redibit.

85 QUINTA difficultas sit, quæ etsi præcedenti appendi potuisset, tamen placuit specialiter ac separatim tractare, an liceat asperitatibus, ieiuniis, & corporum afflictionibus ita vti, vt vel saluti noceat notabiliter, vel vita notabiliter abbrevietur. Nauar. cap. 15. num. 120. putat esse peccatum mortale si aduertit sibi vitam decurtare, etiam si non ea intentione faciat. Probat ex c. non mediocriter, de Conse. d. 5. quòd sensit Coua. 1. Varia. cap. 2. num. 10. Caiet. 2. 2. quæst. 147. art. 1. Quamuis si non animaduertatur vitæ diminutio non erit peccatum: si aduertatur, & præuia causa pietatis, & mortificationis fiat, erit veniale, vt Caiet. & Couar. docent: si non ea causa fiat erit mortale vt idem fateatur Sor. de tegendo secreto, membr. 1. quæst. 3. con. 3. in confir. 5. arg. Cordo. in annot. super eum locum. Et prob. Primum quoniam vt dictum est nemo est dominus vitæ vel salutis, ac per consequens sui homicidæ, cenferi posse videntur. Deinde, quia id Apostolum damnasse apparet, cum dixit, *rationabile obsequium vestrum*. Vnde ad Timoth. scribens ait, *utere modico vino propter stomachum, & assiduas tuas infirmitates*. Præterea, quia corporis castigatio de se non est bona, aut mala, sed in quantum deseruit mortificationi appetitus, & passionum animi inordinatarum, iuxta illud Pauli, *castigo corpus*, & illud eiusdem, *carnis curam ne feceritis in concupiscentijs*, quem locum Hier. in d. c. Non mediocriter, adducit reprehendens immoderatas abstinentias. Ergo id tantum est licitum, quantum ad eum finem deseruit, ultra quod, & contra rationem agere videmur, & esse Dei conditioni inimici. Deinde: quoniam, qui votum faceret immoderatarum afflictionum animæ planè peccaret, & implere non teneretur, vt docet D. Thom. 2. 2. quæst. 88. art. 2. ad 3. id ergo est quia materia est illicita, & impedit maiora bona. Vnde in regula religiosissimorum ac sanctissimorum Patrum Societatis Iesu à Sede Apostolica approbata sic scribitur. *Corporis castigatio immoderata esse non debet, nec indiscreta in vigilijs, & abstinentijs, & alijs pœnitentijs externis ac laboribus, qua & nocumenta afferre, & maiora bona impedire solent*. Quæ constitutio ac regula desumpta mihi ad verbum videtur ex Beato Hieron. relato in d. c. Non mediocriter, quem refert Polycarpus lib. 3. tit. 25. sine authoris nomine. *Non mediocriter (ait Hieron.) errant, qui bono magno præferunt mediocre bonum, vt propter abstinentiam immoderatam, & indiscretam psalmodum, aut officiorum decantationem, aut amentiam, aut tristitiam notam incurrant*.

FACIT & illud Apostoli: *Exercitatio corporalis ad modicum utilis*

est pietas autem ad omnia valet. Vnde Hieron. quem citat D. Thom. 2. 2. quæst. 147. artic. 1. ad 2. & refertur in d. c. non mediocriter de conf. d. 7. Non differt vtrum magno, vel paucio tempore te interimas. Quia de rapina holocaustum offert, qui vel ciborum nimia egestate, vel māducandi, vel somni penuria corpus affligit. Ac proinde D. Thom. ibidem ait contra rectam rationem esse, tantum de cibo subtrahere, vt natura conseruari non possit, vel vt homo reddatur impotens ad debita opera peragenda. Sed quoniam ista parum ad restitutionem facere videntur, placet breuiter hæc resolvere. Dicimus ergo. Primum neminem teneri etiam si possit, ad vitam prolongandam, vti cibus delicatioribus: sed communibus naturaliter productis. Ita sensit in specie Couar. vbi supra, Mai. in 4. distinct. 38. quæst. 24. Adrian. Quodlib. 4. artic. 3. ad 4. Gerson tractatu de abstinencia. Carthuf. à carnibus, Sotus 5. de Iust. quæst. 1. artic. 5. ad 1. & Cord. lib. 1. quæst. quæst. 38. in fol. ad 4. Secundò certum est, quòd si animaduertens se vitam notabiliter minuere vtitur prædictis ieiunijs, vigilijs, abstinentijs, psalmorumque decantatione, nisi causa pietatis, vel ignorantia inuincibili faciat, peccat mortaliter, vt Caiet. & Couar. & cæteri planè confitentur, cum passionis, desperationis, & temeritatis opus sit in re graui. Tertiò videtur, eas abstinencias, vigilijs, & labores esse licitos & laudandos, 89 qui ex regula sunt instituti. Ij enim putandi sunt non esse contra rationis & discretionis regulam. Cum & à Summis Pontif. sint probati, & multorum sanctorum doctorumque virorum in talibus congregationibus viuientium vsu confirmati, & ad veram animi, & passionum mortificationem, & veras virtutes assequendas accommodati, & ad proximorum denique ædificationem, & singulare pœnitentiæ, & virtutis exemplum.

QUARTO dicimus eas afflictiones ac corporales labores, qui à priuatis eorum personis, vel superioribus concedentibus, vel præcipientibus, vel subditis ipsis voluntariè sumentibus, cum discretionis & rationis regula esse sumendos, & continuandos. Qui verò sint tales, & qui contra regulam certam assignare non possumus, quisq; sibi iudex erit, secundum ea quæ in argumentando proponebantur, manifestando ea suis prælatis & confessoribus, ne dæmonum illusionibus decipiantur. Cui periculo magis sunt expositi hæremitæ, &c. Qui non habent, quem consulant, & ideo debent frequenter pios, & peritos viros, adire. Vt enim ait author illius summæ pietatis, & diuinæ cuiusdam sapientiæ, libelli de Imitatione Christi, vulgo contemptus mundi, &c. Et, vt ait regula sacriæ Societatis Iesu, totam suam animam aperire debent, quam integrè suis superioribus manifestam esse pergratum habeant: nec solum defectus aperiant, sed etiam pœnitencias, vel mortificationes ac virtutes omnes, voluntate pura optantes ab illis dirigi, sicut à rectitudine deflecterent, nolentes suo proprio sensu duci, nisi 90 conueniat, cum iudicio illorum, qui Christi Domini nostri locum habent, &c. Nam, vt Apost. ait, sape Satanas in Angelum lucis se transfiguratur. Sed cum hæc ad institutum non faciant, prætermitto.

ILLVD

ILLVD breuiter dicā, dubiam, & difficilē mihi videri eā distinctionē quā efficiunt Caiet. & Couar. loco citato, de eo qui præuia pietatis causa bonoque zelo sibi vitam abbreviat, quem peccare venialiter putant. Eum verò qui eo fine & intentione seclusa, fecerit, lethaliter delinquere. Hæc inquam dicta facere difficultatem videtur. Si enim semel peccatum concedant, cum materia leuis non sit, sed grauis, & alioqui motus non sit subreptitius, vix tandem intelligo, quo pacto sit tantum veniale peccatum, & non potius mortale. Si enim eo fine non faciens peccat, cur finem esse bonum tollet malitiam obiecti, & veniale efficiet. Quod si tolleretur: tamen in totum tolleretur, vt opus licitum redderetur. Quo modo enim si malum relinquatur, & circa idem obiectū ratione finis erit malum veniale? Itaque rogo ab his potissimum doctoribus, isto modo. Cum vitam sibi notabiliter minuere ac decur- 92 tare, sit malum ex obiecto, sicut est grauem infirmitatem, aut morbum grauem procurare, aut id efficere ex quo sequatur, & sicut etiam est malum se mutilare, & occidere. Quemadmodum, si ista pietatis causa fiant non excusantur à mortali, nescio cur & illud excusetur: vel certè si excusatur, vt dicebam in totum deberet excusari, cum neque ex parte materiæ sit paruitas, nec ex parte voluntatis. Et ita videtur liberè tradita illa distinctio. Quid ergo dicendum? Iam sanè respondi, quid in ijs actionibus, ne erretur, agendum putarem. In eo casu magis posset recipi præfata sententia (si admittenda esset) quādo quis ita pietate ac bono zelo moueretur, vt non aduertens: sed ignorātia quadam sibi licitum putaret fore, sicut etiam plures, qui prædicto zelo, & intentione bona sibi abscinderēt digitos, vel virilia, vt quæst. sequenti explicabimus.

SIXTA dubitatio, vtrum liceat seipsum mutilare? Videtur enim 93 esse illicitum quocumque fine fiat, etiam ad sanitatem. Quia vt supra dictum est, homo non est dominus membrorum, sicut nec vitæ, & cum propterea dictum sit se occidere nō licere, etiam ob altissimum finem vel reipublicæ, vel animæ proximorum, vel propriæ, consequens est, vt neque mutilare se liceat ob aliquem finem.

PRIMO certum est, quòd si quis authoritate publica (quia alias est dignus) sibi membrum amputauit, an peccet mortaliter est eadem quæstio cum ea de occidente seipsum, cum iustè ad id genus mortis est damnatus, vt in se mortis sententiam exequatur, quod supra sub dub. relinquere voluimus: minor tamen est difficultas de mutilatione, vt statim dicemus. D. Thom. 2. 2. quæstione 64. ad 6. ad secundum, & 94 Sotus libro quinto, de Iust. & iur. quæstione prima articulo quinto ad 2. planè fatentur non esse licitum iudicem etiam si dignus sit morte vel mutilatione, propter quodcumque peccatum seipsum occidere, quod non solum vidētur sentire de executione sententiæ, ita vt non liceat in se manus iniicere, sed etiam de iudicio, ita vt non liceat se ad mortem condemnare sententia. Subdit enim: *Licet autem ei se committere iudicio aliorum.* Quasi patenter dicat sibi non licere de se iudicium facere, vel ab alio iudicatum sibi mortē inferre. Secundò, certum

B 2

- est, quod si quis priuata autoritate, nullo fine, vel non sufficienti sibi membrum ipse amputaret, nempe ex impatientia, ira, verecundia, vel alia passione peccaret mortaliter. Dixi bono fine, sed non sufficienti propter eos, qui vel ignorantia, vel bono zelo, sed non secundum scientiam, id fecerunt. Vnde Origen. lib. 6. cap. 6. hist. Ecclesiast. fertur se castrasse, vt ad litteram (vt putabat) verbum Christi impleret, de ijs,
- 95 qui propter regnum cœlorum seipso castrauerunt, vt securius per domos prædicaret mulieribus, quod illi flagitio tribuitur, vt habetur 55. distinct. cap. Si quis à medicis. Et Marci factum, qui sibi pollicem amputauit ex humilitatis abundantia, ne sacris initiaretur, nisi ex Dei reuelatione, (quam piè credi potest intercessisse) excusetur, laude dignum non est. Et ita docuit Sor. lib. 5. quæst. 2. artic. 1. concl. 3. Nauarr. cap. 14. num. 8. & 11. Et ratio est plana, quia sicut nec vitæ, ita nec membrorum quis dominus est, & ita mortaliter peccat contra sui dilectionem, quam naturali & diuino iure seruare debet. Et denique omnia, quæ supra de occidente se attulimus, eadem prorsus huius actus deformitatem probant. Et multò magis vbi quis non bono zelo & intentione, sed ex impatientia, dedecore, paupertate, aut alio infortunio id
- 96 facit. Et de his loquitur cap. Si quis distinct. 55. Quamuis enim absolute loqui videatur: tamen reuera loquitur extra necessitatem corporis, vt patet ex can. Si quis 2. & 3. eadem distinct. & cap. Si non licet 23. quæst. 5. Et apertius in cap. Ex parte, & cap. Significauit, de Corpor. viciat. id decreuit Clemens 3. citans prædictum cap. Si quis à medicis, distinct. 55. his verbis, Sanè cum secundum statuta Nicæni Concilij, illi ad clericatus ordinem prohibeantur accedere: si etiam in clericatu fuerint, cessare debeant, qui se ipsos sani absciderunt, vel affectauerint, vt ab aliis abscindantur. Quod ipsum sancitum est ab Innocen. 3. in epist. ad Felicem Nucernianum Episcopum, vt refert Burchar. lib. 2. cap. 14. ex prædicto Concil. Nice. c. 10. Vnde isti tales sunt irregulares, & si clericus est, vt quibusdam videtur (ex quibus est Nauar. vbi supra) est excommunicatus. Sed de his alibi copiosius.
- 97 TERTIO videtur, quod propter corporis salutem non solum esset licitum permittere se truncari membro, sed etiam id in se exequi potest. Ita plane docuit D. Thom. quæst. illa 68. art. 5. ad tertium, Sotus, & Nauar. locis citatis, Syluest. homicid. 1. quæst. 1. dict. 1. & homicid. 3. quæst. 3. dist. 1. Ratio est plana, quia ius habet totum ad sui salutem cum damno partis non solum, vt ait Sor. quia cum sit idem esse totius & partis, salus totius est salus partis, & ita si totum periret, pars consequenter periret: vnde videmus brachium naturaliter inclinari ad defendendum caput, vel totum corpus cum sui periculo: sed etiam quia totum est principaliter bonum & finis partis, & ita etiam si per se haberet esse (vt patet de parte morali, quæ non est coniuncta in vnitatem suppositi) deberet exponi pro salute totius, & id plura iura docent. Nec iudicio nostro ille esset irregularis.
- 98 SED rogas an id etiam verum sit, quando non ex morbo naturali, sed fortuito, vel igne inuadente, vel ex hoste irruente. Et est casus Soti,

Soti, vt si quis in bello haberet manum sagitta transfixam parieti, an liceret, vt mortem fugeret vi brachium extrahere ibi manu relicta. Sotus dicit in eo casu & similibus esse licitum, sicut de morbo omnes fatentur. Quia inquit illud est ab intrinseco, & idè est, si canis dentibus aliquem teneret, vel occlusus per fenestram exiret cū periculo frangendi membrum: at quando est ab extrinseco, quando scilicet quis mihi minatur mortem, nisi refecem linguam, vel manum, non liceret secare ob rationem factam, sed certe vix ego discrimen assequi possum inter ista duo. Si enim cū necessitas est ab extrinseco, licitum est vel seipsum refecare, vel id voluntariè pati ob ius maximum, & id naturale, quod totum habet ad sui conseruationem cum detrimento partis, non certe peioris conditionis debet esse innocens propter alterius ma- 99 litiam. Vtile enim non vitatur per inutile, vt patet. Quid enim refert, an ab homine, vel à cane, vel à ferro cogaris?

DICIS, quòd licet id cōcedi posset de truncatione negatiua, vt si hosti manum porrigeres, vel linguam abscindendam ob salutem totius: tum id per te exequi, & efficere est intrinsecè malum, cū sit positium sui homicidium. Et ita nullo fine possit bene fieri. Respondetur. Primum, id argumentum mutilum, & ideo nihil probare. Sequeretur enim, quòd quando est necessitas, vt Sotus loquitur, ab intrinseco non liceret refecare membrum, sicut nec se occidere. Respondetur, vt simul argumentum in principio factum resoluamus, quòd se posituè mutilare non habet intrinsecam malitiam, sicut se occidere. 100 Cuius rationem reddit D. Thom. in illa solut. 3. Quia homo est lib. arb. in his, quæ pertinent ad præsentem vitam, & tale est membri mutilatio ob salutem, at transitus de hac vita in aliam, non est sibi commissus, sed Dei voluntatis est. Rectè sanè. Ego aliter respondeo (non quòd hanc D. Thom. solutionem minus sufficientem putem, quòd esto, nullus sit dominus vitæ, sicut nec membrorum: tamen qui se occidit ideo peccat, quia iniuriam infert corpori, illud vita priuando, cui iuri nullus potest renunciare Deo sic iubente. At qui mutilat ob saluandum corpus, nullam ei iniuriam facit, sed potius eius bonum procurat, & ita non habet ex se vllam deformitatem, sed laudem.

DICIS. Liceret ergo se occidere ob bonum reipub. Quia eius bonum procurare licet, cū etiam sit membrum, & pars reipub. Respon. non esse simile: quoniam ius totius moralis, vt est reipubl. non est naturale: sed ciuile, at ius totius corporis, qui dat parti esse & viuere, est 101 naturale & maximum, & propterea natura ipsa liberrimam facultatem præbenre, licet pro salute corporis membrum refecare: non tamen pro salute reipub. se interimere. Sed num liceret pro salute reipub. vel speciali proximi se mutilare? id sanè pati, sicut & morti se offerre planè licet, sed exequi, dubitabilis est articuli, etiam si autoritate publica fiat, vt supra dixi. Secundò rogas. An ad id cogi posset à principe, vel prælato, saltem vt pateretur mutilationem? Respon. ob delictum planè potest, sicut ad mortem cogi posset ferendam. Secundò propter reipub. salutem, etiam potest. Quia, vt infra dicemus, ipse tenetur non

solum membrum: sed vitam offerre. An verò ipse se ob eum finem refecare possit dubitatio est, vt dixi. Quia non videtur esse illud maximum, & naturale ius, vt licitum videatur, sibi manus iniicere ad vulnus, vel abscissionem. Et primò, iura citata simpliciter docent non licere, nisi causa infirmitatis vel mortis corporis. Et Sotus planè docet lib. illo 5. quæst. 2. artic. 1. conclus. 3. Tertiò, putat Sotus cogi posse à prælato proprio, sicut etiam potest cogi, vt alia medicamenta sumat: quamuis si esset ingens dolor subeundus non teneretur: at à republ. cogi non potest. Primum placet, quod ait de ingenti dolore. Non enim credendum est Deum obligare, vt vitam cum tanto dolore seruet. Deinde putamus concedi posse, quod ait Sotus, quod à republ. non potest, benè tamen à prælato cogi. Et probari possent: quia potestas iudicis tantum est respectu boni communis immediatè, ideo cedere potest huic fauori, & ita à republ. cogi non possent: at à patre vel à prælato cogi possent, cum illis priuatum bonum huius, & cura sit commissa. Quamuis ergo aliter dicerem, quod tam à republ. quàm à patre vel prælato cogi possent. Cum enim ipse teneatur iure naturali media licita ponere ad sui conseruationem. Quis enim non damnaret eum, qui absque magno dolore cum possit saluti corporis succurrere, se mori permetteret? Cum ergo teneatur iure naturali & diuino, certè à principe ad id cogi possent. De irregularitate ex mutilatione voluntaria plura hic dici poterat notatu digna, quæ ne modum excedamus, dimittimus.

Si r ergo septima dubitatio vtrum pro vitanda fornicatione liceat se occidi permittere v. g. Minatur tyrannus vel alius iniquus homo, vt rem cum viro, aut secum mulier honesta habeat. Alias eam interempturum, an illa possit vel teneatur mortem subire? Respon. Primum consentire etiam ob mortem vitandam in fornicationem non licere, cum sit peccatum, vt constat: & ita mors illi non imputatur, cum negatiuè se habeat ad mortem, & pro bono virtutis, quo tenetur nõ peccare. Secundò dicendum, esse idem de viro, cui ob nullum mortis metum licet coire vllò modo. Quomodo enim id facere potest sine consensu? Cum enim actiuè concurrat, planè consentire debet. Tertio ergo putamus de fœmina, quòd si eo casu negatiuè se habeat immota manès, licet in foro exteriori iudicaretur rea adulterij, vel stupri, quia tacuit, tamen in foro animæ, si interius non consentiat licitè potest se finire cognosci. Ita docuit Sor. vbi supra. Dum enim nec cõsensus est, nec periculum consensus, non est peccatum. Et ita ad vitandam mortem potest finire se corrumpi, & per se consequens morti cooperaretur propriæ, si resisteret. Cum possit se licitè liberare. Quæ enim inuita patitur, non solum absoluta violentia, sed etiam ex metu mortis virginitatem non amittit, cum non consentiat. Licet neq; etiam dissentiat, sed negatiuè se habeat. Non enim inquinatur corpus, nisi de consensu mentis, vt B. Lucia aiebat. Vnde egregiè declamans quidam, de Lucretia, quem refert August. 5. de Ciuit. cap. 20. ait: Mirabile dictu duo fuerunt, & vnus adulterium commisit, cuius castissimam voluntatem lau-

dat

dat ibi August. & tamen constat non vi: sed metu mortis oppressam fuisse. Quia tamen difficile putamus ob vehementem naturæ, in hunc actum, inclinationem & delectationem, non consentire, ideo licitè poterit id periculi præueniendo resistere etiã morte spreta. Tum enim laudabiliter pro virtute moreretur, & ne inde offensam fortasse incurreret: sed ad id efficiendum non putarem teneri, vt dixi, nisi probabili periculo consentiendi se exponeret. Est namque naturæ vitæque tuendæ maximum ius.

OCTAVA dubitatio sit, quando licitum sit & sub præcepto mortem subire voluntariam pro Christo, & fide tuenda, vt martyres fecerunt. In quo suppono fuisse hæresim, vt refert Castro verb. martyrium Elcesaitarum esse, exterius negare Christum. Quæ doctrina homines à martyrio auertebat. Quia dummodo corde fixus sit Christus, ore nihil refert negare tempore necessitatis. Ita refert Euseb. lib. 6. histor. Eccles. cap. 28. Hic error planè conuincitur. Primum, quia est mendacium quod nulla necessitate licitum est. Os enim quod mentitur occidit animam, Sap. 1. Deinde, quia Matth. 5. planè dicitur qui me negauerit coram hominibus, &c. & illud, qui amat animam suam, &c. & ad Ro. 10. Corde creditur ad iustitiam, ore autem, &c. Item quia iure diuino tenemur esse testes resurrectionis, & virtutis Christi. Hoc enim significat nomen martyris, iuxta illud eritis mihi testes in omni Iudæa, &c. Actor. 1. Testimonium autem nõ datur solo corde, vt patet. Maximè si eam ore neget testificando contrarium, vnde sit falsus testis. Vnde Prou. 21. Testis falsus peribit. Teneatur ergo veritatem palam confiteri, vt sit verum, & præstat tollerare mortem quàm negare vitã vt simus testes fideles. Denique quia talis negatio est in dedecus Christi & contumeliam: quod apertè est illicitum, & maximum crimen. Secundò supponendum est, quod se positiuè occidere pro fide nõ est licitum, vt supra diximus (nisi de speciali reuelatione atq; impulsu fieret, vt de Samsone & sanctis quibusdam fœminis supra diximus.) Nec id licet ob peccatum commissum, & oppositum est hæreticum, quæ fuit hæresis Petiliani, vt recenset Castr. lib. 10. verb. martyrium. Qui error satis conuincitur ex factò Iudæ, qui dolens de peccato Matt. 27. se suspendit pœnitentia ductus. Atque idem est iudicandum de mutilatione propria, quamuis id supra sub dubitatione reliquimus, vt aliæ mulieres sanctæ fecerunt, quæ in martyrio linguam dentibus truncatam expulerunt. Quod verò aliæ rogabant carnificem vel tyrannum, vt sibi mortem pro Christo inferrent (vnde Laurentius dicebat, assatum est, versa & madauca) non tam animo ei consilium illud dandi dixisse sunt credendi: quàm ostendendi propriam pro Christo fortitudinem, & virtutem & tyranni indefessam malitiam. Vnde non sunt censendi propriæ mortis cooperatores, & ita iudicio nostro explicari possent illud Christi ad Iudã. Quod facis fac citius, non quod ipse consuleret nefandũ scelus: sed quo ostenderet eius fortissimum & inuidissimum animum, quo mortem citò superare cupiebat iuxta illud: Baptismo habeo baptizari, & quomodo coarctor donec perficiam illud.

TER

TERTIO præsuppono martyrium ex obiecto esse licitum, nisi aliqua mala circumstantia deprauetur, tanquam de fide tenendum, quod ut excellens religionis & virtutis opus Ecclesia semper ita colendum putauit, ut ob id dumtaxat martyres in sanctorum numerum retulerit, censueritque per actum martyrij omnia condonari peccata, & veluti quodam baptismo sanguinis (sic enim à magistro suo appellatum videmus) homini gratiam & gloriam conferri. De quo aliàs. Huius autem virtutis perspicua laus est in Euangelio docente Christo. *Qui perdidit animam suam propter me inueniet eam.* Et Paul. ad Heb. II. Miras martyrum laudes narrans ait: *Quibus dignus non erat mundus*, sanctos eos aperte nominans, cum dicit, *sancti per fidem vicerunt regna.* Vnde Stephanus primus martyr in ipso martyrij actu *vidit celos apertos, & Iesum stantem à dextris virtutis Dei*, ut habetur, Act. 7. Et ita superuacaneum putamus ista altius repetendo probare.

QUARTO contra putamus vitiosum ac mortale peccatum contra propriam dilectionem martyrio se indiscretè offerre, ut ait Nau. c. 15. nu. 12. Quod tunc contingit, si ex odio vitæ vel non in fidei, & Christi honore, sed potius in dedecus & irrisionem cederet. Vnde permultos sanctissimos viros legimus latuisse tempore persecutionum. Nec se morti, cum necessarium non esset ineptè obtulisse. Idem etiam esset si quis in Ecclesia esset maximè necessarius. Tum enim non laudabiliter se exponeret. Sic enim prudenter plures sancti Pontifices & prælati fecerunt, ut Sylu. Athana. & alij, qui suam vitam, multo plus Ecclesiæ profuerunt, quàm morte profuissent. Vnde Christus R. N. *Cum vos (inquit) persequentur in una ciuitate fugite in aliam.* Nec ij suam vitam amore, sed fidelium necessitate fecerunt. Et ita Paul. *infirmatus*, inquit, *sum usque ad mortem, sed dominus misertus est mei propter vos, ne tristitiam super tristitiam haberem*, cum tamen aliàs (si ad se tantum respiceret) dissolui cuperet & esse cum Christo. Et S. Martinus: *si populo tuo sum necessarius, non recuso laborem.* Igitur quandoque martyrio se offerre vituperio, in vita verò manere laude dignum videtur, cum præsertim non ad honores, & delicias, sed ad sollicitudines Ecclesiarum, & labores pro Christo, & fratribus perferendos manendum sit. Tum ergo est laudabile cum fructus speratur vel in fide seminanda, & propaganda, uti nostris temporibus religiosi sanctissimæ Societatis apud Indos, nec non & alij sanctissimarum religionum viri felicissimè summa cum laude, atque constantia, præstant: sed non quandoque est laudabile, est obligatorium. Quare dicamus oportet, quando martyrium sit in præcepto.

QUINTO ergo existimamus tum hominem teneri vitam pro Christo offerre cum si non faceret vituperio esset apud infideles ministerium nostrum. De ijs enim ait Christus, *qui me erubuerit coram hominibus, &c.* Et, *nolite timere eos qui occidunt corpus, &c.* Et illud: *Qui amat animam suam, id est, vitam suam, perdet eam*, & ratio est plana, quia plurius facere vitam quàm Christi honorem & fidei manifestum peccatum est. Vnde B. Petrus mortaliter peccauit Christum metu adhuc mortis negando,

negando, & omnes illi, qui tempore persecutionis publicæ retrocesserunt, & Christiani, qui hodie apud Turcas Christum negant metu mortis, vel alterius damni, qui aptiores sunt ad æternum interitum, iuxta illud, *qui mittit manum suam ad aratrum, & respicit retro non est aptus regno Dei.* Dubitatio, ergo est, an liceat sitque laude dignum pro quavis virtute mortem oppetere, & an sit verum martyrium, D. Thom. 2. 2. quæstione 124. articulo vltim. Palud. & doct. in quarta distinctio. 49. Sylu. est. & Summistæ in verb. martyrium concorditer fatentur esse verè actum martyrij. Dicunt enim martyrium esse veritatis diuinæ testificationem, Ratio D. Thom. est: quia opera bona facere, & mala vitare, sunt fidei quædam protestationes iuxta illud Iaco. *Ego ostendam tibi ex operibus fidem meam.*

PRIMUM in hac dub. mihi videtur verissimum esse hanc doctorum resolutionem. Siquidem Ecclesia Ioan. Baptistæ martyrium celebrat, quæ constat non in odium fidei esse interfectum, sed quia adulterium reprehendendo, testificabatur. Vnde in odium alterius virtutis est occisus. Secundò viderur, quòd martyrium non necessariò includit veritatis diuinæ testificationem, licet supradicti authores id docerent. Quamuis enim martyrium à testificando dicatur: sed tamen aliud est à quo nomen imponitur, & aliud ad quod imponitur, & id est (iudicio meo) vitam pro Christo profundere, siue id fiat veritatem asserendo, quod est testificari, siue virtutem colendo. Quod ex eo constat: quia omnes fatentur, & est consuetudo recepta, aliquorum martyria celebrantur, quos constat non fuisse interfectos, ut fidei veritatem negaret, ut constat de Ioan. Baptista, & Thoma Cantuariensi episcopo. Dices cum D. Thom. iam isti operibus fidem protestabantur. Sed sanè id non videtur, cum constet illos actus non pertinere ad fidem. Quamuis enim protestatio exterior vocalis, qua quis firmiter dicit se esse Christianum, & etiam cum non verbo, sed opere religionis veritatem profitetur, suscipiendo Christi sacramenta, & cæremonias nempe die Veneris carnis abstinendo, &c. quæ licet exterior, dicitur tamen fidei confessio, eiusdem prorsus rationis cum actu interiori fidei, vnde, *corde creditur ad iustitiam ore autem confessio fit ad salutem*: tamen actus, quo Deum diligit, vel adulterium reprehendit, vel Ecclesiæ immunitatem defendit, non est fidei vel religionis actus, sed alterius virtutis esse potest. Vnde talis non propriè moritur pro fide, nisi valde remotè, qua ratione etiam diceretur mori pro spe, cum reuera spem etiam ex operibus profiteamur, & sit velut præsupposita, sicut fides ad actus aliarum virtutum. Adde, quòd extorquens mortem non in odium fidei, quæ operibus profitetur: sed in odium alicuius particularis virtutis mortem irrogat. Non ergo ille dicitur in defensionem fidei mori: sed illius virtutis. Sicut puella, quæ mortem sustinet, ne consentiat in stuprum, non sanè in fidei defensionem, at in defensionem virginittatis moritur directè, & immediatè, licet consequenter fidem profiteatur, quæ illud opus esse laudabile, & honestum docet. Tandem esto daremus pro fide mori: non tamen mori pro fidei veritate tutanda, si quidem nullius verita-

115 tis asserendæ causa, moritur: sed ob bonitatem amandam, quod non est propria veritatis assertio. Solum ergo est de ratione martyrij, voluntas sustinendi pro Christo mortem operè subsequuto, & cum omnis virtutis finis sit Deus, erit propriè martyriū pro quacumque virtute mori, cum reuera mori pro Deo dicatur.

116 TERTIO ergo videtur, morientem pro quacumque virtute, & quæ tantum est in consilio, vel pro culpa vitanda, plenam pœnæ ac culpæ remissionem accipere, vt omnes fatentur, cum reuera sit verum martyrium. Quod non tam probo ratione D. Tho. Quia vt vidimus, ea non tam videtur fidei protestatio propriè loquendo: sed quia nulla alia causa mors accepta ob fidei defensionem est tantæ virtutis, nisi quia vita ponitur pro Christo. Vnde ipse de martyrio loquens, eam reddit rationem, quod animam suā ponit, quis pro amicis suis: sed qui vitandi quodcumque peccatum etiam si non sit infidelitatis diligendæque virtutis causa mortem appetit, vitam pro amico scilicet Christo, ponit, ergo omnem laudem, & rationem martyrij habet talis actus. Et hæc de occidente se dicta sint. Plura enim alia explicari possent, sed cum parum ad restitutionem attingant dimittendo duximus. Ostēdimus enim nullam ex quacumque sui occisione deberi restitutionem, nec esse peccatum contra iustitiam specialem virtutem. Et certè, si quod peccatum esset contra iustitiam, tum restituendi obligatio, non reipub. (vt Sor. ait) & cæteri velle videntur: sed patri pauperi, si esset filius: vel vxori, si maritus, esset faciendæ; cum iniuste videatur, illorum vtilitatem impedire. Sed vt dixi nulli facit iniuriam, nisi suo corpori, cui iniustitia, vel restitutio nulla debetur. Iam agamus de occisione alterius.

SECUNDA PARS HVIVS CAP.

De occidente alium publica auctoritate.

117 EXPLICATA propriæ occisionis ratione, proximè sequitur disputemus, de occisione alterius; in quo præcipuè restitutionis homicidij ratio, consistit. Quod cum duobus modis fieri possit, publica scilicet, & priuata auctoritate, oportebit de occidente alterum auctoritate publicæ potestatis disseramus, solita nobis breuitate.

118 PIMAQUE dubitatio erit vtrum liceat hominem occidere? Et primò certum esse debet, quòd nullo modo si debitæ circumstantiæ adfuerint licitum est publica auctoritate aliquem mortè punire, etiam extra casus expressos in scriptura, vt supra probauimus, exigente id naturali ratione, vt bonum commune, & salus totius salua sit per abscissionem perniciosi membri, ac putridi. Quæ verò sint istæ circumstantiæ seruandæ à publica persona, vt licitè possit occidere aliquem, oportet sigillatim explicare.

EST ergo prima difficultas, an liceat aliquo casu etiam publica auctoritate innocentem ad mortem deputari, supposito etiam, quòd tam re, quàm in iudicio sit innocēs. Nam de probato nocēte, dubitatione in

quarta dicemus. Primò ergo certum est, quòd ob bonum priuata alterius personæ non licet ipsi, vel alteri etiam iudici, innocentem interficere. In hoc enim casu (meo iudicio) eadem est ratio iudicis, & cuiuscumque priuata personæ. Potestas enim publica iudicis, solum est ei data ad bonum publicum. Vnde quando de bono publico non agitur, non maiorem habet potestatem circa innocentē, quàm quæuis alia persona. Imo si circa nocentes habet, est ob idem publicum bonum. Et ita habetur Exod. 23. & in specie docet D. Tho. 2. 2. q. 64. art. 6. Syl. homic. 1. q. 2. est que adeo certum, vt superuacaneum sit rationibus probare. Sed an ob commune bonum directè id facere liceat, magnæ cuiusdā inquisitionis eget, vt si ciuitas esset obsessa à tyranno, certoque peritura, nisi alicuius innocentis caput, qui esset tyranno inuisus, illi concederetur. Aut si Turca promittat se cum regno ad fidem conuertendū, vel Christianos persequi desitutum, redditurumque captiuos, terrasque iniuste possessas, &c. si innocens lapidaretur, aut interficeretur. 119

PRIMA igitur dubitatio sit de occisione directa innocentis ob publicum bonum. In quo Sor. lib. 5. de Iust. quæst. 1. art. 7. Cord. lib. 1. qq. quæst. 27. in ratione 13. pro 3. opinione §. Tum 4. & in sol. ad 4. 2. opi. Ledes. 24. q. 8. ar. 1. fol. 221. conc. 2. Syl. homicid. 1. q. 2. docent non licere iudici, vel reip. in eo casu morti tradere innocentem. Ratio Soti est: quia nihil est in innocente, quòd reip. ius faciat illum interficiendi, siquidem est reip. præcipua pars. Secundò probat ex D. Tho. 2. 2. q. 64. ar. 7. qui absolutè negat licitum esse vnquam innocentē occidere. Tertiò id probari potest ratione Cord. Quia aliàs excusandus esset Pilatus, qui Christum innocentem occidit pro communi bono, vitandoque populi scandalo. Tradidit enim eum voluntati eorum, videns populū clamantem. Deinde, inquit: quia non sunt faciendæ mala, vt veniant bona: est autem intrinsecè malum innocentem occidere. Denique, quia resp. non est domina vitæ ciuium. Vnde putat Cord. oppositū esse erroneum assertum, quod non aliter probat, quam vt dictum est. 120

VERVM TAMEN contra resolutionem istam, sic ego solitus sum argumentari. Primum: quoniam ille licet innocens, tenetur mortem subire pro communi bono, vt D. Thom. Sor. cæteri que fatentur, ergo obligari, & cogi poterit ad id ipsum per iudicem, aut reip. Respondent enim Sor. & Cord. quòd scilicet non tenetur ex iustitia, sed tantum ex charitate, ac proinde cogi non potest, nullius est prorsus momēti. Nam præterquam, quod non est certum, an membra reip. teneantur solum ex charitate eius saluti prospicere, an etiam ex iustitia. Cum veluti ex officio id facere debere videantur. Sicut contra ipsa resp. & princeps ex officio atque iustitia tenetur bono cuiusque ciuis consulere, maloque obuiare: tamen esto, ita sit solam intercedere charitatis obligationem. Falsa tamen (pace dixerim tantorum virorū) mihi semper illa doctrina visa est. Quod scilicet quando quis ad aliquid faciendum tenetur ex sola lege charitatis, non potest cogi à principe ad id præstandū. Nunquid enim fideles non iustissimè compelluntur acceptam fidem retinere? semel in anno confiteri, Eucharistiam sumere, sacrum audire,

ac ieiunia seruare & huiusmodi: Et tamen nulla est obligatio iustitiæ ita faciendi: sed solum ex charitate, qua tenentur diuina iura, & etiam humana adimplere, etiam citra materiam iustitiæ. Cur ergo cogi non possit vrgenti ex causa, vt hanc diuinam legem, & ius adimpleat & seruet? Præterea si priuatus homo habeat panem, quo ipse, Rex tum Catholicus, tum reipub. & Ecclesiæ pernecessarius, indigeret extremè, posset Rex, licitè ab eo accipere, eo dare nolente, vt regiam vitam præ illius vita conseruet. Ecce vbi cogit mori innocentem. Cur igitur æqua ratione respub. non posset cibum auferre ab illo, si opus erit violenter, vel alia morte illi inflicta se liberare? Deinde respub. & quoduis etiã naturale totum ius habet exponendi membra pro salute totius, vt patet brachio, quod innocens, licet sit, compellitur à toto, vt ictum vel abscissionem sustineat, vt saluetur totum. Et in moralibus idem contingit, potest enim totum morale, vt respub. ciuem vel inuitum in bello certo discrimini & morti exponere. Sed respondet Sor. & Cord. in illa sol. 4. quòd in bello innocens ad pugnandum & resistendum est necessarius, & ita est medium per se ordinatum. Quando verò traditur morti innocens, nō est medium ex natura rei necessarium, sed ex malitia alterius. Et ita docent, quòd potest respub. obligare, & cogere, vt ad bombardæ ictū se collocet, si id necessariū est ad victoriã. Sed non satisfacit meo iudicio hæc solutio. Nã quãdo exponitur per viã pugnæ, etiã est mediū necessarium ex malitia aliorū. Semper enim bellum ex altera parte est iniustum, & ita necessitas pugnæ vel mortis ex malitia alterius ortū habet. Præterea finge, quòd tyrānus petat, vt illè innocēs sibi exosus exeat solus pugnaturus cum mille: quòd si præstetur, etiamsi ille vindicatur, liberos omnes de populo se relicturum, promittat. Nunquid non posset ille ad tale certamen, & pugnã ineundam cogi? Sanè fatebitur quisque. Et tum ex natura rei non est talis actus ad defensionem suorum necessarius. Cùm certissimū sit fore vincendū, sed tantūm ex alterius malitia. Adde, quòd siue sit medium necessariū, siue non sit, ille cogitur subire certã mortē. Quid ergo refert exponatur via pugnæ, vel alia via? Certè Sor. rationē hoc loco possemus in seipsum retorquere. Si enim pugnare cum periculo certæ mortis non tenetur ille ex iustitia: sed ex charitate tantum, quo modo cogitur à principe bello vitã amittere? Tandem per multa peccata solum contra charitatem, & non contra iustitiam punit princeps. Vt est hæresis, blasphemia, periurium, clericorum fornicatio, & quædam meretrices, & mediatrices, quæ dicuntur *alcabuetas*, ludii, &c. quæ omnia peccata, & similia constat non esse contra iustitiam. Si ergo vitia contra charitatem, religionem, & alias virtutes à iustitia, punit, cur non poterit præcipere, & cogere, vt aliarum virtutum actus à iustitia fiant? Vtcrius Sor. & Cord. constare in sententiis suis non videntur. Ipsi enim putant vt cap. 5. latius dicemus, quòd elemosyna etiã extremè indigenti non est faciendã, lege iustitiæ: sed tantūm charitatis, & tamē quis dubitat, quin princeps cogere possit diuitē elargiri morituro panem? imò in necessitatibus multis extra extremam quotidie videmus iustissimè principes cogere habentes triticū, vt quod eis superest, aliis

aliis vendant, vel ad seminandum, vel comedendum, &c. cùm tamen id ex iustitia facere non teneantur. Quis etiam dubitat, quin ipse extremè pauper possit accipere ab inuito? Ecce vbi per vim auferre potest debitum ex sola charitate. Ad hæc: Non video quomodo iustificari possit innocentis occisio, probati nocentis, vt Sor. D. Thom. & communis sententia tenet, nisi quia bono communi ita expedit, vt iuris ordo seruetur, &c. etiamsi certa scientia innocens intelligatur à iudice, & non multò magis in nostro casu, vbi maior populi necessitas vrget? Quòd enim sit probatus nocens, vt infra dicemus, nihil aufert aut minuit de innocentia occisi, tantãque illi iniuria, tantãque contra rationem sit, ac si non esset talis probatus. Cuius rationis vi permorus Cordub. q. illa 27. ratione 13. sensit eandem esse prorsus rationem, & vtrumque illicitum; nōsque infra dubitatione quarta ita censebimus. Quare ad hominem ista ratio valebit, sicut & precedens, contra Sorum & alios.

NEQVE verò argumenta in oppositum ab his Doct. adducta conuincere videntur. Ad primum enim ex Soto respon. planè perere principium: sumit enim pro antecedenti, quòd nihil est, quòd reipub. ius faciat talem occidendi, cùm sit præcipua pars reipub. Si enim loquitur absolutè, fateor optimam esse rationem, quæ est D. Thomæ in d. arr. 7. Si verò in articulo necessitatis totius reipub. certè id probare deberet, quod nihil est, quod reipublicæ, &c. imò eo ipso, quod est reipub. membrum, sit ius reipub. illum exponendi pro totius corporis salute. Nec intelligere valeo, quomodo, si ipse tenetur, obligatusque est, facere, ex charitatis lege non habeat ius, respub. ex eadem lege ad id ipsum. Habet igitur ius reipub. exponendi illum. Et per hæc patet solutio ad D. Tho. quī absolutè loquutus est, non in casu necessitatis. Ad tertiam rationem ex Cordub. Respon. in multis deficere. Primum Christus non tenebatur mori, nisi duntaxat ex præcepto Patris, quòd habebat. Tale enim præceptum ei impositum fuit ratione suæ voluntatis, & ideò nullo iure ab homine vllò cogi poterat, at in nostro casu simpliciter tenetur ille id efficere. Secundò deficit, quia occidentes Christum præcipuè peccauerunt ex inuidia: hæc autem non est in nostro casu. Tertio, illud erat in casu scandali tantum, idque merè Pharisæorum: nos autem non dicimus scandalum, maximèque Pharisæorum sufficere ad occidendum innocentem. Scandalum enim reparabile est, & articulus extremæ necessitatis non est, sed solum in casu, quo perditio irreparabilis timetur. Vnde ratione solius scandali (non dico cogi, etiamsi probatus esset nocens, vt infra dicam difficultate quarta) sed nec ipse ad mortem se offerre tenetur.

QUARTO deficit, quoniam Christus non erat priuatus homo, sed Rex ipsorum, non tantum spiritalis, quia erat Messias lege promissus, qui liberaturus erat eos à iugo vetustæ legis: sed etiam erat temporalis illius regni, vt alibi ostendi posset. Vnde sicut esset graue peccatum regem innocentem occidere pro scandalo vitando, maximè passiuo, & accepto, ita, &c. Vnde Pilatus dicebat: *Regem vestrum crucifigam?* Tandem quia erat Deus verus, quem non solum occidere, sed leuissimam,

violentam, & cogentem in eum manum iniicere, erat nefarium sacrilegium & scelus. Denique, quid plura commemorem, ubi tam aperta est disparitas? Et demum satis esset, ad disparitatem ostendam, quod populus non erat in articulo necessitatis; sed in extrema iniquitate & malitia, ut patet.

129 ILLUD verò argumentum, quod non sunt facienda mala, &c. satis leue est, cum potius constet illum teneri, & rempub. ius habere in illum. Vnde argumentum peti principium, ut supra dicebamus, dum Soci argumentum solueremus. Ad vltimum respon. rectè ex eo probari, non posse rempub. pro libito innocentem occidere: non tamen quod non possit cogere, ut naturalia, & diuina præcepta obseruet, vnde solum est princeps executor eius, quod dominus vitæ præcipit: alioquin quomodo posset exponere in bello, & ad certam mortem compellere per viam pugnae (quod ipsi concedunt) si respub. domina non est vitæ?

130 Ex quibus inferri posse videtur, minus ad rem loquutum fuisse Cordub. cum ait erroneam esse prædictam sententiam: ipse enim id nulla ratione probat. Qua enim Scripturæ, aut Concilij, Pontificisque Romani auctoritate, & decreto, id ostendet? Rationes verò ab ipso allatæ, quando probarent efficaciter intentum (quod non probant, ut visum est) nihil profus conducere, ut rem facerent de fide, ut quisque facile, illis inspectis, intelligere potest. In nullo igitur fundamento fidei, aut definitione, dicta sententia innixa est, ut opposita iure erronea appellari possit. Quod enim de Christi cōdemnatione assertur, satis ostensum est, quàm multis causis fuerit iniusta, iniqua, & conscelerata. D. autem Thomas, ut supra dixi, non loquitur in hoc casu, ut legenti patebit, nec Syluest. homicid. 1. q. 2. d. 2. nec Durand. in l. d. 48. q. 1. num. 19. Neque etiam arbitror Cord. erroneam censuisse eam sententiam, quando ob dictam extremam necessitatem totius populi, aut regni, innocens traderetur, sed quando ratione scandali vitandi, vel ratione conuersionis infidelis regni, occidendus daretur, ut ex ipso constabit. Quo in casu, etsi veram eorum sententiam, falsamque oppositam putare conueniat, at non erroneam, nisi Ecclesiæ Ro. aliqua determinatio extet, quam ipsi non adducunt in hoc particulari casu. Secundò colligo, illud profectò in dubio Sor. & Cord. concedendum esse, si innocens esset paruulus ante vsuram rationis, nullo pacto licere eum occidendum tradere. Ille enim mori non tenetur, cum sit incapax præcepti, & ita illi fieret iniuria, priuando eum iure, quod habet ad vitam, & tum habet locum, non esse facienda mala, &c. & quod iudex non est dominus vitæ, &c.

131 VLTIMO infero, num liceat hoc ipsum, quod in hac quæstione quærimus, ut Turca, vel aliud regnum conuertatur ad fidem? Videtur enim licere, quia homo lege charitatis tenetur eam mortem acceptare pro salute spirituali proximorum. Anima enim proximi præferenda est bonis corporalibus nostris, ordine charitatis ita præscribente: sed melius videtur, ut supra dicebam, docetq; Cord. non licere. In nostro enim casu respub. patitur iniuste, & ita est in art. necessitatis: at illi non sunt in extrema necessitate vitæ spiritualis, sed eam alio modo habere possunt, & debent.

& debent. Si tamen per impossibile talis accideret casus, quod nullum esset aliud remedium, ut illi ad fidem, & agnitionem veri Dei peruenirent: cum tum non ex eorum volūtate, sed ex necessitate illud medium 132 esset necessarium: non dico pro salute spirituali illorum, sed vnus duntaxat hominis teneretur, ac per consequens cōpelli posset, & ita Parrochus quantūcunq; innocens, si baptizare puerum morientē non posset, nisi ipse moriēdo, vel ratione pestis, vel inimicorum teneretur, & compelli posset ad id præstandum: imò & non Parrochus ratione extremæ necessitatis spiritualis proximi. Tandem colligo, idem esse dicendum de mutilatione: si enim dux in pace, aut bello, esset necessarius, talem autem vulnere laboraret, ut nisi membrum abscinderetur, illi moriendum esset, etiam nolens, cogi posset ad abscissionem, ut viueret ad communis boni salutem.

133 HÆC igitur omnia, quæ in hac quæstione diximus, non asserendi, sed disputandi gratia, dicta esse volumus: inferre enim in scholas nouas opiniones, aut plus sapere, quàm oportet, certè videri nolumus. Quare priori sententiæ, ut potè sapientissimorum hominum standum, nostrisq; rationibus ab studioso facile respondendum esse censemus.

134 SECUNDA difficultas sit. An liceat id exequi indirectè? id est: An liceat facere id, ex quo mors innocentis est consequenda, ut sanguinem emittere prægnanti, vel aliam medicinam abortiuam applicare, aut equo fugere ei, qui videt hominem in via, quem conculcare necesse est, aut si gradum sistat, in manus venire inimici. In hoc enim, & similibus casibus docet Caiet. 2. 2. q. 67. art. 2. præcipue in sol. ad 1. & 2. esse licitum. Inquit enim: *Occidere innocentem per se, ita quod intendatur occisio innocentis, est contra omnia iura, sed occidere innocentem per accidens, dando operam rei licite & necessariae, non est contra ius naturale, diuinum, vel scriptum.* Cordub. 1. lib. quæstionum, q. 38. dub. 2. de fugiente, in particulari idem ferè putat, quod si directè pergat, & conculcet, peccat mortaliter, & est homicida: si verò indirectè, ut si cum iam accedit, paulū diuertat equum & calcaria applicet, ut saltu quodam, vtriusque vita saluetur, non erit homicida. In quam sententiam citat Syluest. homicid. 2. quæstione 26. sed non est ad rem: nam Syluest. loquitur ibi de eo, qui impulsus percussione declinans, alium occidit, cum non posset præuidere. Vnde potius oppositum sentit, cum reuera in nostro casu sciat, & præuideat mortem innocentis. Ut apertè verbo iudex. 2. quæst. 5. col. 3. versic. Sed ista probatio planè fatetur, non licere hominem occidere, ne ego occidar à tertio. Vnde Syluest. eius sententiæ non est, sed oppositæ potius. Friuola etiam videtur distinctio. Cordub. Quid enim refert diuertere, vel calcaria admouere, quando nihil profuturum præuidet: quin potius scit necessariò fore conculcandum innocentem, & id actu naturaliter tendente ad mortem.

135 QUARE dicendum est iudicio meo, ut Syluester docet, id non licere, cum est moralis certitudo de morte innocentis. Quod si aliqua esset probabilis spes de non occidendo, licet eum fefellisset spes, non esset reus homicidij. In quo casu vera esset Cordubæ sententia, & tunc

& tunc solum diceretur indirectè, & per accidens occidere, & ita aperte docet dubio 3. in fine: aliàs non excusabitur. Et licet de hoc particulari, cum scilicet est in via dormiens, licet aliquibus videtur cum occidere, ob aliam rationem: quia ille, licet inculpabilis sit, impedit viam communem, ad quam hic habet ius, & idèd utitur iure suo, repellendo vim ab alio, licet inculpabiliter illatam; tamen veriùs censeo, non licere vllò modo contere, siue directè, siue indirectè. Hæc enim distinctio nihil refert, vt dixi, si certò scit conculcandum fore ex suo cursu. Moueórque ea ratione, quam benè tangit idem Cordub. quoniam ille (sicut ego fugiens) ius habet ad eum locum, habèrque iustam possessionem. Vt ergo illicitum esset, panem, vel tabulam, quam alter est assuetus, quaque indiget extremè ad propriam salutem, auferre: liceret autem antequam accepisset: ita cum ille qui extremè indigeat, possideat iustè, sitque ibi inculpabiliter, nec possit pro tunc loco cedere, sequitur, &c. Id Cordub. Caiet. prædictis que concedam, si dubium esset occisionem euenturam, putarèmque in tali dubio non esse homicidium. Non enim tenetur se morti certæ committere, vt alterius etiam innocentis vitam conseruet in dubio: cum non sit certus illum occisum iri.

137 Semper enim in dubio est aliqua spes, quæ licet certa non sit, cum tamen sit certa mors, & damnum futurum, non est obligandus: ita planè vitæ propriæ iacturam facere. Nec est proximus ille rationabiliter læsus, quòd ille eius vitam periculo, non certo damno exponat, pro saluanda propria, cum aliud non est remedium.

De prægnante verò maior est difficultas inter Doctores. Prima igitur sententia est quorundam, quos ego & suspicere soleo, & debeo, qui dicerent, sine distinctione esse peccatum mortale, siue ante, siue post animationem: quia ille actus (aiunt) est intrinsecè malus (licet non sit homicidium) sicut semen effundere propter sanitatem, vtrumque enim est contra naturam generationis. Secunda opinio loquitur moderatiùs, existimans sibi esse distinguendum: cuius sententiæ est Syluest. verb. Medicus, q. 4. ex Ioan. de Neapol. Anton. in 3. part. tit. 7. cap. 2. §. 2. Couar. in relict. de homicid. 2. part. §. 5. num. 1. versic. *Hinc est*. Navar. cap. 25. num. 62. Ij ergo docent, quòd ante animationem licitum est sumere medicinam, licet inde secuturus sit abortus. Quia (inquiunt) licitum est hominem liberare à morte, licet impediatur foetus animatio, seu generatio. Post animationem verò arbitrantur non esse licitum, cum occidere innocentem maximè in spiritualibus, etiam ad saluandam vitam non liceat: est enim intrinsecè malum. Vnde 14. q. 5. cap.

138 Denique, ait Ambrosius: *Si alteri subueniri non potest, nisi alter ladatur, commodius est neutrum iuuare*. Prætereo autem eos, qui opinantur (sanè non grauitèr) matri licitum esse medicinam sumere, non autem medico vel obstetrici dare, vel consulere. Tertia opinio est eorum, qui in alio extremo fatentur esse licitum, etiam post animationem medicinam sumere directè sanitatis matris causatiuam, licet inde sequatur abortus. Ita docuit Cordub. libro primo quæstionum, q. 38. loco citato. Quia mater potius habet ius ad medicinam sanatiuã sui, cum morte foetus, quàm

contra

contra foetus cum morte matris, cum foetus à matre, non contra pendat, & quòd est per accidens, & minus principale non sit attendendum. Vnde mater taurum fugere potest, etiam si timeat abortum. Et specialiter de sanguine docent. Nam licet foetus ius habeat ad illud, sicut ad cibum, quò extremè indiget, tamen mater potius ius habet. Non enim tenetur intra se retinere alimentum prolis: nisi prius suæ subueniat salutè. Afferri potest, vt quidam afferunt, exemplum de lacte. Si enim proles nata, lacte extremè indigeret: marrem autem oporteret ad propriam salutem illud effundere, vel alio modo ybera desiccare; non est dicendum matrem teneri ad illud conseruandum. Quia proprius, & potius est ius, quòd habet ipsa, quàm infans. Quæ intelligenda sunt, ait Cord. de medicina directè salutem ferente. Qualis est sanguinis emissio, balnea, pharmacum purgatiuum humoris, emplastrum, &c. Si enim directè esset mortis causatiua, etiam si multum prodesset, non liceret, vt venenum, dilaceratio, percussio, &c. Hæc sunt doctorum rationes & sententiæ.

M I N I videtur, primum cum Syluest. Ant. & Couarru. contra primam opinionem, quòd ante animationem foetus, licitum est matri sumere medicinam, etiam si sequatur abortus. Nemo enim iure suo vtens peccat, nec sibi, quòd inde eueniat imputatur, cum sit per accidens, vt dicunt, id est, præter eius intètionem. Nec illorum ratio conuincit, imò nostram sententiam magis confirmat: Nam licitum est facere opus aliàs licitum, & necessarium, licet inde sequenda sit seminis effusio, vt alibi latè probauimus. Adde, quòd seminis effusio cum directè procuratur, mala est ex obiecto, ac proinde, vt medium per se intentum accipi non debet ad finem etiam bonum siue sanitatis, siue alterius: at sanguinis diminutio, etiam procurata, ex se illicita non est, sed indifferens, imò medium natura ordinatum ad sanitatem vitamque tuendam, directè tamen procurare dictum abortum, etiam ante animationem peccatù esse mortale planè fatemur. Et est omnium confessio, & in specie docuit Coua. 2. p. relect. de homi. §. 3. nu. 1. Vnde Tertull. in Apolo. c. 3. sic ait.

141 *Nobis verò homicidio semper interdicto, etiam conceptum vtero, dum adhuc sanguis in hominem delibatur, dissoluere non licet. Nec refert natam quis eripiat animam, an nascentem disturbet, homo est, & qui est futurus. Nam fructus in semine est.* Et in Concil. Vormacien. relato in cap. Si aliquis, de Homicid. sic dicitur. *Si aliquis explenda libidinis causa, vel ody meditatione homini, vel mulieri aliquid fecerit, vel ad potandum dederit, vt non possit generare, aut concipere, vel nasci soboles, vt homicida teneatur.* Omnes tamen fatentur cum glo. in d. c. non esse intelligendum hunc text. de irregularitate. Nò prætermittam autem pulchra Ciceronis verba in oratione pro Aulo Cluentio. Cum enim actum esset de punitione foeminae, quæ pecunia fatum nondum animatum potionibus abegit, sic ait. *Nec iniuria, quæ spem parentis, memoriam nominis, subsidium generis, heredem familie, designatum reipub. ciuem substulisset, &c.*

S E C V N D O videtur, quòd tam ante animationem maius ius habet mater, quàm post, vt Cord. & alij de tertia opinione fatentur, vt planè

ratio in proximo superiore puncto, facta, ac exempla adducta de lacte conservando; fugiendo tauro, vel alio periculo, satis demonstrant. Et ita si solum ageretur de periculo temporali mortis pueri, & matris, salvanda esset mater cum periculo mortis temporalis filii, ut planè constat in illo exemplo de lacte, in quo solum periclitatur vita temporalis prolis, cui mater propriam postponere non tenetur. Tertio tamen videtur contra Cord. & alios tertie opinionis, quòd si creditur probabiliter mors prolis futura, si tamen non applicaretur, tale remedium separaretur vita illius cum periculo matris, peccaret mortaliter talem sumens medicinam, quin verò tenetur patienter tolerare mortem. In quo Sylvest. Couar. Navar. atque aliorum sententiam complecti debemus. Huius ratio est, quia iam non agitur de salute temporali prolis, sed de spirituali. Constat enim puerum in extrema necessitate animæ esse: at vnusquisque secundum rectum charitatis ordinem tenetur, bona temporalia contemnere pro salute spirituali proximi. Maxime cum est eius curæ commissus, & illi impossibile est aliquid facere pro sua salute. Cum ergo puer nullo modo possit sibi spirituali salute subuenire, sed sola mater, cui commissus est, sequitur, quòd si puer salvari potest, ut baptizetur, etiam cum periculo matris, tenetur mater id sustinere. Si autem probabiliter iudicet medicus quòd etiam si à medicamento abstinèat, puer non poterit in lucem suscipi, sed necessarium est cum matre eum mori, tunc poterit sanguis minui, & alia medicamenta sumi, ut alterum ex duobus saluetur. Nec diuinæ ordinationi resistendum. Quibus consonat Armi. ver. defen. §. tertio quòd clericus baptizans puerum non potest fugere, ut se defendat à morte, si relinquendus esset puer sine baptismo. Vides igitur lector, quid ex vnaquaque opinione tibi, ut verius, accipiendum, censeamus.

SE D desiderabis, eritque tertia dubitatio. Quid iudicandum sit de hoc casu, qui frequens esse potest, & solet in praxi. Geris bellum vel aliam pugnam tua ex parte iustam cum altero, v. g. cum aggressore, qui te occidere tentat, à quo etiam occidendus eris, nisi eum occidas, non potes verò eum interficere, nisi simul innocentem quendam interimas à cuius tergo, aggressor semper existit, ut eo veluti quodam scuto se defendat, te verò offendat. Nunquid si tibi cadendum est, nisi vtrumque occidas, licitè poteris vtrumque lancea, vel igneo telo tollere de medio? difficilis sanè quæstio apparet. Quod enim non liceat ex eo ostenditur: quoniam ille directè & positivè occidit innocentem, quòd est de se malum: Cum autem non sint facienda mala, ut bona fiant, sequitur, quòd etiam si ad sui necessariam defensionem faciat, non licet proximum innocentem perimere. Quid ergo miser faciet? Patienter fortiterque succumbat. Non enim martyrem mori, incongruè diceretur. Si enim ut supra ostendimus omnium sententia verè martyr est, qui, ne peccatum admittat mortem subire non dubitat. Consequens videtur esse, &c. Adde, quòd si casus esset, ut maior civitatis pars hæresis esset infecta non esse licitum eam igni succendere ad puniendum crimen,

men, ne simul innoxij perderentur, ut docuit Sotus lib. 5. de Iustitia & iur. quæst. 1. artic. 2. ad primum D. Thom. 2. 2. quæst. 64. artic. 2. ad 1. ex sententia August. ad Parmen. ibi ex sententia Christi dicentis. Ne eradicetur zizania, ut tritico parceretur. Quod fit, ait D. Thom. quando non possunt occidi mali, quin simul occidantur boni, vel quia latent inter bonos, vel quia habent multos sequaces, ita quòd sine bonorum periculo interfici non possunt. Quando verò ex occisione non imminet periculum bonis, licitè tunc possunt occidi. Hæc D. Thom. Verum ex alia parte, licitum videtur ea sanè ratione. Quoniam licitum est inimicum exercitum, vel civitatem, cum qua iustum geritur bellum in depopulationem dare, vel succendere, si aliter capi non potest, ut docet Cordub. in dict. dubio 2. & quæstione 37. ratione 14. & Sylvest. verb. bellum prima quæstione decima, dicto tertio Victoria. relectio ne de iure belli, numero 38. Sot. articulo 6. & 7. quæstione prima libro quinto de Iustitia & iure, & articulo 8. & 9. imò articulo 2. ad primum & communiter doctores, & tamen manifestum est, ut ijdem expressè docent authores, fore multos innocentes occidendos, idque ideo verum esse censent, quia non directè innocentes, sed indirectè ac per accidens occiduntur. Si igitur ista vera sunt (quæ inficienda non videntur) planè consequi videtur ea ratione licere talem occidere, quando aliter aggressus saluus esse non potest, sed deueniendum illi est ad iniustas aggressoris manus. Declarat autem prædicta Cordubæ in dicta quæstione 37. in sol. ad primum dum secundum Caier. dictum referret: sic esse accipienda, ut non possit separatim occidi nocens, & ut non dirigatur telum immediatè, & certò contra innocentem. Quod si verum est, dubium ac falsum sit necesse est, quòd scribit Dominicus Soto 5. de Iustitia quæst. 1. artic. 7. in fine corporis, putans licitè inuadi posse innocentem existentem in exercitu gerentis bellum iniustum. Siue (inquit) sit innocens ex ignorantia inuincibili: quia iuste se pugna re purat. Siue, quia ibi coactus retinetur. Probat ille. Tum quia aggressio eius, qui bellum gerit iustum, defensio est magis, quam aggressio. Tum quia vnus princeps ius habet aggrediendi alterum. Sed hæc secunda ratio friuola est, fateor illud equidem. At quæ consecutio est, ut in fontem ibi existentem miles eius interficiat? Neque prima ratio cogit. Licet enim defensio sit aggressio eius, qui iuste impugnat, at aggressio & impugatio innocentis huius in singulari, defensio esse non potest, cum is non inuadat. Quare etsi sententia Cord. probabilior videatur. Ego distinguendum sanè existimauerim. Vel enim ille pugnat aut secus. Si primum, etiam si innocens sit ob ignorantiam occidi potest, quoniam, ut infra dicemus 3. par. huius c. iure defensionis licet occidere me inuadentem, etiam si non peccet inuadendo, ut si est amens, ebrius, ignorans, &c. neque admitto casum Soti, si metu id facit. Quocumque enim metu pugnet, si ignorantia non adest, non excusatur, ac proinde aggressor est iniustus, & non innocens. Si autè nec pugnat nec inuat. Considera, an cæteri noxij possint sine illo coerceri, aut non. Si nequeunt, sanè vera erit Soti sententia, sicut cum innocentes occiduntur.

quando aliter capi ciuitas non potest. Quod si possent ceteri sine illo expugnari, certe illius interfectio illicita foret omnino, nullaque ratione excusabilis, in quo Cord. sententia placet. Eset siquidem non per accidens, sed ex intentione, atque immediatè infontis mortificatio, quod omni rationi contrarium est. Ex quo licebit inferre, milites eos peccare grauitet, qui in spolio ciuitatis captæ miseris mulieres, puerosque obuios sibi minimè resistentes interimunt, cum probabile est ab illis eorum iustam victoriam, & spolia minimè impedienda fore. Est enim eadem prorsus ratio.

150 Ad argumentum igitur primum ex aduerso factum resp. Cord. Syluest. Sotus, & ceteri, quod innoxij tum non occiduntur per se, sed tantum per accidens, non ex intentione, sed præter illam, ex eo autem, quod per accidens est, & præter intentionem non specificatur actus. Examinati posset arbitrio fortasse nostra ista resolutio, sed non oportet nimium emungere. Ad secundum, quod nos fecimus. Respondeo. Non esse simile. Nam quando peccatum non est contra iustitiam, vt hæresis, sodomia, & huiusmodi, imò etiam si sit contra iustitiam, non tamen per vim illatam ei, quem occidere intendit, tunc inquam, non tam est actus defensionis, quàm punitionis, & vindictæ publicæ de peccatis, quæ licet personis publicis licita sit, attamen non fas est, vt illa fiat cum innocentium periculo, & punitione, qui eam nullo modo merentur, vt D. Thom. fatetur. Et sic est iudicio meo, quod cum Angeli tanquam executores diuinæ iustitiæ prædictam zizaniorum eradicationem proponerent, responsum est eis. Non. Ne forte simul eradicarent & triticum. Et ita etiam si peccatum sit contra iustitiam commissum iam non impendens in futurum, non licet iudici, vt delinquentes puniat innoxios interficere. At cum ita peccatum est contra iustitiam, vt per vim inferatur, in futurumque damnum pendeat, est verè, & propriè defensio, ad quam quisque ius habet, & ita in bello, & in defensione propria licitum est omnium sententia, si aliter inuasor tolli non potest, si nihil tollere innocentes per accidens, vt doctores docent. Per accidens inquam, sit accipiendo, vt quemadmodum cum quis fodit fundum proprium, aut murum ædificat sibi valde necessarium. Ex qua actione illud consequi necesse est, vt pluuialis aquæ venas præscindas, quæ ad vicinum alias peruenirent, tum non peccas, nisi ex fraude nocendiue animo feceris, vt cap. 7. latius dicemus. Extantque responsa Romanorum de hac specie per multa non inquam peccas, quia vteris iure tuo, licet ex consequenti, & præter tuam intentionem sequatur damnum alterius. Sic profecto cum iure tuo naturalissimo, necessarioque maximè, vtaris, te defendendo, non tibi imputatur, quod ex illa defensione acciderit damnum tertio. Sicque doctorum illa distinctio non à vero aliena erit.

152 **Q**UARTA dubitatio est de innocente re ipsa, & priuata scientia, vt tali cognito à iudice probato tamen nocente. Fatentur omnes infrà citandi quædam tanquam certa, specialitèrque ea colligit Cord. Primum quod si potest aliqua via, & ratione comòde eum liberare, tenetur sub mor

sub mortali id facere. Ex officio enim & charitate tenetur innocentem liberare, siue id sit accusatorem honesto aliquo medio impediendo, ne veniat ad iudicium, siue vinctum in carcere siue vlla nota, vel scandalo populi secretè liberando, siue quacunque ratione possit testes examinando, conseruare innocentem: vt fecit Daniel, cum testibus falsis, c. 13. Genesis. Et ad hoc ob rationem dictam debiti officij & charitatis legis tenetur, vt dictum est. Secundò fatentur Sotus, Caietanus, & Corduba, 153 infrà citandi, quod si fortè talem condemnaret: quia aliter fieri non posset, tenetur coram populo eius innocentiam iuramento manifestare. Nec in hoc irrogatur iniuria falsis testibus, nam si illi scienter faciunt, sibi imputent, vel si bona fide: tamen innocentis ius maius est, cui bona aliorum fides nocere non debet. Tertiò fatentur, quod iudex inferior tenetur ad superiorem vinctum mittere iudicandum, protestando asseuerenter innocentiam eius. Et ad tempus personam iudicis exuendo coram superiore personam agere testis, post delatam illi causam, & iudex supremus tenetur illum absolueret. Ita docuit Alexander Ale. 3. part. q. 40. m. 6. art. 2. ad vlt. argum. & q. 34. m. 1. art. 4. Caiet. 2. 2. 154 q. 67. art. 2. ad 4. Cord. lib. 1. q. 37. & alij, quos in secunda opinione citabimus. Quod intelligunt ipsi, meo iudicio, quando id posset efficere tam iudex inferior, quàm superior, sine scandalo. Quod enim Sotus ait 5. de iust. quæst. 4. art. 2. quod potest id efficere inferior, sed non tenetur, quia (inquit) inferior, secundum allegata, & probata, ius habet causam terminandi, mihi non placet, nec Cord. nec Syluest. imò nec D. Thom. in dict. sol. 3. imò tenetur illam causam ad superiorem remittere, si putat id profuturum: quia, vt suprà, ex omnium sententia, posui, & Sotus concedit, si potest commodè carcerem aperire, vt innocens fugiat, & si potest impedire, ne res in iudicium veniat, tenetur id efficere, vt innocentis saluti prospiciat. Cur non ergo postquam res delata est, imò et si innocens condemnatus, non tenebitur quacunque honesta 155 via possit, illum seruare ab iniusta morte, lege charitatis? & ita proculdubio, peccabit mortaliter, si semel damnabit, negando appellationem, vel ante sententiam, non remittendo causam superiori, illius innocentiam testificando: Imò existimat Corduba quod etiam si nihil profuturum putaret, teneretur causam ad superiorem deferre, vt ipse euadat iniustitiam, seque immunem ab iniusta nece conseruet, viderit rem superior. Et, vt dixi, ita tener apertè Diuus Thomas, in dicta quæstione sexagesima quarta, articulo sexto, ad tertium, dum ait: *Testes examinare debet diligenter iudex, vt liberet innocentem; quod si non potest, debet superiori relinquere iudicandum.* Vbi Diuus Thomas verbo, *debet*, vtitur vtrobiq; , at in superioribus verbis pro præcepti debito accepit, igitur in vltimis præceptum declarauit. Aliàs æquiuocatio in tam breui contextu esset admittenda.

156 **I**N eo videtur sita huius quæstionis difficultas: An si aditus non sit ad superiorem, vel ratione scandali, vel quia longissimè abest, & res viget, vt ex Indis ad Hispanos, vel ratione alterius causæ, aut damni, teneatur, vel officium dimittere, & nollet innocenrem condemnare, vel

spreso scandalo, & damno, illum omnino liberare? Et idem est de supremo iudice: an cum ad eum delata causa est, teneatur, non obstante scandalo, vel alio damno etiam proprio, illum, quem certo scit esse innocentem, liberare? In quo duas video contrarias sententias.

PRIMA ergo est, quod cum cogitur ferre sententiam, non tenetur officium dimittere, nec aliud scandalum, vel malum pati, sed licite posset condemnare innocentem iudicialiter, imò non posse eum in conscientia absolueri, tam in civilibus, quam in criminalibus. Ita docuit 157 Diuus Thomas 2. 2. quæst. 67. artic. 2. & quæst. 64. art. 6. ad tertium. Caiet. ibidem. Abulens. super cap. 23. Exod. quæst. 6. Sotus loco citato. Mag. in 3. distin. 33. quæst. 4. Couarru. libro primo Variarum resolutionum, capite primo. Nauar. in Summ. Lat. cap. 21. num. 9. Richar. vt refert Sotus, artic. 3. quæst. 26. sed vt refert Corduba in 4. distin. 18. artic. 3. quæst. 2. ad primum: Et Bart. illicitas. ff. de Offic. Præs. Ioan. Andr. in suis Nouellis, tit. de allegat. Et Palud. quos refert Sot. Card. & gloss. in cap. 1. de Offic. ordin. Turrecrem. in dict. c. iudicet. Henric. de Gand. Quodlibeto tertio, quæst. 25. Altissiod. & Petrus de Tarantasia, vt refert Corduba. Præcipua ratio huius sententiæ est, quia iudex in quantum iudicat, non est priuata persona, sed publica: ergo non secundum priuatam, sed secundum publicam scientiam procedere debet. Non ergo peccat nocentem publica notitia condemnando, nec ob id officium dimittere tenetur, cum non ipse, sed leges condemnent: imò illum saluare, esset peruertere leges, & iuris rectissimum ordinem.

158 SECUNDO, qui potest re ipsa criminofum absolueri, modò sit innocens probatus, ergo econtra.

TERCIO, quia aliàs semper posset iudex pecunia corrumpi, & calumniari, & reum absolueri, dicendo se habere notitiam facti, & ita summa esset rerum perturbatio, & reipublicæ confusio.

159 QUARTO, probat Caietanus, quia plus tenetur iudex curam habere publici officij sibi commissi, quam vitæ alterius non sibi commissæ: & affert exemplum de occidente inuaforem, qui potest occidere, vt se defendat, quia maiorem curam sui, quam alterius, debet habere. Denique ait Caietanus, quod ille non occidit intendendo occidere: id enim, inquit, est illicitum, sicut intendere occidere inuaforem, sed tantum est per accidens, quia solum occidit dando operam relicitæ, & necessariæ, scilicet vtendo officio publico, sicut qui se defendens occidit. Vide 3. quæst. 7. cap. Iudicet, & in quæst. 3. summopere ex Ambrosio, & Augustino relato à Diuo Thoma, & Soto super Psalm. *Bonus iudex* (inquit) *nihil suo arbitrio facit, sed omnia secundum leges, & iura pronuntiat, statuta iuris obtemperat: & infra: Sicut audit, ita iudicat, & sicut se habet negotij natura, obsequitur legibus, non aduersatur: examinat cause merita, non mutat.* Et ibi Gregorius secundum quod iudicio per testes constitutum est (ait) sententia definitiua præferatur.

CONTRARIAM opinionem probabiliorem censet Cord. vbi supra, & renuit Adrianus Quodlibeto sexto, articulo tertio; & Quodlibeto secundo, articulo tertio. Rosel. verbo iudex, §. decimo octauo, & ex parte

ex parte sequitur Syluester, vbi supra, quam, quia tenendam putamus, placet per puncta explicare.

160 PRIMO ergo putamus, quod in civilibus, etiam vbi de magna quantitate ageretur, posset iudex innocentem condemnare: in quo prima opinio placet. Non enim in hoc casu condemnatus est rationabiliter læsus: nam pro bono pacis, & ne reipublicæ, legumque ordo subuertatur, tenetur patienter tolerare sententiam, & temporalis vtilitatis iacturam ferre, imò de facto renuntiasse videtur priuato temporali, quomodo ob commune bonum, cum se principi subiecit, qui iuste leges tulit, vt secundum allegata & probata, sententia proferatur. Neque est rationale, vt probatus reus, licet in re innoxius, velit iudicem officium, aut honorem, aut suam aliam vtilitatem, cum etiam innocens sit, & nullum crimen commiserit. Et in pari casu innocentia magis sibi iudex tenetur, quam alteri, cum præsertim in publico sit criminofus.

161 SECUNDO videtur, quod in criminalibus, maximè in causa capitalis, non est licitum talem condemnare, sed tenetur iudex officium dimittere, nec satis esset manus lauare, vt Pontius fecit, cum innocentem Christum morti addixit ob falsa testimonia. Ita docuerunt Panormitanus & Hostiensis in capite Pastoralis de Offic. deleg. Calder. in dicto c. Nicolaus de Lyra, Exod. 23. Ang. verbo iudicare, §. 7. Cord. & Rosel. citati, & Rodul. & Imol. in l. à D. Pio, ff. de Reg. iur. & glo. Rai. supplementum in Summa, ver. *Iudex*. Adr. Quodlib. 6. art. 3. & Quodlibeto secundo, articulo tertio, in fine. Ioannes Arbor. libro nono Theosophiæ, capite vigesimo. Corasius libro quarto Miscelaneorum, capite vigesimo. Et videtur Syluester iudex secundo, quæstione quinta, si attentè legatur, quidquid dicat Corduba, qui diffusissimè simul, ac resolutè, hanc quæstionem versans, tandem sequitur primam opinionem ab eo recitatam, quam dicit esse Diui Thomæ, & Theologorum antiquorum. Quod scilicet potest talem condemnare concurrentibus duobus. Primum, quod iudex sit talis, & in tali casu, quod cogatur iustitiam exhibere damnando, vel absolueno. Secunda, quod nulla ratione, aut vix, potest eum liberare cedendo officio, aut remittendo ad superiorem, aut veritatem diligentius perquirendo.

162 IN quo primum non placet fuisse D. Thomæ, & eorum, quos refert, sententiam: nam D. Thomas, & cæteri, planè de prima opinione fatentur, quod etiam si possit officium dimittere, sed non tenetur, quin potest per documenta publica iudicare. Vnde Syluest. planè nostræ sententiæ est, quod scilicet si potest officio cedere, non potest condemnare, licet Sotus, & alij, immeritò fuisse primæ opinionis dicant. Licet enim ipse Syluester Diui Thomæ sententiam sequi se putet, tamen fallitur. Quod enim ipse docet, negat planè Diuus Thomas, vt diximus, & ita ipse docet, & benè, esse ferè impossibile, quod iudex talem posset condemnare, quia est ferè impossibile, quod illæ duæ conditiones concurrant. Scilicet, quod cogatur iudicium ferre, & quod non possit ad superiorem remittere, vel saltem officio cedere. Ita planè nos fatemur, quod si in eas esset angustias iudex coniectus, quod necessariò 163 incumberet

incumberet absolutio, vel condemnatio, & non posset ad superiorem remittere, nec officio cedere, propter scandalum, vel aliud magnum damnum repentè subortum, posset condemnare, ad vitandum maius malum: magis enim teneretur bono communi succurrere. Ad vitandas enim seditiones, & cædes, posset cogere innocentem mori, vt supra diximus disputando, non asserendo.

H A N C opinionem aliqui probant, quia agere contra scientiam de se, est peccatum, & ita nulla ratione bene fieri potest. Sed facilè responderent authores primæ opinionis, quod non facit contra scientiam publicam per acta publica habitam, quæ licet sit contraria veritati, tamen ipse, vt iudex, illū sequi teneretur. Alij probāt, quia occidere innocentem, est contra ius naturale: at posse iudicare, secundum argumenta publica, & testes, est de iure positiuo, & non potest derogare naturali legi, & ita innocens est absoluendus, vel saltem non condemnandus. Sed mihi non placet hæc ratio, quia quod aliquis per testes iudicetur, de iure naturali est, & diuino, & non solum conforme, vt dicit Sotus. In duorum enim testimonio stabit omne verbum iure diuino, & naturali, vt dubitatione sequenti dicemus. Quia tamen inter hæc duo naturalia iura, strictius est illud de non perimendo innocentem, quàm de iudicando secundum acta per accusatorem & testes, ideò rectè probari potest hoc argumento, hoc dimisso, illud esse seruandum. Præcipua tamen, meo iudicio, ratio est, tum quia est contra iustitiam: occidere enim innocentem, intrinsicè malum est, & contra iustitiam, nullo fine honestabile. Quod enim probetur nocens, non adimit de eius iustitia & bonitate, quidquam. Nostrum enim affirmare, vel negare, nihil ponit in rebus. Quacunque ergo probatione supposita, semper est contra rationem, cum occidere, tum quia est contra charitatem, quia vnusquisque tenetur lege charitatis, vitam proximi anteferre temporali vtilitati. Ergo cum necesse est, vel innocenti mortem inferre, aut officium dimittere, tenebitur iudex hoc præeligere, & ab actu iudicandi cessare.

H A N C sententiam probat Corduba sexdecim rationibus, satis prolixæ, sed omnes ferè eò tendunt, quod quia ille est verè innocens in re, licet in probatione testium nocens, puniri non potest: cum lex iubens occidere malefactorem non propter testes, sed principaliter propter crimen commissum, vt puniatur, edita est, alioquin esset iniusta. Cum igitur præcipua condemnationis causa, & conditio non subsistat, iniquum est, & contra legum intentionem pœna plectere huiusmodi hominem. Vnde si esset lex expressè disponens, vt omnis qui probaretur per duos testes esse malefactor, puniretur, etiam si reuera, & certò esset innoxius, iniqua foret, atque scādālosa. Cui adde, quod sicut ad iustum iudicium exequendum requiritur ex parte iudicis iurisdic-tio, & legū auctoritas: ita & non minùs necessariò, sed multò magis requiritur ex parte rei puniendi crimen & delictū: at quāuis esset probata iurisdic-tio, & legū auctoritas per testes, aut alios consultores, liceret iudici iudicare, si certissimè sciret eos falsò dicere, & cōsultere: multò igitur minùs sufficiet crimē probatum, si iudici manifestò cōstat falsi criminis

criminis deponere. Desino igitur omnes alias eius rationes quas cum sigillatim examinauissim parum roboris habere opinamur, easque quemadmodum solui possunt monstraremus, nisi vereremur in idem incidere prolixitatis vitium, quod reprehendimus. Ea etiam omnia, quæ ab eo collecta sunt ratione II. ex sacris literis, quibus sæpè dicitur iudicium faciendum esse secundum veritatem, & huiusmodi, non cogunt. Iuxta veritatem enim iustè ac rationabiliter præsumptam, & per publica acta habitam fieri, satis esse docebunt D. Thom. & c.

A D argumenta primæ opinionis. Respon. hoc animaduerso, quod paulò ante dicebam, quod tum demum teneretur non cōdemnare. Cum dimittendo officium possit à tali actu abstinere. Si enim non posset vel ob scandalum, vel alium publicum iustumque metum: posset secundum allegata iudicare. Tum enim priuatum bonum innocētis non est cum publico malo conseruandum: sed communi bono præferendum. Sed rogas, an cum timet iudex damnum personale, scilicet, quod ipse occidetur, vel à superiore, vel à populo nisi sententiam ferat, an tum possit condemnare innocentem? Respondet Rosella, vbi supra, Quod licitè potest condemnare. Sed id reijcit Sylu. Quia quamuis liceat me prius, quàm proximum defendere, & ita me defendendo inuasorem occidere, sed non inuasorem, non licet occidere. Alias liceret mihi occidere aliquem, ne ego occidar à tertio, & ita putat quod potius iudex debet mori ne condemnet. Item, quia vt supra probauimus ad propriam vitam tuendam, non licet innocentem occidere. Itē quia alias excusaretur Pilatus Christum occidens ad vitanda scandala, & damna propriæ personæ. Res est difficilis: hoc tamen de Pilato non cogit, quia ille non habebat sufficientes probationes, vnde ipse dixit *nullam causam mortis inuenio*. Maximè quia poterat remittere ad superioremi. Secundum nostram ergo sententiam planè confiteri oportet, non licere in eo casu illum condemnare. Non enim licet occidere innocentem ad propriam vitam saluandam, vt supra ostendimus. Imò in casu scandali, qui nostram sententiam sequuntur, putant non esse occidendum. Quod latè Cord. ostendit I. & 2. ratione pro sua opinione, & in sol. ad 3. secundæ opinionis, quod aliqui intelligunt, quando esset priuatum scandalum. Tunc enim non est rationabile vitam innocentem auferre ob illud. Maximè: quia est reparabile: at cum est publicum scandalum, videtur vt supra dixi, occidi posse, cum probatus sit criminōsus, & rationabiliter præsumatur à populo, vt talis: rationabile non est, vt vnus vita totius populi salutis & paci præferatur. Nec propter hoc excusamus eos, qui Christum innocentem occidi petierunt, vt in I. huius dub. p. satis ostendi. Neque eos qui decreuerunt dicentes. *Expedi, vt vnus homo moriatur pro populo, ne tota gens pereat*. Illi enim non loquebantur de interitu spiritali proximorum, quibus reuera expediebat Christi mors, vt saluarentur, quamuis Spiritus sanctus eorum ore loquens, id intendebat: sed loquebantur de bono & pace temporali rei: publ. ad quam Christi mortem necessariam esse decernebant. Neque aquam ij excusantur per supradicta à nobis. Nam Christus non so-

lum re erat innocens, verum etiam nomine & fama apud sapientes & probos. Nec fuit legitime conuictus (vt supra dicebam.) Vnde Pilatus. *Quid enim, inquit, mali gessit? Nihil dignum morte in eo inuenio.* Et ita potius innocentia erat probata, & euidentia facti, & ita scandalum erat irrationabile, & ex malitia cui per mortem innocentis occurrere non oportebat. Et ita fatemur non licere innocentem re, & opinione ob quamcumq; populi seditionem, vel scandalum sedandum interimere. Est enim irrationabilis, & malitiosa seditio, & scandalum. Secus est cum commune bonum periclitatur ob extremam necessitatem, de quo supra dub. 1. disputando non asserendo, loquebamur.

171 I M O nec in casu scandali totius populi occidi posse putat Cordu. ratione 1. & 2. pro sua opinione, & in solutione ad tertiam rationem secundæ opinionis. Quod mihi magis placet. Ob nullum enim scandalum vitandum, est malum admittendum. Maximè, quod intrinsecè tale est. Sicut nec mentiri, aut adulterari pro scandalo vitando licitum est. Et sicut probatum innocentem occidere. Quoad peccatum enim, & iniuriam idem esse prorsus docuimus probatum esse, vel non esse nocentem, vt Cord. latè prosequitur, & ita potest & debet præferri priuatæ illius vitæ necessitas populi. Per quæ facile patet ad argumenta. Ad primum, quod Sotus basim appellat omnium, respon. fate-
172 Iura enim & doctrinæ dantur de iis, quæ vt plurimum accidunt, non de specialibus casibus.

S E C V N D V M argumentum dubit. sequenti satis lucidè soluitur. Absoluere enim criminofum priuata scientia talem cognitum non habet inseparabilem malitiam, imo pietatis opus esse potest, sicut reuera habet occidere innocentem. Aliter illud argumentum ab aliis proponitur, sicq; proponit Cord. pro D. Thom. sententia in secunda ratione secundæ opinionis. Quia secundum iura nō licet condemnare criminofum scientia priuata cognitum, si non est publicè probatus, vt talis; sed innocens iudicatus; ergo nec licebit innocentem priuata scientia talem absoluere. Huic enim rationi eodem modo respon. Absoluere enim non habet indebitam & iniustam materiam, vt patet, sicut habet condemnare. Et secundo, vt Cord. respon. Fatendo consequentiam: non enim licebit per sententiam absoluere. Nos enim in tota
173 hac questione non intendimus docere posse talem innocentem per sententiam absolui, si nocens probatus est. Nō enim absolui nec condemnari debet. Non absolui, ne populus scandalizetur, cum probatum hæreticum, vel homicidam, aut latronem videat impunitum relinqui. Non condemnari, quia non minus est contra ius naturale, & iustitiam. Sed aliter de facto liberare, si inferior est remittendo ad superiorem, vel examinando diligentius testes, vel aperiendo secretò carcerem, vel dimittendo officium, vel sustinendo aliud damnum in re familiari.

familiari. Et per se si supremus est, vel benignè ex gratia à pœna liberando, vel iubendo ne procedatur in causa, vel secretò dimittendo, quasi ille aufugerit, &c.

A D tertium respon. quòd dimittendo officium, & iurando innocentiam illius, non potest calumniari, sed vehementer laudari.

A D quartum ex Caiet. Respon. falsum esse quod plus curæ habere debet de officio, quàm de proximo innocente. Licet enim verum
174 sit, quod non tenetur incumbere proximo conseruando, sicut tenetur officio incumbere, quod est suæ curæ commissum: tamen tenetur non lædere proximum innocentem, etiam si iacturam faciat officij, imo & vitæ propriæ. In eo sensu verum est, maiori curæ sibi officium esse debere, quàm proximum. Quia ratione alterius, etiam ad eius vitam saluandam, nihil contra sui officij rationem agere debet. Culpa enim ac peccatum pro nullo etiam amicissimo, admittenda est. Adde, quod, vt ait, Cordub. in solu. ad primum. Licet magis ei conueniat cura sui officij, quàm alendi vitam alterius: tamen sic suo officio vti potest, vt non sit in præiudicium tertij, & circa indebitam materiam: sed iustè officio vtendum est. Maximè, quia in eo, quod dicit, vti officio suo petit principium. Hoc enim erat probandum, cum potius faciat contra officium, & contra ius naturale innocentem morti deputando. De-
175 nique aliud est, non alere vitam proximi, aliud directè auferre, & lædere. Maiorem enim curam habere debet, ne lædat, quàm vtendi officio proprio.

E X E M P L V M verò Caiet. de occidente inuasorem, extraneum est à proposito. Quia ille est aggressor, & nocens, & non in necessitate: sed in propria iniquitate constitutus. Quod verò dicit non occidere ex intentione, infra probabimus esse friuolum. Et id satis à Cord. impugnatur in solu. ad primum argumentum secundæ opinionis. Affert etiam Nauar. cap. Pastora. de offic. deleg. §. quia vero. Vbi Innocen. 3. præcipit esse exequendam sententiam, etiam si sciat esse iniustam, scientia inquam priuata. Respon. Primò ibi esse sermonem de ciuilibus. Quod patet, cum sit sermo de sententiâ delegati Papæ & ordinarij. Secundò, quia potius nostra colligitur sententia, quia est sermo de executore. Potius enim colligitur, quod si esset cognitor cau-
176 sã non liceret. Et ideo inquit. Attendentes, quod non cognitio, sed executio causæ ei demandatur, & ordinarius tenetur obsequi delegato, ideo, &c.

E x ijs colligo primum immerito docuisse Couar. num. 7. illatione 2. nullo pacto congruè distingui posse inter ciuilia & criminalia, vt nos distinximus, distinguitque Host. Innoc. Calder. Panor. Felinus in d. §. quia verò cap. Pastoralis. Vt enim diximus satis aperta est discriminis ratio, siquidem, cum de re familiari agitur, ius naturale postulat, ne iuris ordo confundatur, vt vnusquisque ciuis iuri sui cædat, tolleret quàm patienter sententiam iuxta publica acta, nec iudex officium dimittere, vel rem familiarè perdere oportet vt hoc ipsum in altero seruet, ac cum de membro, aut vita agitur, in naturale, & ratio præscri-

bit, ne propter officium, aut res temporales, quas contemnere oportebat eum, quem verè iustum, atque innocentem cognouit mortis supplicio deputet, quod certè rationi, & legibus aduersum est.

177 **S E C V N D O**, ex his patet esse verum homicidam, & ad restitutionem teneri iudicem talem, hominem condemnantem. Cùm peccet contra iustitiam, etiam in casu prædicti scandali, quod ex supradictis satis est planum. Quid verò restituere teneatur infra dicemus cap. 1. lib. 3.

I L L V D animaduerto Cord. licet in tota illius 3. opinionis longissima probatione quamuis eam acriter tenuisse ostenderit: tamen in fine d. q. D. Thom. sententiam probabiliorem, & sequendam censet.

178 **Q V I N T A** dub. econuerso est. An liceat condemnare ad mortem criminofum re ipsa nocentè, tamen opinione, & publica scientia innocentem? v. g. occidit quis fratrem suum, vidit solus iudex, non potest legitimè per acta publica conuinci. An talem liceat publica autoritate occidere? Accipe aliud exemplum. Aggressus est quis reginam, non potest probari, vel si potest non oportet ad publicum iudicium prodire. An possit iudex saltem supremus sine strepitu iudicij talem occidere? Pro explicatione animaduerto duo esse præcipuè de iudicij solemnitate. Primum est defensionem parti concedere eam citando, & audiendo. Alterum est, testibus causam probare. Omitto alia, quæ planum est, non esse de iure naturali. Circa primum quidam sunt, qui sine vlla dubitatione defendunt supremum iudicem sine citatione vel aliquo processu, etiam occultè facto sua sola priuata scientia posse condemnare. Quos optarem ita acres in probando se exhibere, atque fuerant in asserendo. Sed potest iudicio meo probari hæc sententia: quia iudicium principis ex se est certius, quàm duorum testium, cùm sit vires reipubl. gerens & cui ob maiorem prudentiam, & probitatè, reipubl. commissa est. Quod licet re ipsa, quandoque non ita sit: tamen ita præsumere debemus, & ob id dici solet, quod in dub. pro prælatis est iudicandum. Ob id etiam legislator est, & rerum omnium moderator, tanquam si eius iudicium multis priuatis sit præferendum. Si ergo illius iudicium priuatum tantam vim habet, æquale profectò (vt minus) esse debet iudicio priuato duorum hominum, & ita sua scientia priuata valebit sine vlla solemnitate condemnare. Vnde in multis congregationibus suffragium rectoris vel alterius superioris pro duobus valere cernimus. Quare si delictum fieret coram iudice, posset in flagranti eum iubere occidi. Secundò, id probari posset, quoniam istæ iuris solemnitates in iudicando iure humano sunt introductæ, saltem gentium, quo diuisa sunt regna & reges introducti, non autem iure naturali aut diuino. Licebit, ergo regis, si non de sua ordinaria potestate, vt prima ratio probare nitebatur, saltem dispensando in legibus id efficere.

179 **T E R T I O**, denique: quia quando condemnandus est innocens re ipsa, potest, imo tenetur iudex illum sua priuata scientia vtendo liberare. Poterit ergo eadem ipsa scientia priuata condemnare, cùm con-

trario

trario eadem sit disciplina, & potestas. Ligare enim & absolvere eiusdem sunt potestatis. **M I N I** sanè aliter videtur sentiendum, quod vt soleo per puncta claritatis gratia, explico. Primum ergo mihi videtur, quòd ob his solemnitas in iudicio requisita præter illas duas, est iure humano introducta, vt est accusatio, terminus ad respondendum, scriptura & instrumenta publica, &c. Et id probatione non eget. Cùm non ius naturæ nec diuinum id postulet. Secundò, existimamus in his solemnitatibus non posse iudicem inferiorem dispensare, sed tenetur ordine iuris procedere per accusationem, scripturam publicam, &c. supremi tamen posse illas in iudicio dimittere. Quod docuit Couar. 1. Var. cap. 1. num. 7. §. Tertium etiam, Ant. 3. par. tit. 9. cap. 15. §. 1. Horum ratio est etiam manifesta: cùm solum is, qui legem tulit, non inferior, qui solum est executor & custos, possit contra legis ordinationem facere. Vnde colligitur male facere iudices inferiores, qui occultè informationem, & attestations accipiunt contra aliquem, & eum inauditum morti etiam condemnant, in quo planè eos peccare non dubitamus. Ita Allocer in sum. cap. 26. §. 7. *no basta*, & tenetur ad restitutionem, vt infra dicemus. Cùm sequatur proximo damnum ex omissione eius, quòd ille ex officio facere tenebatur. Sicut testis in iudicio non dicens testimonium pro innocente, &c. Tertio putamus, quòd si crimen est omnino improbabile, non potest etiam supremus iudex morte punire. Maximè non citatum & defensum, & ita esse homicidium iniustum. Ita sentit Caiet. in sum. verb. homicid. Sor. 5. de iust. q. 1. artic. 3. ad 1. & q. 4. art. 3. Nauar. cap. 25. num. 10. Sylu. iudex 1. q. 5. d. 2. Mercil. lib. 6. c. 4. §. 10. 2. Ant. 3. par. tit. 9. cap. 15. §. 3. cit. Cord. lib. 1. quæst. 37. ad 2. rationem 2. opin. & circa fin. q. Ant. Gom. in l. 76. Tau. num. 9. & Couar. vbi supra, & in pract. cap. 26. num. 6. D. Thom. 2. 2. quæst. 67. artic. 3. ad 3. Castr. 14. de hæresi. ver. tyrannus §. Rursum. Neq; vllum legi qui oppositum sentiat. Rationem huius sententiæ reddunt Caiet. Nauar. & alij, quia sententia est actus publicus, aliàs esset iniusta, si à priuata fieret autoritate. Debet, ergo procedere ex scientia publica, alioquin, nec causæ essent sibi inuicem causæ, dum potestas est publica & scientia priuata, nec adhibentur causæ commensuratae effectui, dum actio potestatis publicæ ponitur exire à scientia priuata. Et ita requiritur processus per partis saltem citationem, & testium depositionem. Sed hoc non conuinceret. Nam dici posset, quòd scientia priuata principis æquiualeat publicitati duorum testium, & quòd eo ipso, quòd est princeps non priuata sed publica est, & ideo potest liberare innocentem sua sola scientia talem, vt quæstione præcedenti diximus. Ratio ergo est meo iudicio, quia defensio rei, & testium probatio est illi debita iure naturali vel gentium, vt Sylu. voluit: in quo tamen princeps dispensare non potest, vt patet. Quod verò sit de iure naturali, probat ex Clem. Pastoralis §. verum. Pnesertim, ait Clem. de crimine graui delatoris, defensionis (quæ à iure præuenit naturali) facultas adimi non valet. Cùm ea tollere in particulari non licuit, quæ iuris naturalis existunt. Et in cap. Deus

12. quæst. 1. *Diuino exemplo monemur, ne indiligenter, probata & discussa causa iudicemus & infra. Si Deus enim cognitor omnium, &c.* Vbi insinuat esse ius diuinum, ne sine probatione aliquis iudicetur. Et eadem q. sic dicit Melchisedes Pont. *Primum probate postea charitatiuam sententiã proferte, & quod vobis non vultis fieri, alteri facere nolite*, vbi etiam sequitur esse ius naturale iuxta illam naturalem legem, *quod tibi non vis, &c.* in cap. Qualiter elect. 2. de accusationibus. *Vnde videmus Deum non protulisse sententiã contra Adam, nisi prius vocatum & auditum ac defensum.* Et Euaristus Papa Epist. 2. ad omnes Episcopos, & recitatur in cap. 184 Nullum 3. quæst. 5. *Nullum (inquit) ante veram iustãque probationem iudicare, aut damnare debemus, teste Apost. qui ait. Tu quis es, qui iudicas alienum seruum, ad Rom. 14.* Et Eleuterus Pontif. in cap. iudicantem eadem causa, & q. *Iudicantem (ait) oportet cuncta rimari, & ordinem rerum plena inquisitione discutere, interrogandi, respondendi, obijciendi præbita patientia.*

RATIONE verò hanc sententiã probo, quia auferre ab aliquo arma, quibus se iustè posset defendere, est directè contra charitatem & iustitiam. Constat autem reũ antequàm sit legitime conuictus, posse iustè se defendere, vel negando, cum secretum sit delictum, secluso mendacio, vel alia via iusta. Qui ergo non audiendo, hæc iusta arma illi aufert, facit contra ius naturæ non minus, quàm si ab eo enssem subriperet, quo solo se poterat defendere à morte, & eo ablato occidendus est. Nihil enim refert, vel armis, vel rationibus de salute dimicare. Nec etiam illam rationem Caiet. & doctorum omnino infirmam putamus. Nam reuera non videtur, quod talia delicta occulta sint humano iudicio subiecta, Sed tantum diuino, iuxta illud Apostoli, *Nolite ante tempus iudicare, quoad vsque veniat dominus, qui illuminabit abscondita tenebrarum, &c.* Habet enim se quod ad iudicium humanum attinet, velut innocens. Quod si absoluere potest, & teneretur scientia priuata cogniturum innocentem, vt supra probaui, non inde conuincitur posse condemnare nocentem cogniturum scientia tantum priuata. Quia illum non absoluit autoritate publica, sed priuata lege charitatis & iustitiæ de facto, (vt supra dub. præcedenti dicebamus) qua teneretur proximi salutem conseruare. Est enim animaduertendum esse verissimam illam doctorum sententiã, quod cum potestas sit publica, non nisi notitia publica prodire in actum potest, siue in fauorabilibus absoluendo, siue in pœnalibus condemnando. Oportet enim causas esse sibi inuicem causas, & causas proportionari effectibus, vt doctè Caiet. 185 docuit. Exigit enim actus publicus, vt à voluntate & notitia publica proficiscatur, sicut à commensurata causa. Cum ergo ad condemnandum non sufficiat priuata potestas, sed publica interuenire debeat, consequens est: vt neminem damnare possit, nisi per publica documenta id sit probatum: at ad liberandum aliquem à morte, vel alia pœna non est necessaria publica autoritas: sed priuata autoritate liberari, & defendi potest proximus & debet. Vnde planissima differentia constat, cur absoluere debeat, id est, non cõdemnare reuera innocentem, obligante

gante ad id priuata charitate & iustitia commutatiua, non tamen possit condemnare partem inauditam, & de crimine non probato, quod auctoritas publica facere non potest, quæ tamen ad occidendum est omnino necessaria. Quibus rationibus, & iuribus illorum sententiã aliis 187 doctissimorum, quos vehementer illam sententiã, vt veram tenere vidi, falsam esse apparet.

Argumenta tamen nostra, quæ pro eorum sententiã vrgere videntur, antequàm respondeam, placeat interrogare. An hoc naturale ius ita sit strictũ, vt non patiatur interpretationem, vt lex nõ mentienti: an verò aliqua epicheia bonum reddi possit? Nauar. & Caiet. hanc difficultatem tangunt, & vterque negando respondet. Siue enim sit propter scandalum vitandum, ait Caiet. fieri non potest, vt si iudex dicat mortè quidem mereri clarissimè, sed vt honor illius familiæ & dignitas seruetur, & vt scandalum vitetur. Siue pro magna aliqua causa, fieri quidem potest, ait Nauarr. dummodo processus fiat secretò, vbi partes rei agantur ipse personaliter non citerur, nec audiatur.

Ego sic dicendum putarem. Primò si crimen est publicum sine ci- 188 ratione, defensione, & processu potest cõdemnari & puniri. Ita docuit Nauar. & nullus negat. Et ratio est meo iudicio: quia ille non potest se iure defendere in iudicio, negando factum, vel alia via licita. Quia si post duorum testimonium iustè negare non potest, minus poterit post omnium fere testimonium, & ita non adimitur illi iusta aliqua defensio. Et idem est dicendum de iudicibus, qui reptos in flagranti delicto publico, vt latrones in viis statim suspendi iubent. Interuenit enim ibi (ait Caiet.) notorium facti, loco accusatoris & testium, ifaciens publicam scientiam, & excitans publicam potestatem ad publicum iustitiæ actum. An autem id sit contra charitatem, quia negatur locus sacramentorum, statim dicam. Id tamen intendimus non esse contra iustitiam, nec ad restitutionem obligari. Ita habetur expressè in c. Bene, de Elect. vbi Innoc. 3. sic dicit: *Contra processum verò legati favore videtur, quod non citatis Episcopis, & eius fauoribus processisset.* Porro excessus notorius examinatione non indiget. Et ita docet ibi Panorm. idem in 189 cap. Cum olim, de Re iud. & ibi Felin. colum. 5. & cap. Ad nostram, de Iure iur.

SECUNDO videtur, quòd si reus ita esset potens, vt capi non posset, non vocatus, & non defensus condemnari posset in absentia. Ita faretur Syluest. homicidium 1. q. 5. *Quem locum immeritò supra dicti contra nostram sententiã adducunt.* Non enim est contra nos, cum nos, locuti sumus, quando reus citari potest, & comparere vult, vt se iustè defendat. Et ita non est sine iure propriæ defensionis spoliandus: at ille potens, nec tutò vocari potest, nec vocatus compareret, & ita intelligitur nolle iustã defensionem. Quare non tenetur Rex illum dimittere si occultè occidi potest. Vnde sibi imputandum est non regi. Et idem docuit Nauar. num. 11. & glos. singularis in l. antepenult. ff. In quibus caus. mai. laudata per Rauen. in cap. 1. de Gaus. poss. idem 190 Dec. in cap. ex parte 2. de Offic. deleg. col. 2. Modo tamen ait Nauarr. allegari,

allegari, & probari curet pro absente quæcunque possunt.
 TERTIO videtur, quod si in futurum damnum impenderet regi
 vel rei publ. & alii cui tertio innoxio, posset occidi occultè. Tamen enim
 non videtur occidens potestate vindictivæ iudicis, sed vitur iure de-
 fendendi innocentem. Si enim id facere posset privatus homo ad sui
 defensionem sine strepitu iudicij, quando scilicet non est aliud reme-
 dium, ut infra dicemus, quanto amplius reus ad sui, vel aliorum tute-
 lam & defensionem? Igitur in casu in quo crimen est secretum, licet à
 principe cognitum, & reus non est potens, aut rebellis, sed compare-
 191 ret, si citaretur, nec pendet damnum in futurum. Nunquid poterit in-
 auditus, & indefensus condemnari propter aliquam magnam causam?
 puta quia aggressus est reginam, et si citetur, & processus fiat, diffama-
 bitur regia persona, vel sequetur alia rei publ. perturbatio, aut danum,
 ut si criminofus esset filius Imperatoris regis, aut supremi principis
 rei publ. quem non sine magno scandalo puniri conringeret, an tunc
 occultè perimi posset? Navar. Caiet. & Merc. id condemnant locis ci-
 tatis & in id inclinât Sor. quæst. illa. artic. 3. ad primum. Ait enim esse
 contra ius naturæ contra inauditam partem, & indicta causa ferre
 sententiam, etiam si reus esset perniciosissimus. Verum tamen Couar. &
 Cord. locis citatis dicunt fieri posse ob criminis atrocitatem, & ita vi-
 dentur magis ad vindictam, quam defensionem alludere.

M I H I distinguendum videtur. Nam vel delictum est probabile,
 vel non, sed est vel omnino secretum, aut vnus tantum testis. Si pri-
 mum, id est si plene probari posset, tunc videtur locum habere Epi-
 cheiam, & ita occidi posse secretò veneno, vel alia via, non citatum &
 192 defensum. Tunc enim non aufertur ab illo iusta defensio. Nam si pro-
 bareretur, ut potest illa citatione & defensione nihil proficeret, nec ius-
 tè si posset aliqua ratione defendere. Si ergo ex probatione graue in-
 stat scandalum, illa dimissa poterit occidi, ac si facta esset, vel saltem
 secretò posset fieri, si inconueniens non esset. Nec illi fit iniustitia,
 cum sciat princeps nullam reo competere defensionem, & communi
 bono provideatur vitando scandalum & republ. purgando crimino-
 sis hominibus. Et in hoc casu veram puto sententiam Couar. & Cord.
 vbi supra. Quam in terminis tenet Greg. Lop. in l. 4. tit. 2. part. 7. & ita
 sensisse videtur Navar. Si verò non potest sufficienter probari cri-
 men, si iuridicè procederetur, videtur vera sententia Navar. Caiet. &
 193 Sor. ita ut sit intrinsecè malum atque iniquum. Si enim damnum non
 pendet in futurum nec peccatum est publicum, & reus vult compare-
 re in iudicio, & se defendere quantum honestè & licitè potest, magna
 illi fieri iniuria videtur, si propria arma, & vnica iusta vitæ tutela sibi
 auferatur. Ex quo enim non potest conuinci per testes iudex etiam
 supremus non potest eum condemnare: sed est quoad humanum for-
 rum velut innocens, licet quoad Dei iudicium nocens. Iudex enim
 tenetur ex D. Thom. & ferè omnium sententia secundum allegata, &
 probata, & non aliter iudicare. Ius ergo habet ille ad vitam, dum ille
 nihil probari potest malè gessisse, & ita princeps reus esset homicidij,
 & re

& restitutionis onere teneretur. Secundò id probò alia vrgenti ratio-
 ne: quia Rex priuata scientia potest delictum punire, cum publicè sit
 probatus innocens, teneretur ille publicè delictum confiteri. Quia
 si iudex iustè procedit, & condemnat, non posset reus veritatem ne-
 gare, & sententiæ iustè latæ, non parere. Cum ergo nullus dicat il-
 lum teneri delictum confiteri, & sententiæ mortis parere, dum nihil
 per testes aduersus ipsum probatum est, imò est innocens publicè iudi-
 194 catus, sequitur, nec iudicem posse pœnam infligere. Non enim est ali-
 qua ratio, quæ cogat bellum concedere vtraque ex parte iustum. Et
 huius etiam sententiæ fuit Merc. qui loco citato fatetur esse idem in
 hoc casu, atque occidere innocentem. Solum enim inquit Merc. diuine
 iurisdictioni subest talis peccator.

F O R S A N de ciuilibus concedi posset dicta sententia, sicut dixi-
 mus de reuera innocente, si causa aliqua iusta subesset sic iudicandi. Se-
 cus si non esset, quia ut rationes factæ probant certè ratione illius de-
 licti nulli humanæ iurisdictioni est subiectus. Vnde nec in his vult
 Navar. id concedere. Grauius enim peccare docet principem, qui so-
 la scientia priuata priuar aliquem bonis temporalibus non ad nutum à
 mobilibus, ut beneficiis, honoribus. Quamuis, ut dixi verius videtur, 195
 quod dixi de iis temporalibus, aliàs nequit intelligi, cap. Pastoralis. §.
 Quia verò. Vbi expressè dicit Inno. 3. esse exequendam sententiam ab
 Ordinario, quam delegatus tulit, etiam si sciant esse iniustā, id est, scien-
 tia priuata. Si enim scientia publica sciret in ciuilibus vel priuata in cri-
 minalibus peccaret grauius, si ab executione non subsisteret. Et ita vi-
 detur iniustè illi pœna infligi. Secus si non esset imponenda pœna, sed
 solum cogendus ad restitutionem ut quia scit rex priuata scientia il-
 lum debere alteri summam, quam tamen non vult soluere, nec proba-
 ri potest debitum. Tum enim planè Rex, imò quicumque iudex potest,
 & debet illum cogere ad soluendum, eo quòd, tunc non vitur iure
 vindictæ, & potestate iudiciali, sed iure defensionis rerum proximi ab
 iniusto inuafore, & possessore, quod etiam priuatus facere posset, si id
 eo modo exequi integrum esset.

E x dictis facile soluuntur argumenta in contrarium. Ad primum 196
 respon. quòd scientia principis priuata non facit publicum crimen, li-
 cet illi regulariter magis sit credendum, quam alteri de populo: sed
 semper delictum dicitur secretum, & est. Aliàs teneretur delinquens
 confiteri in iudicio, quod non est dicendum. Vnde Eugenius Roma.
 Pontifex in c. Si sacerdos de Offic. iud. ord. Si sacerdos (inquit) sciat pro
 certo aliquem esse reum alicuius criminis, vel si confessus fuerit, & emendare
 noluerit, nisi iudiciali ordine probetur, non debet eum arguere nominatim, &c.
 Quia non ut iudex scit, &c.

A d secundum, quòd citare, & audire reum, & non nisi sufficienti te- 197
 stimonio condemnare ad mortem, non est ius humanum: sed naturale
 & diuinum, satis responsum est. Et licet esset humanum, ut Syluest.
 docuit verb. bellum. §. vltimo, quòd tamen falsum est, tamen non po-
 test tolli adhuc per Imperatorem, ut ibi docet Sylu. Est enim omnium

gentium consensus, qui quasi naturalis iuris vim habet. Vnde minus bene docuit Ang. verb. defensiois i. esse de iure gentium. l. ciuili, & quod possit tolli per aliud ius. Naq enim est de iure gentium, vt Syluest. docuit. Probauimus enim esse de iure naturali, & expressè id docuit Caieta. Sor. & Nauarr. cita. & Merca. & glos. in extrauagan. i. de dolo. & contumacia.

S E D dubitari potest an certus numerus testium sit ita necessarius, vt nec supremus princeps possit sine tali numero condemnare? & tota quaestio est de numero duorum testium. Nam plures requiri tantum est iuris ciuilis solemnitas. Sed nec duo requiri videntur iure naturali.

¹⁹⁸ PRIMVM mihi videtur esse de iure diuino, & id certo tenendum iuxta domini vocem, *in ore duorum, vel trium stabit omne verbum*. Et ita principem etiam supremum in ea dispensare non posse in causa sanguinis, nisi vt supra dixi Epicheia declarando, quando scilicet reuera sunt testes, & probari potest, sed non oportet ob scandalum, &c. Quod vt supra dixi, non possit facere inferior iudex. Licet enim quoad declarandum ius naturæ idem ferè sit de illo, & supremo iudicium, tamen non potest hic, sicut ille ciuilis iuris solemnitates prætermittere, pro libito. Si tamen remitti non possit sine scandalo causa ad supremum, possit etiam ipse dicta Epicheia vti. Si verò probari non possit, vt supra dixi. Neque ob scandalum vel aliam magnam causam non esset licitum. Tum enim habet verum, vtilius scandalum nasci permittitur, quam veritas deferatur, scilicet vitæ huius. Effet enim scandalum acceptum. Quamuis non video, quod scandalum esse possit, vbi delictum est secretum & omnino improbabile.

¹⁹⁹ AN verò sit etiam de iure naturali duos esse testes? Mihi videtur esse de iure naturali. Non enim est maior ratio cur vni testi magis, quam reo credatur. Maximè vbi non est specialis accusator. Et maximè etiam in causa mortis, vbi ipsum naturæ ius & mutua charitas, & societas hominum non permittit, ita facillè hominem ad mortem cõdemnate. Maximè etiam: quia ex natura rei, & per se loquendo vnius hominis iudicium fallibile est, duorum autem vel trium, licet per accidens ex malitia, vel ignorantia quandoque fallatur: per se tamen, & vt plurimum verum est. Vnde quod ait Cord. in qq. quaest. illa 27. in respon. ad 6. rationem 6. opinionis, probare non possum. Ait ille, quod illud *in ore duorum, &c. valet in lege noua quatenus est morale, ad hunc sensum nescilicet quis condemnatur, nisi sufficienti testimonio: quatenus autem est iudiciale, quod scilicet duo, vel tres testes sufficient, hoc non habet vim in lege noua, nisi*
²⁰⁰ *secundum quod humana lege ordinatur. Nam quandoque plures, quandoque pauciores, requiruntur.* Hæc ille. Ex quibus verbis nonnulla displicent: placet vnum. Displicet sanè eò quod dicat, quatenus iudiciale, non habere vim in noua lege: Si quidem à Christo confirmatum est Matthæi 18. & à Paulo obseruatum, & prædicatum 2. Corinth. 13. *Tertio veniant ad eas, vt in ore duorum, &c.* Secundo: quia non explicat Cord. quod intenditur. Ait enim sensum illorum verborum, vt morale præceptum continent

continent esse, ne quis condemnatur, nisi sufficienti testimonio. At hoc est, quod quaerimus, quodque explicare deberet, ipse Cord. An moraliter, id est, secundum dictamen rectæ rationis sufficientiant duo, & an requirantur tres. Denique: quonia falsum est in aliquibus causis, minus requiri, in qua enim rogo causa, minus, quam duorum testimonium sufficiet? Vnum igitur placet, quod ille tangit, sicque explicandum cenleo. Possunt enim prædicta verba intelligi duobus modis: negatiuè scilicet, & positiuè. Negatiuè quidem, vt sensus sit. Non minore quam duorum, vel trium testium numero, quis condemnatur. Quasi ibi non sit sermo de testibus, qui sufficient: sed de testibus, qui sunt necessarii. Et tum puratem non modo, esse de iure diuino: sed etiam de iure naturali. Ratio enim ita præscribit, eos testes requiri, ac necessarios esse, vt contra rectam rationem, & ius naturale sit, minori testimonio condemnare, vt supra ostendi. Positiuè, ita vt sensus sit, duorum testimonium, satis est, ad conuincendum quempiam: ita vt sit sermo non solum de eo, quod requiritur, sed de eo, quod sufficit. Hoc enim significat illud verbum. *Stabit omne verbum*, id est, habebitur, sufficienter firmum. Nec refert meo iudicio, quod in quibusdam causis plures exigantur. In hoc enim, non fit contra Dei præceptum. Illud enim diuinum ius in communi, & per consequens regulariter seruandum, recipit interpretationem, vt nempe secundum personarum, locorum, & circumstantiarum varietatem plures exigi possint testes, licet non pauciores, quidquid Cord. dicat. Sicut iure diuino & naturali, vt aliquis reus sit homicidij satis est, habere integrum, & perfectum rationis vsum, & discretionem: tamen potuit humanum ius ante certam ætatem decem & octo, vel viginti annorum decernere, ne quispiam morte mulctetur. Sicut etiam iure diuino matrimonium sine Parrocho & testibus validum esset, tamen potuit Ecclesia ob commune bonum irritum reddere, non diuinum & naturale ius murando: sed interpretando. Sic igitur potuit in aliqua causa plures exigere, quam aliàs iure naturali & diuino exigerentur, ob commune bonum, siue ob grauitatem causæ, & pœnæ, siue ob dignitatem personæ accusatæ, siue ob leuitatem testium, &c.

S E X T A dubitatio sit specialiter de restitutione. AN in casu quo mortaliter peccat talis condemnans scientia priuata, teneatur ad restitutionem? Quod enim teneretur facile deduci videbatur ex supra dictis. Cùm sit verè homicida, & per consequens peccet contra iustitiam. Alcocer tamen in summa c. 26. versiculo *no basta*, docet peccare mortaliter sed non teneri ad restitutionem. Primum probat: quia condemnat sine sufficienti probatione, quæ ex processu constet. Quod verò non teneatur restituere probat. Quia cùm pars reuera haberet iustitiam non tenebitur ad restitutionem. Sed profecto non assentior huic doctrinæ. Nam vel sermo est propriè de condemnatione & sententia, qua scilicet ob delictum tantum punitur pœna aliqua, quæ debetur ex lege, nõ ipso naturali iure: vt restitutio. Aut est sermo de sententia declaratiua, qua iubet soluere debitum. Vel satisfactionem aliam fieri, quæ erat

debita iure naturali, vt in ciuilibus frequentius vsuuenit. Si hoc secundo modo loquitur. Sane licitum est, secundum scientiam priuatam iudicare, & dare illi, quod suum est, vel illi debitum. Si enim quando ia iuridica debitum recuperari non potest, licitum est domino secretò rem accipere in recompensationem, vt infra cap. 5. tradituri sumus, & similiter est licitum, alicui tertio, rem proximi innocētis illo modo vindicare: sane multò melius licebit iudici sciēti rem verè deberi, illi præcipere sua sententia, vt soluat, etiamsi id per attestaciones non sit comprobatum. In quo licet potestate coërcitiua vratur: tamen potissimum 204 vratur iure defensionis proximi, ad quod iuratur potestate publica, qua fungitur. Vbi enim vnum propter aliud, ibi est tantum vnum, vt dicitur. Et ita in hoc sensu, nec restituere tenetur, nec peccat. Si verò primo modo loquitur, fateor equidem peccare mortaliter iudicem, vt supra est à nobis ostēsum: sed ad restitutionem pariter teneri est fatendum. Nam cum pœna legis non sit imposita, nisi crimine probato (Non enim lex ob delicta secreta, & penitus improbabilia pœnam temporalem posset imponere) sequitur planè, quòd ille nulli pœnæ est obnoxius. Et ita iniusta talis pœnæ esse intelligitur. Quamobrem iudex & mortaliter peccat, & ad restitutionem damni iniuste dati tenetur.

NVLVS ergo casus est in quo sit illa doctrina vera. Quòd mortaliter peccet, & ad restitutionem tamen non teneatur. Et meritò, quia 205 tale peccatum, aut nullum est, aut contra iustitiam est. Adde aliam rationem, quia vt supra diximus capite primo huius secundi libri. Quando alicui tertio sequitur damnum ex mea omissione eius, quod ex officio facere teneor, incurritur obligatio restitutionis, vt ibi latius respondimus, & omnes fatentur: Cum ergo ex omissione dictarum solemnitarum, quas ex officio facere tenetur alter damnificetur, sequitur, &c. Et idem putat Caietan. esse dicendum de executoribus subdominis, qui & mortaliter peccant, & restituere tenentur, si tales indemnatos occidant sine crimine notorio. Debent tamen obedire quoad captionem, & custodiam. Quia id potest superior ex rationabili causa præcipere. Quod etiam docet Nauar. d. num. 10. Et sic intelligo, & non aliter text. in cap. Pastoralis de Offic. delegat. Vbi Innocen. 3. disponit exequi debere sententiam ab Ordinario, quæ à delegato est promulgata, etiamsi sciat esse iniustam. Est enim verum, quòd ad captionem, vel alia temporalia, non in causa sanguinis. Quia vt dicebatur in his potest, iudex superior ex rationabili causa id efficere.

206 SEPTIMA dubitatio sit: An saltem liceat aliquando optare mortem innocentis. Sane si nullo fine rationabili quis moueatur, manifesta est malitia huius actus, vt si quis vellet aliquem mortuū esse, aut delictatur in ea cogitatione, vt illi malum hoc eueniat. Cōstat enim hoc ad inuidiam & odium proximi pertinere, quòd cōtra rationem est: Imò etiam nocentissimo homini isto modo mortem optare peccatum mortale est contra charitatem, etiamsi mihi inimicus sit. Malum enim etiam pœnæ, prout malum est proximo cuique optare & imprecari, directe charitati aduersatur. Vnde ne iudex quidē ipse nocentia huiusmodi optare,

optare, aut inferre potest, vt mala sunt, nempè ibi sistendo: sed ob reipublicæ bonum, & virtutis exemplum. Secundò suppono, id esse licitum, si talis esset finis, vt ipse innocens mortem subire teneretur. Ita optabat Christiana & sancta mater filiorum, mortem pro Christo, & ad id adhortabatur, atque idem est, si ad salutem spiritualem etiam vnus, id foret necessarium, vt supra dicebamus. Quin etiam licitum est optare mortem alicuius, morbum, dedecus, vel aliam temporalem iacturam, quòd conuertatur ad Dominum, vel ne tot facinora perpetret, vt docet Nauar. c. 15. nu. 10. Alexan. tractatu de Maledictione. S. Thom. 2. 2. q. 36. artic. 2. Sor. lib. 5. de Iust. q. 36. art. 1. Vnde desiderare mortem Turcarum, vel aliorum inimicorum Christiani nominis, quando aliter eorum persecutiones iniustæ cessare non sperantur, licitum erit, vt prædicti farentur Doctores: & videtur petere Ecclesia, dum ait: *Vt gentes paganorum & hereticorum dextera tua potentia conterantur.* Pro temporali verò necessitate reipublicæ, an liceat, iam ibi est explicatum.

DVBITATIO igitur in eo sita est, an propter alios inferiores fines liceat id desiderare, vt si quis desideret mortem patris, vel alterius, 209 propter hæreditatem, vel vt dignitatē eius assequatur, vel ne ab eo castigetur, aut reprehendatur. Videtur enim licitum, siquidem non optatur iniusta, aut violenta mors, à me vel ab alio efficienda: id enim apertè est peccatū mortale homicidij mentalis: sed mors naturalis, vel à Deo solo, licet violenter illata, vt in tempestate, suffocatione, &c. vel à iudice ob crimen, &c. Si enim obiectum licitum est, cur non licebit optare?

VERVM dicendum mihi videretur, nullo modo licere, id enim est contra ordinem charitatis, quo tenemur proximi vitam pluris facere, quàm bona nostra temporalia: at ille qui propter hæreditatem desiderat proximi mortem, pluris æstimat illa bona, quàm proximi vitam. Secundò, si proximus esset in extrema necessitate, v. g. famis teneretur, prædicta bona pro fratris salute dare. Ergo tenetur velle proximi vitam, cum iactura rei familiaris: cum hac autem voluntate impossibile est illam stare, ergo, &c. Notandum autem censeo pro declaratione maiori huius difficultatis, dupliciter haberi posse tale desiderium. Primum, vt diuina voluntas præcedat, nostra autem subsequatur, & hoc contingit, cum dicimus: *Si Deus voluerit, quòd ille moreretur, ego gauderem.* Et hoc sanè licitum est, imò tenetur illam mortem velle, cum teneatur diuinæ voluntati se confirmare. Secundò potest contingere tale desiderium, ita vt præcedant diuinam voluntatem, & illam velit trahere, & inclinare, vt illam mortem velit: hoc illicitum est, vt diximus. Licet enim diuinam voluntatem præuenire, & inclinare ad aliquem effectum, scilicet, vt nobis det gratiam, virtutes, &c. non sit malum: tamen trahere illam ad affligendum maximum malorum propter nostras temporales commoditates, inordinatum est, & in damnum proximi innocentis.

OB acutiorem autem lectorem animaduertere par erit, cum diximus, nostram voluntatem diuinam quasi præuenire, & inclinare, non ita intelligere, quasi detur causa, etiam finalis creata, mouens diuinam voluntatem. Siquidem Deus ob nullam creaturam quidquam vult,

omnia siquidem propter se vult. Non sanè voluit Deus mundum corporalem propter hominem, sed hunc, & hominem propter se, sicut propter finem: quamvis fateri oporteat, quòd voluit mundum esse propter hominem. Itaque discernunt sapientes inter velle hoc propter hoc, & velle hoc esse propter hoc. Primum enim Deus non vult (aliàs creatura esset finis, mouerétque Dei voluntatem) at posterior propositio vera esse debet. Siquidem Deus cum mundum condidit, vnum ordinavit ad aliud, sicut ad finem, mira quadam sapientia, quæque suis neccens ordinibus, vt acutissimè & præclarissimè tradit Diuus Thomas prima parte, quæstione decima nona, articulo quinto. Quæ sanè doctrina intellectu difficilis nonnullis visa est, non potentibus miram, verissimamque doctrinam perspicere, quam nos hoc loco rationibus probare minimè intendimus. Exemplum adijciam duntaxat, quod à sapientissimo quondam nobilitate generis, religione, & literis præstantissimo, atque optimo viro Magistro meo audisse, memoria teneo. Cum enim artifex horologium aliquod elaborat, & construit, plures rotas inuicem dependentes fingere videmus. Itaque is artifex non hanc rotam propter hanc vult, neutram enim sibi finem proponit, neque eius voluntas ab vlla illarum mouetur, sicut ad finem: finis enim est horlogium. At tamen verum est hanc ordinare ad hanc, seu velle hanc esse propter hanc. Sic igitur Deus non vult vnam creaturam propter aliam. Nullam enim, vt finem vult, sed omnia propter se: at tamen vult hanc creaturam esse ordinatam ad aliam: sed de digressionem satis. Igitur cum dicimus Deum nostris petitionibus inclinari, sic accipimus, vt velit ipse nostris precibus annuere, & petita approbare, non quòd moueatur per modum finis, vel quavis alia ratione à creatura Deus, vt dictum est, qui est primus omnium motor, non solùm in genere causæ efficientis, verum etiam in ratione causæ finalis.

PER hæc igitur patet ad argumentum: licet enim obiectum licitum sit, id est, non volumus proximo malum culpæ, est tamen malum pænæ, & omnium maximum. Atque ita illud desiderare proximo non licet, nisi propter maius bonum, vt scilicet diuina voluntas impleatur, vt bonum commune saluetur, vel spirituale bonum ipsius, vt infra dicemus. Vnde non licet patri desiderare mortem filia, quia eam dotare non potest, secundùm exigentiam sui status: cum maius proximi bonum negligat ob suum minus. Vnde sequitur, quòd delectari (ait Nauarrus in dicto cap. decimo quinto, numero decimo) de morte alterius propter bonum, vel vtilitatem, quæ ex illa morte oriretur, non propter ipsam mortem, non esset peccatum. Quod probasse dicit in capite Inter verba, numero 366. & in additionibus, in capite Quando, numero 369. Sed vt iacet ista propositio falsa mihi videtur, atque in hoc sensu à nobis impugnata. Si enim delectatio est de morte ob hæreditatem, vel aliud temporale commodum, iam ergo & gaudet de morte, malòque maximo fratris, propter suam vtilitatem: ac per consequens vtilitatem præfert vitæ fratris. Si enim obiectum ex se illicitum est, & inordinatum, quomodo iustificari potest ob inferiorem finem? Arbitror sanè intelligi posse

gi posse hanc sententiam ita, vt delectari de bono, vel vtilitate ex morte sequenda, non sit peccatum, modò non delectetur de morte, neque propter se, neque propter illud bonum. Estque maxima differentia huius propositionis, ab ea, quam Nauarrus asseuerat: nam in ea obiectum volitum est mors: finis seu circumstantia, est temporalis vtilitas, quod inordinatum est, & effrenatæ voluntatis: at in nostra, mors volita non est vilo modo: sed immediatum delectationis obiectum, est vtilitas, secuta ex morte, & de illa præcisè est delectatio. Quod omnes fatentur Doctores, & expressè Caiet. 22. q. 88. ar. 3. dub. 4. & in sum. verb. votum. §. Et quoniam. Sorus 8. lib. de Iust. q. 1. ar. 3. super §. concl. Dur. in 3. d. 39. q. 4. per totam Med. C. de Rest. q. 28. ad fin. Ang. votum 1. q. 3. Armil. votum. §. 2. Syluest. votum 2. q. 2. d. 3. Pedraza præcepto 2. §. 2. Fatentur inquam votum sub conditione inhonesta esse nullum, imò Dei blasphemiam, vt si quis voueret eleemosynam, si consequeretur mulierem alienam, quam optat, esse autem validum votum, si obiectum fornicatio non sit: sed proles. Vt si quis voueret eleemosynam, si ex concubina, quam habet, Deus dederit filium. Tum enim obiectum voti non est fornicatio, vel aliud malum, sed immediatè fertur promissio in filium, quod bonum est, licet ex fornicatione consecutum & ortum. Sic certè in nostro casu dicendum, licitam fore delectationem, si immediatè feratur in bonum vtile, licet ex morte secutum, non autem si delectatio sit de morte, sicut de obiecto propter tale bonum, & hunc fuisse Nauarri sensum existimo, licet eius verba aliud innuant.

OC T A V A dubitatio est: vt rùm licitum sit publicis magistratibus, aut regi, facere facultatem occidendi certum malefactorem, vel quicumq; sibi erunt obuij facti: cui dub. sub dist. respon. credimus: nam vel est sermo ante sententiam, contra illum iuridicè promulgatam. In quo casu, quid sit dicendum, ex dub. §. huius 2. par. satis est apertum. Post latà verò sententiã fatetur Sot. art. 3. ad 1. & Merc. li. illo tract. de Rest. capite quinto, versiculo *Suelen a las vezes*. Quòd bene potest concedi hæc licentia, quia cum iam sint iustè damnati, quicumque potest executor constitui. Quæ quidem doctrina mihi moderanda videtur, vt locum habeat, quando esset ad vitandum damnum futurum. Putà, quia sunt publici latrones, & hostes reipublicæ, vel aliud malum, nisi occidantur. impendet, & capi non possunt. Si enim vel capi possent, vt iuridicè punirentur, vel si capi non possent, tamen iam proceditur, solùm ad pœnam, vt iudicium feratur de præterito, non vt obuietur malo futuro. Putà, quia iam pœnituit, destititque à malo inferendo, non putarem esse licitum talem facultatem facere, quod, vt clariùs aperiam, placeat per puncta breuiter, & perspicuè explicare.

PR I M V M igitur viderur, qd si sint publici latrones, vel occulti malefactores, quorum dâna pendent in futurum, possunt, siue ante, siue post sententiã, à quocunq; occidi, etiam priuata auctoritate. Sunt enim aggressores, & reip. & singularum de illa personarum hostes. Et licet sine cõfessione moriãtur, id certè malitiæ eorù debet imputari. De hoc tamen, dubitat. superiori satis diximus, & infra, cù de defensione agemus. Secundò

218 Secundò videtur, si non timetur damnum vltèrius, sed solùm proceditur ad vindictam præteritorum criminum, non esse peccatum contra iustitiam, siue Principis talem facultatem dantis, siue executorum, nec ad restitutionem teneri vllum eorum: quia ex quo per sententiam sunt iustè damnati, nulla illis fit iniuria, vel à iudice, vel ab executore ex illius licentia interficiente, vt patet. Tertiò mihi videtur, quòd esset peccatum mortale talem facultatem facere, & ea vti exequendo: tum quia frequentius contingeret non habere ita purgatum affectum, quin occisio fieret ex ira, vel alia passione: tum præcipuè, quia adimitur illi potestas confessionis, & sacramenta recipiendi, quod infra dicemus iudicem teneri facere. Denique quia contingeret executionem fieri in alieno territorio, quod non licet, vt adnotauit Syluest. verbo homic. 1. q. 2. & 3. Postremò, quia posset fieri per clericum, quem non solùm fore irregularem constat, sed etiam peccare mortaliter (inquit) Merc. vbi suprà, cum agat contra religionem sui status, & iure talis executio sit illis prohibita, neque etiam sine scandalo fieret. His igitur quatuor causis posset interuenire peccatum ex tali difficultate. Quamobrem non putarem, vt etiam Sotus adnotauit, talem facultatem dari expedire, imò vt diximus, non licere. Si tamen aliquis occideretur sine vlla ex prædictis circumstantiis, nempe quia habet purgatum affectum, locum confessioni daret, non in alieno territorio, nisi saltem de consensu tacito legitimi domini, tandem si non esset clericus, licitè concederetur talis facultas.

220 S E D specialiter de marito occidente adulteram, dubium esse potest. In quo casu certum est, quòd si adulteros non inuenit in flagranti delicto, & eos simul non occideret, sed vnumquemque per se, vel alterum tantum, & mortaliter peccat, & contra iustitiam, & perinde ad restitutionem tenetur: neque erit tali interfectori impunè. Et ita habetur in cap. Inter hæc 33. quæst. 2. vbi Nicolaus sic scribit: *Sanctitas vestra requirit, vtrum marito liceat secundum mundanam legem interficere: sed sancta Dei Ecclesia mundanis nunquam constringitur legibus, &c.*

S E C V N D O dicimus, si eos in flagranti repererit, per leges seculares facere posse impunè, vt ait Nicolaus, & habetur in lege Grachus, ff. ad legem Iuliam de adulteriis: & lege maritus, ff. eodem: peccare tamen mortaliter peccato homicidij, vt communiter, & verè docent Theologi. Ira docet Sotus vbi suprà, articulo secundo ad primum. Nauarrus capite 15. numero 3. Med. C. de Restit. quæst. 3. in quarta causa, versic. *Ex dictis*, & habetur apertè in cap. Inter hæc, & in cap. Si quod verius 32. q. 2. vbi sic ait Augustinus: *Verius est, quòd non licet Christiano homini uxorem adulteram occidere.* Ratio est plana, quia mundana lex non potest in homicidio dispensare: sed solùm permittit impunè fieri, sicut de meretrice patet. Iure autem naturali & diuino, nullus, nisi publica auctoritate, potest, se occidendo vindicare. Tertiò putamus, 221 etiam teneri ad restitutionem hæredibus, non solùm dotis, quam non lucratur, sed etiam ipsius homicidij, & damnorum sequutorum: quia ex quo non est lata sententia, nec ipse executor factus est, priuatæ personæ homicidium est, & per cõsequens contra iustitiam. Lex tamen solùm ferr

fert impunè ob maximum dolorem acceptum à marito: nõ tamen eum vindicem proprium, vel executorem facit ante sententiam.

Q U O D si objicias caput interfectores, citatum, vbi Nicol. Papa sentit eos homicidas, qui vxores interimunt excepta causa adulterij. Vnde Gratianus ait. In hoc cap. videtur Nicolaus permittere vxorem occidere adulterij causa. Quare immeritò Sotus hoc caput, citat pro verissima sententia, cum potius sit contra, vt liceat causa adulterij occidere. Respon. tamen, quòd Nicolaus non dicit esse licitum causa adulterij occidere, sed solùm dicit negatiuam esse licitam. Dicit enim interfectores vxorum sine causa adulterij, homicidæ sunt. Sed non dicit, quòd cum ea causa, non sint homicidij rei. Est enim argumentum à contrario sensu non semper firmum, quòd non latuit gloss. illius capituli, dum ait. *Nota quòd vacat hic argumentum à contrario sensu, cum maximè idem Nicolaus expresserit suam mentem omnino contrariam in dicto capitulo Inter hæc.* Alioquin, cum id non solùm dicat de adulterio: sed de aliis criminibus, iam liceret ob alia crimina priuata auctoritate interficere. Quam expositionem etsi apud neminem legeram, eam tamen postea inueni apud Med. C. de Restit. quæstione tertia. quarta causa. versiculo respondeo. *Vel loquitur*, ait Med. *secundum leges mundanas, quibus vt licitum habetur, vt ipse capite sequenti se explicat.* Sed prior, commodior solutio est. Quarto tandem videtur, quòd qui auctoritate iudicis post latã, contra adulteram, sententiam, occideret, nisi aliunde ira, vel odio peccaret, licitum esset illam occidere, dotemque lucraretur, nihilque deberet restituere, vt ex dictis satis constat, licet multi, quos Sotus refert & Med. rectè impugnat, contrà senserint.

V I T I M O tandem dicimus multo minus patri licet filiam in adulterio deprehensam occidere, etiam per seculares leges. Licet enim impunè olim facere posset, vt patet per legem patri, & l. neque in ea. ff. ad l. Iul. de Adult. & l. castitati. C. eodem: tamen, vt Sotus docet in d. fol. 1. vsu abrogatæ sunt.

N O N A M dubitationem, quam in superiore difficultate supponere visum sumus, placet breuiter resoluerè. An liceat iudici aliquem occidere sine confessione, & Eucharistia? Sot. art. 2. ad 2. docet, quòd etiam si iudex certo nouerit per reuelationem in peccato mortali reum moriturum, non debet à condemnatione abstinere. Sed an differre debeat, non explicat. Syluest. iudex quæstione 13. di. 6. oppositum sentire videtur. Docet siquidem non esse negandum reo tempus confessionis, etiam si timeatur fore eripiendum. Nam licet id timeretur, vtilius scandalum nasci permittitur, quàm veritas deferatur. Nauar. cap. 2. numero 23. absolutè docet non esse negandum si petatur. De Eucharistia verò docet non peccare mortaliter iudicem non concedendo tempus ad illam suscipiendam. Hæc doctores, quæ maiorem distinctionem, lumenque desiderant.

I D E O mihi videtur. Primùm non teneri iudicem reum nolentem confiteri, & sacramenta suscipere, liberare: etiam si certò, vt ait Sotus sciret in mortali moriturum. Imo peccaret eum penitus liberando, &

oppositum siue sit scandalum impœnitentis rei, siue aliorum ex rep. esset ex malitia & passiuum, cum iudex tempus confessionis concedat, reus autem pœnitere nolit, vt iudicium eludat, & à pœna se liberet. Et hic habet locum, quod vtilius scandalum nasci permittitur, quàm veritas deferatur, id est iustitia, & iudicium.

225 **S E C V N D O** mihi videtur, quod iudex deberet dare tempus confessionis, etiam si sciret fore eripiendum, quod daretur, si ei mortem notificaret, vt se prœpararet. Et ita docuit Syluest. Plus enim æstimanda est æterna salus proximi, quàm vel quod eripiatur, vel aliorum scandalum, quod tamen passiuum esset, & etiam si esset ex fragilitate, vel ignorantia, tamen reparabile esset.

226 **T E R T I O** videtur, quod etiam si ereptio timeatur tenetur dare tempus confessioni vt Syluest. docuit. Tum: quia id ita est decretum in Clem. cum secundum, de Pœn. & remis. Vbi id indistinctè præcipitur, & iudices per excommunicationem id facere compelluntur. Tum secundò, quia difficile est veram concipere contritionem. Eo maximè tempore, quo animus est omnino mortis terrore perturbatus, & ita non est illi discrimini exponendus, neque sacramento ad salutem necessario priuandus. Minus enim inconueniens videtur, quod eripiatur, nisi esset homo flagitiosus, & damnum reipub. ex eius conseruatione immineret. Tum enim sufficit ei tempus contritionis dare: necessitas enim facit, vt se habeat, ac si non esset copia confessoris. Maximè, quia cum futurum damnum probabiliter timeatur, non tam proceditur cum emendato ad pœnam, quàm cum aggressore ad defensionem reipub. Quartò videtur, quod si nullum esset scandalum in dilatione iustitiæ, nec damnum timeatur, etiam si iudex tempus confessioni sufficiens concedat, vt si esset integer dies à sententia promulgata: & tamen ille nollet eo tempore confiteri: dicere quis pollet, quod iudex illum incõfessum licitè suspendere, vel alio mortis genere afficere posset. Quia ex quo tempus sufficiens dedit sibi non imputatur: sed reo. Tamen ego putarem quod si seculo scãdalò & ereptionis periculo, esset aliqua spes, quod post duos aut tres dies pœniteret, teneretur iudex etiam si ex malitia peccaret, iustitiam ad id tempus differre. Lege enim charitatis tenetur ruinæ animæ proximi succurrere: præcipuè irreparabili, & spiritualem eleemosynam grauitè indigenti conferre, cum spes salutis sit, & aliunde non vigeat occidendi necessitas. Quintò putamus, quod consuetudo negandi prædictum sacramentum, non valet. Ita glo. in d. cap. Cum secundum. Imò ex littera constat. *Cum secundum statuta canonica* (ait Cle. 5.) *ultimo supplicio deputatis, negari non debeat pœnitentia, ab usum damnabilem, in quibusdam partibus contra hoc introductum aboleri omnino volentes: iustitiosarios omnes, & dominos temporales, vt ab huiusmodi desistant abusu, &c.* Et meritò, quia talis vsus est contra ius diuinum. Tandem de communio-

227 **ne** mihi nõ placet sententia Nau. ita indistinctè. Tum: quia multi docēt Eucharistiã esse de necessitate salutis, vt medium necessarium simpliciter, sicut pœnitentiã. Tum: quia saltem est diuinum de illa præceptum, Maximè tempore necessitatis, vt est tempus, quo, vt viaticum est necessaria.

faria. Vnde si non timeatur ereptio vel aliud damnum notabile, grauitè peccaret iudex illius, præcepti impletionem impediens, & Eucharistiæ fructu & salutari viatico proximum priuando. Tum, quia ipso iure, quo conceditur pœnitentia, concessa est Eucharistia, vt apertè declarat Inno. in cap. Quod in te, de pœnit. & remis. his verbis *In illo verbo, per quod pœnitentia morientibus non negamus, viaticum etiam, quod verè pœnitentibus exhibetur intelligi volumus, vt nec istud decedentibus denegetur.* Et expressim conceditur in c. i. de furtis.

229 **S E D** objicies, quod non videretur licitè dånato ad mortè Eucharistiã porrigere. Id enim videtur damnatum in conc. Basil. ses. 15. Respon. vel sermonem esse, ne eodem die, quo Eucharistiã sumpsit, morte plectatur vel esse contraria consuetudine, quæ hodie laudabiliter seruatur, abrogatum vel forsan de eo, qui impœnitès moritur, quales sunt hæretici pertinaces & huiusmodi. Quamuis certior responsio est in d. ses. nihil tale decerni, vt legenti patebit. Ibi solum agitur de tempore celebrandi Concil. prouincialia & synodos. Vnde meritò improbatur à Sot. art. 3. Venetorum mos, qui quos exules habent ad mortè damnatos singulis facultatè faciunt, vt qui aliquè eorum interfecerit, vita, & facultate donetur. Quod probare videtur Syl. ver. Assassinus q. 3. Qui docet diffidatos, & bannitos per quemcunque occidi posse. Quod quantum ad forū conscientia licitum est (ait ille) si bono fine fiat. Cuius sententiæ fuit Angelus consil. 13. & sequitur Gem. in d. c. pro humani, de Homi. in 6. Et probat, ex C. de accusa. l. reos. Id inquam non placet Sot. vbi suprã. Quia ex eo fit, vt sine sacramentali confessione & Eucharistia moriantur. Quod ego verum putarem quando solum proceditur ad pœnam, quia iam sunt emendati. Aliàs verissima est prima sententia, & optima consuetudo Venetorum. Sunt enim aggressores, & malum pender in futurum. Et ita non imputatur occidenti pro se, vel republica defendenda, quod sine confessione moriantur.

230 **S E D** rogas an liceret potestatem talem facere, vt vbicunque etiam extra territorium proprium occidantur. Syluest. homicid. 1. quæst. 3. putat, quod nisi saltem de tacito consensu domini illius ciuitatis, non liceret. Esset enim mittere falcem in messem alienam. Et ita vt homicida posset puniri. Sed de restitutione nihil dicit. Posset ergo videri alicui esse obligationem restitutionis, quia illum præter iuris ordinem occidit & ita iniuste. Ex alia parte videtur, quod illi non fit iniuria, sed principi & ita illi nulla restitutio debetur: sed satisfactio principi.

231 **M I N I** videtur esse distinguendum, vt suprã dixi. Si enim damnum timeatur in futurum vbicunque occidi potest. Est enim defensio iure naturali concessa. Vim enim repellere, & se defendere in omni loco licet. Nec potest princeps esse rationabiliter læsus. Cum is non sit actus iurisdictionis: sed necessariæ defensionis. Et ita nec est peccatum nec restitutionis obligatio. Si verò solum proceditur ad vindictã, & pœnã: reuera putarem, & mortaliter peccare, cum vsurper iurisdictionè alienam, & ad restitutionem teneri, cum sine iuris ordine occidat aliàs dignum illa pœna. Sicut suprã dixi, omne enim damnum secutum proxi-

mo ex transgressione legis iustitiæ seu eius, quod ex officio facere quis tenetur est restituendum ut ex omnium sententia, supra latè diximus. Cum ergo ex officio, & lege iustitiæ teneatur ille abstinere à iudicio in alieno territorio, sequitur, &c.

²³² **D E C I M A** dubitatio fit. **Q**uomodo homicidium publica auctoritate factum sit licitum. Signanter dixi, *Quomodo*. Nam ex obiecto si debitæ circumstantiæ adsint licitum est, perniciofa reipub. membra publica auctoritate morte amputare. Conuenit enim rempublicam tranquillè & pacificè viuere, & oppositum esset hæreticum, ut supra diximus. An autem ex circumstantia fieri possit illicitum modò quærimus. Sunt enim nonnulli iudices ira vel insolentes, vel leues, ut minis, tormentis aut falsis promissionibus crimina extorqueant in magnum miserorum hominum reorum malum, & in sui popularem gloriam, ad quam fertur optimus quisque, veram illam proximi charitatem & clementiam respuendo, quam optimus Deus (cuius ipsi ministri sunt) à nobis & ab ipsis maximè requirit.

²³³ **Q**UARE disputare placet, an liceat iudici reū animo vindictæ occidere? Naua. cap. 15. nu. 2. respondet, quòd sicut nec odio ira nec vindictæ animo potest iudex quemquam occidere. Mihi tamen videtur primum licitum esse iudici animo vindictæ reum condemnare ad mortem, & ad aliam, quamuis pœnâ, quam iustè mereatur. Primum ad Roma. 15. dicitur iudicem esse Dei ministrum ad vindictâ malefactorum. Est enim animaduertendum hoc distare vindictam à defensione, quòd malum inflictum alteri, ob defensionem non est pœnæ impositio: sed damni vitatio impendentis. At vindicta est peccati præteriti punitio. Et hinc oritur aliud discriminè, quod de crimine præterito, & maximè emendato non est defensio, semper enim est de futuro. At vindicta est de præterito etiam si crimen sit emendatum: Tunc enim iustè pœna apponitur, & illa pœnæ appositio est vindicatio. Ex his ergo conclusionè nostro iudicio veriorem elicio. Nempe esse licitum iudici animo vindictæ reo mortem infligere, non tamen esse licitum priuatæ personæ. Nam nullus præter iudicem potest crimen castigare, vel aliud malum infligere proximo, nisi ut se defendat, quo fit ut cessante proximo à malo mihi infligendo, vel emendato iam de crimine in me commissio, non potest priuata persona in lege Euangelica malum alteri infligere: esset enim se vindicare, ut omnes fatentur. Quamuis iniuriæ satisfactionem perere possit, imo vindictam à iudice: at iudex potest & debet in pœnam criminis malum infligere temporale, etiam emendato crimine. Quamuis de pœna spiritali, ut est excommunicatio, &c. alia sit ratio, ut suo explicauimus loco. Potest ergo iudex non solum ad tutandam rempub. à damno impendenti (quod cuique liceret) sed etiam ad vindicanda crimina aliquem perirere. Vnde & bellum vindicatum iustum esse docent doctores, & infra nos dicemus. Quibus præclare consonat D. Thom. 2. 2. quæst. 108. ar. 1. & 2. imò etiam ibi videtur dicere, quòd priuata personæ liceat. Nam ar. 2. dicit esse de iure naturali, ut vnusquisque irrogatam, sibi iniuriam vindicet, sicut quod se defendat antequam

quam irrogetur. Sed meo iudicio id ipse non concedit priuatæ personæ: nam articulo illo primo ad primum, & ad quartum, planè docet soli Principi licere vlcisci. Et quamuis in solutione quarta dicat iudicem debere irrogatas sibi iniurias sustinere, si expedit. Ex quo videtur sentire, quod potest, ut priuata persona se vindicare, ideo est: quia in eo concurrunt simul publica auctoritas, & potestas, quapropter aliquando non expediret propriæ personæ factam iniuriam non vindicare. Vnde impurè priuata persona licere nunquam docuisset. Et hanc sententiam sequitur Caiet. ibi, explicans quo pacto virtus vindictæ, etiam si sit priuatæ personæ, non tamen quoad consummationem, & executionem actus ratione materiæ, scilicet mali inferendi. Reddere enim malum pro malo, non est priuatæ personæ concessum, sicut reddere bonum pro bono, quod est debitum naturale, seu morale, & bonum pro malo, quod est Christianæ & Apostolicæ doctrinæ. Denique in cap. Significasti, 2. de Homic. cum sermo esset de priuata persona, planè dicitur, quod non ad vindictam, sed ad propulsandam iniuriam, licet occidere. Ex his igitur colligo, vindictam esse virtutem publicam, & priuatæ personæ, sed publicam quoad perfectum & consummatum actum, quo malum exterius infligitur, sicut iustitia punitiua. Priuatæ verò personæ imperfectè: licet enim cuiunque desiderare, & gaudere de vindicta, qua iudices ob bonum reipublicæ, malefactores puniunt. Vnde in Scriptura dicitur: *Latabitur iustus cum viderit vindictam, & illud: Vindica sanguinem sanctorum tuorum, qui effusus est, &c.* Et Deus ipse sibi vindictam referens, ait: *Mihi vindictam, & ego retribuam.*

²³⁴ **S**ED obijciunt, quòd vindicta directè vitium importare videtur, & effrenatum motum aduersus rationem. Vnde ira dici solet vlciscendi libido. Verùm falluntur maximè, qui ista proponunt: vindicta enim propriè & directè virtutis actum importat, non vitij, licet non priuatæ, sed publicæ personæ. Primum, Deum ipsum vindictam sumpturum de peccatoribus, omnis Scriptura testatur, non ergo vitium importat. Quis enim audeat dicere, libidinem habere Deum, vel aliud nomen vitium significans. Vindicare igitur, & vlcisci, licitum actum nominat, puniendi scilicet, & castigandi. Vnde Cicero de Legibus, libro secundo, *grauiter* (inquit) *olim ista vindicabat vetus illa Græcia longè prouidens.* Et Paulus ²³⁸ in I. quod reipub. de Iniur. *Quod reipublica vindicanda causa, secundum bonos mores fit, et si ad contumeliam alicuius pertinet, qui tamen non ea mente magistratus facit, ut iniuriam faciat: sed ad vindictam maiestatis publicæ respiciat, is non tenetur actione iniuriarum: imò vindicare quandoque sumitur pro defendere, quod omnibus concessum esse nemo ambigit, ut ex infra dicendis in tertia huius capituli parte, patebit. Id quod egregiè Cicero tradit secundo libro de Inuentione: *Vindicationem* (inquit) *per quam vim & contumeliam defendendo, aut vlciscendo, propulsamus à nobis, & à nostris, qui nobis chari esse debent, & per quam peccata punimus, &c.**

²³⁹ **D**E odio tamen maior est difficultas: nam si odium est velle alicui malum, ut ait D. Tho. 1. 2. q. 26. & 1. part. q. 20. potest profectò & iudex imperando, & carnifex exequendo, & priuata persona desiderando,

odisse malefactorem, cum eis velit pœnam. Et sic Deus odit peccatores volendo eis pœnam. Si verò odium sumatur propriè, & ut dici solet formaliter, id est, velle alicui malum prout malum illius est, ibi sistendo, ut loquitur idem Divus Thomas 2. 2. quæst. 108. artic. 1. & 2. tu nec nec priuato, nec iudici liceret, vel facere, vel desiderare: esset enim actus crudelitatis, & inimicitiae veræ charitati, quæ amicitia est, contrarius, vnde nec Deus ipse, qui est Dominus omnium, sic odit etiam maximum peccatorem, ut illi velit malum, ut malum illius est, sed ob maius bonum. Sic ergo proximus etiam iudex debet velle malum ob maius bonum, vel ipsorum, ut respiciant, vel reipublicæ, ut tranquillè viuatur, vel honoris & iustitiæ diuinæ, ut gaudere licet de pœnis damnatorum. Quòd verò aliqui iudices prohibentur, ut inquisitores, odio vel amore contra aliquem procedere, id alterius sensus est. Est enim sermo de odio, quo illicitum aliquid contra proximum machinatur. Sicut etiam ibidem prohibetur, ne fauore iudicent, id est, ne aliquid illicitum admittant ob humanum fauorem, & opes. Sed ut recti iudices nihil, quod non est pœna dignum, odio condemnent: & e contra nihil, quod est ea dignum, fauore, aut gratia humana, aut pecunia interueniente, sine castigatione dimittant: quamuis in hoc sacro tribunali promptior esse debet, ut est misericordia, quam iustitia, exemplo, Dei Opt. Max. cui proprium est misereri, & parcere, ob rei præcipuè magnitudinē, de qua iudices sunt constituti, scilicet de fide, de bonis morib. de honore summo Christiani hominis, de dignitate, de rebus denique omnibus, quæ & re ipsa, & hominum opinione sunt amplissimæ. Qua in re, cum summè, & nocere & prodesse possint, summa prudentia, probitas, & clementia in iudicando est adhibenda, ut re ipsa, non sine magno Ecclesiæ fructu cernere licet. Quis enim non videt sacro & integerrimo isto iudicio factum esse in Ecclesia Christi, quemdam quasi admirabilem, per tot annos Ecclesia hæresibus deuexata, Ecclesiæ benè gerendæ, cursum ad gloriam: in quo, cum cæteræ Christianorum prouinciæ, tum præcipuè Hispania nostra, & fructum salutarem in experiendo, & in eo recipiendo, & conseruando summam laudem, est consecuta.

VERVM difficultas esse potest: vtrum quando iudex crimen extorsit morte dignum, inquirendo præter ordinem, peccet contra iustitiam, & consequenter restituere tenentur vitam, & alia damna? Sotus de reg. secr. quæst. 1. concl. 3. existimat non posse licitè punire, maximè quando minis & tormentis, aut falsis promissionibus crimen extorsit. Ratio eius est, quia iam inquisitio fuit iniusta, ergo & effectus, scilicet punitio: virtus enim causæ permanet in effectū. Idem videtur sentire Nauarrus in Sum. Lat. cap. 18. nu. 59. sed oppositum videtur esse definitum in cap. 242 post quàm de Accusationibus in Sexto: vbi dicitur, quòd si quis est confessus crimen coram iudice sine infamia, non potest allegare se sine infamia fuisse interrogatum, quominus puniatur. Ecce iniustam inquisitionem, & tamen iudex non potest non punire. Et ita sentit Syluester verbo Inquisitio 1. quæst. 3. di. 6. gl. in d. c. postquàm, quæ sanè glossa existimat per hanc Decretalem correctam esse opinionem Hostiensis.

M I N I

M I N I in hac re distinguendum videtur esse: nam si superior est iudex, qui in legis pœna dispensare potest, vel potest à supremo iudice remissionem obtinere, tenetur sub mortali à punitione cessare, aliàs ad restitutionem teneretur dānorum omnium, quorum fuit causa efficax iniusta. In quo sensu vera erit sententia Soti, & Nauarri: quòd si fortè ob scandalum, licitum esset occidere, vel alia pœna multare, quia reuera non est innocens, sed nocens re & probatione: tamen propter iniuriam teneretur dictam restitutionem facere. Si verò iudex esset ordinarius inferior, vel delegatus, tunc potest, imò tenetur, talem reum pœna legis multare: ille enim dispensare non potest in lege, cum non sit dominus legis, sed minister, & ita tenetur eam executioni mandare, & multò magis, quando ex opposito sequitur scandalum: & hoc existimo voluisse d. cap. Postquàm. Vnde ibi tantum erat sermo de delegato iudice: non enim dicitur in d. c. quòd iudex benè fecerit, sine infamia inquirendo, & quòd à restitutione sit liber: sed tantum dicitur, quòd reus semel confessus, licet malè interrogatus, non potest excipere, quòd sine infamia fuerit interrogatus; quasi sententia ferri non possit. Sed nunquid tenetur restituere? videtur enim quòd non, quia si tenetur condemnare, nullus faciendo id, ad quod tenetur, delinquit, & ita nulla erit restitutionis obligatio: sed verius videtur teneri ad restitutionem, ut Sotus ait: est enim iniusta & voluntaria occisio in causa. Licet enim crimine extorto semel, non possit non multare: tamen ille posset talem pœnam iniuste ferendam vitare, non interrogando à principio iniusta extorsione. Qui enim causam damni dat, damnum dedisse videtur: nam si aliquem præcipites, licet illum sustinere non possis, cum velis, & à morte liberare: tamen quia potuisti non eicere, & ita damnum vitare, reus es homicidij. Est enim generalis Doctorum regula, quòd restitutio est facienda necessariò, cum damnum proximo sequitur ex meo facto, quòd ex officio vitare debebam, ut infra latiùs.

COLLIGO ex prædictis, non satis esse ad rem Soti distinctionem de metu graui, vel tormentis: nam vel hæc sunt secundum ordinem iuris incussa, & tunc non peccat iudex, nec ad aliquid tenetur: sed rectè puniri potest. Si tamen contra ordinem iuris, etiam si non adsit metus, & tormenta, tenetur remittere pœnam supremus, cum iniuriam fecerit petendo crimen iniuste. Et ita secundum Soti rationem, cum virtus causæ maneat in effectū, condemnatio erit iniqua. Fateor magis iniustam fore punitionem, cum crimen contra iuris ordinem est extortum metu & tormentis. Sed adhuc sine illis esset iniusta, si sine infamia, vel certè blanditiis, vel falsis promissionibus habeatur.

SECVNDÒ colligo hæc à me intelligi, cum rogatus est ignorans, putans se teneri respondere in conscientia, vel timens, nisi confiteatur aliud sibi malum à iudice imponendum fore: tunc enim, quia patitur damnum inuoluntariè, & imperitus, tunc vera est sententia, & distinctio Soti: quando enim ipse se prodit, iam liberè vult pati dānum pœnæ, & ita licet peccet iudex mortaliter in puniendo contra iuris ordinem, sed non facit contra iustitiam cōmutatiuam, cum volenti & scienti non fiat

fiat

246 fiat iniuria, neque dolus. Quando verò minis & tormentis cogitur, tum patitur inuoluntarium iniuste, & ita peccat contra iustitiam commutativam, & restituere tenetur, ut dictum est. Et ita docuit Ledes. 24. q. 10. art. 3. dub. 2. maximè quia confessio facta minis, & tormentis, contra iuris ordinem, est nulla: quia non voluntaria, & potius præsumitur, quòd reus confessus fuerit, ut euadat dolorem, sicut etiam confessio extorta dolo, quia scilicet falsò promittit iudex, nullum sibi malum futurum ex tali confessione. Et ita docuit Ant. Gom. cap. 12. num. 5. tom. 3. Non enim est valida, cum præsumitur facta spe liberationis.

247 **S E D** nonquid erit eadem ratio, cum quis ad mortem damnatur, deficientibus aliis substantialibus iudiciis, qualia sunt. Primum, ut iudex sit competens. Secundum, de iurisdictione inquirentis. Tertio, quòd materia sit, de qua possit inquiri. Quarto, quòd inquisitio habeat formam. Quinto, quòd præcedat infamia. Quæ omnia sunt substantialia in iudicio, ut placet Syluest. verb. Inquisitio, q. 6. §. 12. In primis duobus casibus patet, iudicium esse nullum, & ita non posse condemnari reum, sine mortali peccato, & obligatione restituendi. De ultimo, scilicet de infamia, iam dictum est. De tertio, & quarto, benè respondet Syluest. quæst. illa 3. di. 6. quòd condemnari non potest, & per consequens, ad restitutionem tenebitur condemnans, cum iniuste damnificet proximum. Limitat tamen Syluester, nisi interrogatus defectum substantialem non apponat, & ita expressè definitum est titulo illo de Accusat. in sexto, capite secundo, ubi dicitur, quòd si iudex processit sine infamia præsentè interrogato, & non reclamante, impugnari non potest. Et capite primo eiusdem tituli dicitur idem, etiam si capitula, super quæ volebat inquirere, non tradiderint. Quamvis hoc accidentale videretur ad iudicium, sed & de accidentalibus ratio supra facta videretur convincere restitutionem: nam est occasio damni proximi, ex omissione eius, quòd ex officio tenebatur, licet non esset de substantia iudicij: sed in hoc prudentia & moderatione opus est. Porro plura alia, in quibus iudices iudicare possunt, in iudicando dimittimus: modò enim id solum est actum, quòd ad homicidij rationem attinet, eo tamen obiter adnotato, plurima, quæ in his dubitationibus de pœna mortis, à iudice inflicta intelligi etiam debere proportionè quadam, de aliis quibusque pœnis, etiam pecuniariis, quoad peccatum & restitutionem.

249 **V N D E C I M A** dubitatio esse potest, de aliis, publica auctoritate occidentibus, ut executore, tabellione, fisco, accusatore, &c. Et sanè de his fere nulla est difficultas, cognita iustitia, vel iniustitia, ex parte iudicis, qui sententiam fert. De testibus tamen specialis est ratio dubitandi: videntur enim se habere veluti iudices causæ, qui suo testimonio, vel dånare, vel liberare possunt reum. Vnde de testibus quærimus, quando ferendo testimoniù peccent, & restitutioni teneantur. Et primò certum est apud infra citandos Doctores, quòd si iuridicè interrogatus, præcedente scilicet infamia, vel semiplena probatione, vel iudiciis competentibus, vel clamorosa insinuatione, vel denique alia publicitate sufficienti, non peccat, etiam de occulto peccato testificando, nec restituere tenetur,

tenetur, imò peccaret veritatem non manifestando, quia impediret iudicium, & iusto præcepto iudicis non obtemperaret, ut infra cap. 6. latius. Secundò e contra, certum esse debet, quòd si iuridicè non interrogatur, peccaret etiam verum crimen manifestando, & teneretur simul cum iudice, & aliis cooperatoribus ad restitutionem vitæ, honoris, & aliorum damnorum. Peccat enim tunc contra iustitiam, quæ ex officio, & veluti persona publica, sicut iudex tenetur iuris ordinem seruare. Tertio est certum, quòd si falsum tulit testimonium 250 contra aliquem, peccat mortaliter, & ad restitutionem tenetur, cum manifestè iniustitiam committat. Quamvis si eius testimonium non fuit causa efficax sine qua non daretur damnum, ut putà, quia iam erat aliorum testimonio reus conuictus, & suum testimonium non ad pœnam, nec ad grauiorem pœnam profuit inferendam, licet peccasset contra charitatem, nihil tamen restituere tenetur, iuxta infra dicenda de Electoribus, & aliis cooperatoribus ad iniustam vel rei acceptationem, vel damni illationem, cap. 6.

D V B I T A T I O ergo est, an si post falsum testimonium dictum, quòd reuera est causa efficax damni: sed adhuc damnum non est datum, sed dabitur: putà illius testimonio est quis ad mortem condemnatus, an tenetur, cum propriæ vitæ periculo testimonium retractare, quo innocens à morte liberetur? Et quidem certum est, quòd si retractatio nihil est profutura, non tenetur illam facere, sed restitutionem vitæ, & damnorum, ut dictum est. Item si ex loco tuto potest sententiam reuocare, ita ut profuit, similiter non tenetur prodere se coram iudice. Quæstio ergo est solum, cum ita res se habet, ut nisi cum certo suæ vitæ periculo non possit illum liberare, an ad id teneatur? Et sunt nonnulli quibus placet ad illud non teneri. Quia dicunt non teneri suæ propriæ morti cooperari se offerendo, ut saluet innocentem. Sibi enim magis tenetur.

V E R V M T A M E N omnes, quos ego viderim doctores, planè fatentur, & meritò illum teneri propriæ vitæ dispendium subire, ut vitam, quam periculo exposuit liberet. Ita fatentur Cordub. lib. 1. quæst. quæst. 31. articulo 3. & in summa quæst. 17. versic. *la tercera*, Sor. 4. de Iustitia & iure, quæstione 6. articulo 5. ad quartum, Medin. C. de Rest. quæst. 3. causa 4. ad quartum, Merc. lib. 6. cap. 10. Navar. in sum. cap. 15. num. 17. & in Hispan. cap. 28. num. 44. Caiet. 2. 2. quæst. 70. articulo 4. Couar. reg. peccatum 1. par. nu. 6. §. 3. adultera. Ex quibus solus Merc. 252 dubius hæret. in d. cap. 10. ad finem. Illud certò asseuerat, omne malum citra mortem teneri subeundum. Ratio est, quia licet suæ vitæ vnusquisque magis providere teneatur, quàm alienæ, tamen id dumtaxat verum est cæteris paribus. In pari enim causa innocentia mihi prius subuenire debeo, & in hoc casu, ego nocès ille innocens, & mea causa iniuste patitur. Teneor ergo lege iustitiæ, cum propriæ vitæ periculo illum liberare, & eadem prorsus analogia in fama, si ego illum iniuste infamari, teneor, cum propriæ famæ (non vitæ, ut infra dicemus) periculo, retractare. Et in re familiari, id quotidie videmus, quæ

conclusio prædicta magis confirmatur: Qui enim furatus est ab altero rem familiarem, planè tenetur illam domino restituere necessitatem
 253 talium rerum ablatarum patienti, etiam cum damno rei propriæ temporalis. Igitur certa & generalis regula est, quod licet in æquali gradu innocentia mihi plus teneor, quàm proximo, cum sunt omnia paria: tamè cum ego causa damni efficax sum, potior est alterius, quippe qui innocens est, conditio. Quam doctrinam latè inferius probo c. 4. Et sic soluta manet ratio illorum. Ex quo infero, quod si ipse causa fuit falsi testimonij aliorum teneretur, eos monere, ut se retractent, quod si illi nolint, teneretur eos manifestare, ut mihi videtur adhuc, cum mortis periculo, ut accusator, & alij, & in specie docuit Merc. Quid enim refert, an tuo testimonio, vel consilio, & inductione aliorum, innocentem occidas, cum reuera illud stet, quod tua causa illi moriendum est iniuste, & ita quacunque via possum illum in eas angustias à me coniectum liberare, teneor, etiam cum propriæ vitæ periculo. Si verò ego non induxi, nec fui causa testimonij aliorum, tenebor tantum lege
 254 charitatis, & fraternæ correctionis eos monere, & si nolant eos manifestare, ut defendam innocentem, non tamen lege iustitiæ, aut cum propriæ vitæ periculo. Tunc enim verum, est quod mihi magis debeo providere, si tamen scirem, quod cum periculo famæ, vel rerum mearum familiarium possem illum liberare, dubium esse posset. An tenerer me exponere, ut innocentem liberarem. Et in hoc eadem est ratio, cuiusque de populo, qui ad illius mortem nihil est cooperatus, scit tamen quod cum suarum rerum temporalium, vel honoris iactura illum liberabit.

ADNOTAT autem Caiet. in d. art. 4. quod si quis ignorantia quadam non damnabili, vel obliuione fallum dixit testimonium ob quod alter morti est condemnatus, non tenetur cum vitæ periculo illum eripere, & mihi ita videtur, imo nec ad damnorum factorum restitutionem ullam teneri putarem. Non enim ille tenetur ratione rei, ut patet. Nihil enim positiuè accepit, sicut is, qui bona fide alienum pallium tenet,
 255 nec tenetur ratione iniustæ actionis, quia non perfectè, & formaliter falsum tulit testimonium, sed materialiter tantum, ac proinde ad nihil tenetur, ut latius probaui supra c. 3. Si enim excusatur à periurio Dei offensa, magis excusabitur ab offensa proximi, ac proinde computanda est illa damnificatio, si damnificatio dicenda est, inter eas, quæ casu fortuito inferuntur, vel ex leuissima culpa, quæ non obligare ad restitutionem in d. c. 3. satis ostendi.

ROGAS ergo utrum, qui scit illum esse innocentem, qui ad supplicium ducitur, & suo testimonio, potest illum liberare teneatur testificari illius innocentiam? Et sanè, si requisitus est plane tenetur deponere, idque lege non solum charitatis, sed etiam iustitiæ ad eò, ut si taceat veritatem, teneatur ad restitutionem, sicut verus homicida. Testis enim in iudicium vocatus ex officio tenetur veritatem pro palare, & iniuriam facit proximo innocenti illum sua taciturnitate, condemnando. Si enim qui non pauit cum tenebatur pascere, occidit, teste Am-
 brof.

brof. etiam qui non exhibet testimonium cum tenetur ex officio plane occidit. Si verò in iudicium vocatus non est, scit tamen, si se offerat, profuturum, & proximum liberaturum, tenebitur sub mortali se offerre, deponere etiam si alteri accusatori, vel aliis testibus damnum sequatur, non quidem lege iustitiæ, & restitutionis onere, sed lege charitatis. Non enim ex officio tenetur ad prædictum testimonium. Et ita docuit Nauarr. cap. 15. num. 16. & probat ex c. 1. de Crim. fals. & D. Thom. 2. 2. 167
 quæst. 76. art. 1. Gabr. in 4. dist. 15. quæst. 6. conc. 7. Quod si stipendium accipit, ut seruiat, & testificetur tenebitur lege iustitiæ, & sub restitutione, ut dictum est. Et comprobantur prædicta ex regula illa generali supra à nobis tradita & probata, quod scilicet damna secuta ex transgressione legis iustitiæ obligationi restitutionis sunt obnoxia, non tamen ea, quæ ex transgressione legis charitatis oriuntur, ut ibi satis ostendimus.

Sed dubitatio esse posset, an teneatur, quis se offerre ad testimonium ferendum, quo aliquis condemnatur, etiam si accusatori periculum imminet. Respon. Nauarr. num. illo 17. quod non tenetur. Quia accusator non est in necessitate, cum sua sponte se in id periculum iniecerit, reus autem est in necessitate, cum inuitus id patitur. Probatque ex D. Thom. 2. 2. q. 70. art. 1. Secus autem esset meo iudicio, si solum periclitaretur actor, quia licet sua sponte se in periculum iniecerit, tamen iam est in necessitate, quamuis ut dixi respectu accusati non dicatur esse in articulo necessitatis. Secus item quando accusauit, quando in conscientia tenebatur accusare, vel denunciare, ut docet idem Nauarr. vbi supra.

VND ECIMA dubitatio sit de bello, quando sit licitum. Hæc enim homicidia ad publicam pertinent auctoritatem, de hac re disputant latè Gabr. in 4. dist. 15. q. 4. D. Thom. 2. 2. quæst. 40. artic. 1. & 41. art. 1. & 66. art. 8. Gratian. 23. q. 1. Syluest. bellum 1. q. 1. & infra Coar. reg. peccatum 2. par. §. 9. 10. & 11. per totum Cord. lib. 1. qq. q. 39. Cast. lib. 3. de Hæresi. verb. bellum. Nauarr. c. 15. nu. 15. Caiet. in sum. verb. bellum. Ang. ibidem. Habetur etiam de hac re. ff. de Captio. l. hostes & ff. de Verb. sign. l. hostes. Ex bello maximè iniusto multa damna, & mala oriri solent. Quædam iudicio meo veluti ex natura rei, ut homicidia tam nocentium, quàm innocentium, captiuitates, spolia, &c. Quædam veluti
 259 per accidens, ut blasphemia, furta, rapina, supra, adulteria, &c. Quoniam verò non integrè de bellorum natura, atque ratione, sed tantum de restitutione damnorum in bello animus est disputare, idcirco breuiter eam quæstionem resoluendam esse censemus. Quod enim ad restitutionem attinet, ea breuis, ac vera regula assignari potest. Nempe omnia damna ex iniusto bello secuta restituenda sunt. Cuius ratio plana est ex regulis, supra traditis cap. 1. Quod autem sibi bellum iniustum explicare necesse est.

PRIMUM reiiciendus est quorundam error, qui docent bellum nunquam esse licitum, ac per consequens nequè iustum. Ita tenuerunt Manichæi, ut testatur B. August. 22. contra Faustum. cap. 73. &

Cast. lib. 3. contra hæreses, verb. bellum. Vnde impudenter, Moſen reprehendebant, quod bella gessiſſet. Quem errorem iam olim ſepul-
 260 tum ſuſcitauit hoc tempore Oecolampadius. Sed hic non reprehendit Moſen. Eo quod aſſerit ſolum poſt Chriſti prohibitionem illicitum eſſe bellum gerere. Idem ſenſit Cornelius Agrippa in lib. de Vanitate ſcientiarum. Vbi dicere aude: *Artem militarem diuus ille Plato, Auguſt. & Bernard. Catholici in Eccleſia doctores alicubi probauerunt, licet Chriſtus, & Apoſtoli longè aliter ſentiant.* Verum tamen erronea eſt hæc ſententia. Primum, contra errorem Manichæi ſunt multa præclare, & copioſè ab Auguſt. tradita loco citato cap. 74. & ſequentè. Vnde Moſes ex Dei præcepto belligerauit, Dauid, Saul, &c. Aliàs Deum ipſum reprehendere oportebat. In Nouo autem teſtamento à Chriſto reprobara non eſt, ſed potius approbata militia. Luc. 3. cum dicerent milites ad Ioan. *quid faciemus.* Reſpon. *Contenti eſtote ſtipendijs ueſtris, &c.* Quid apertius? Si militia illicita eſſet, diceret, *Nolite bellare, nec ſtipendia ad pugnandum accipiatis.* Et Matth. 8. Laudauit Centurionem aſſerentem habere ſub ſe milites, &c. Et Matth. 22. cum tributa dentur regibus ad bella, & pacem ſeruandam, dixit: *Reddite qua ſunt Caſaris Caſari.*

RATIONE etiam prob. Quoniam ſi bellum eſt deſenſiuum planum eſt eſſe licitum. Quia iure naturæ, licet ſe defendere, & iniuriam propulſare. Vim enim vi repellere licet. Sicut enim priuatæ perſonæ, licet occidere, vt ſe defendat, multo magis communitati licebit. De bello autem vindicatiuo etiam conſtat. Quoniam ius eſt naturale rei publ. perfectæ iniurias ſibi illatas vlciſci & punire. Aliàs vnusquiſque quæcunque facinora perpetrare tentaret, & ſequeretur rerum publicarum conſummatio, & iuſtitia pacique violatio. Habet enim locum
 262 Dei, & reſpub. & princeps in terra: Qua propter ſupremus princeps iure ipſo naturæ poteſtatem habet caſtigandi, & puniendi ſibi illatas iniurias, ſicut verus iudex in cauſa. Sicut enim verus iudex poteſt illatas ciuibus iniurias punire: quia eſt eorum iudex, & bonis ius ſuum reddere, & malis pœnam: ita cum ſuperiorem in terra non habet, iudex eſt eorum, qui ſibi iniurias irrogant: vt & paci reipublicæ, & bono ſuo conſulat, & ſceleratum hominum crimina, & ſuperbiam reprimat. Hoc enim, & bonum, & reipubl. maximè neceſſarium eſt, ſuppoſita corruptione peccati originalis. Cum verò Chriſtus dicit *præbe illi alteram*, intelligendum eſt, priuata authoritate. Ea enim non licet, aut bellum, aut pugnam inferre. Sicut tunc illicitum etiam eſt, quando eſt iniuſtum, vt dicemus. Quare ſuprà docuimus virtutem vindictæ in publicis perſonis dumtaxat reſidere.

263 Vnde ſtultior & pernicioſior eſt Lutheri error qui (vt refert Caſt. vbi ſupra hæreſi 2.) licet non neget vniuerſaliter licitum eſſe bellum gerere contra impios & iniuſtos homines etiam Chriſtianos, tamen ſpecialiter condemnat bellum factum à Chriſtianiſ contra Turcas. Fortaſſe (vt ego coniector) quoniam contra bullas cruciatæ, quæ pro bello contra Turcas expeditæ ſunt impia cupiditate, & cupida impietate

zate stomachatus eſt. Ratio autem eius eſt: quia inquit tale bellum facere eſt reſiſtere voluntati Dei per Turcas viſitantis, & corrigentis nos. Sed quid rogo ſtultius dictu? Si contra Chriſtianiſ iniuſtum, & ſcleratum tyrannicè regnum, vel ciuitatè retinentem: licitum eſt pugnare, cur cõtra intideles tot ciuitates, tot regna iniuſtiſſimè occupantes, imo & fidem noſtram demoliri tentantes, non licebit bellum inferre? Machabæus pugnat aduerſus Antiochum, & alios Reges infideles pro religione, fide & cæremoniis, in quo facto laudatur. Cur igitur
 264 non iure laudetur Chriſtianiſ princeps, qui contra huiusmodi hoſtes Chriſtianiſ nominis, pyratas, regnorum raptoreſ, cum ſummo Chriſtianiſ dedecore: zelo religionis, & fidei, bella domini gerit, & vt alter Dauid, ait, *Quis eſt iſte, qui audet exprobrare agminibus Dei viuentis.*

QVOD ſi ſanctorum patrum geſta tanquam veritatis, & doctrinae documenta nobis relicta ſunt: quis ignorat in lege noua ſanctiſſimorum patrũ conſilio, & authoritate plurima bella indicta & geſta fuiſſe? Vrbanus 2. aduerſus Turcas bellum fieri decreuit, in quo mirificè & laudatus eſt, & profecit. Cui cæpro bello fauit Paſchaſius, eius ſucceſſor, & vt refert Platina Calixtus 2. Chriſtianiſ bellum habentium in Aſia vires auxit. Qua ſpe Balduinus Hieroſolymorum Chriſtianiſ Rex, Gazin Regem Turcarum ſuperauit. Lucius 3. Verone Concil. habito Chriſtianiſ ad idem ſubſidium (fratribus in Aſia pugnantibus)
 265 ferendum adhortatus eſt. Deſino plurima miracula, quæ in Chriſtianiſ exercitu Deus operatus eſt, cum toto ſint orbi notiſſima. Inter quæ non minus inſigne eſt, quod in Hiſpania noſtra contigit ſub Innocent. 3. & Alphonſo Hiſpaniæ Rege cognomento, Bono anno Domini milleſimo ducenteſimo duodecimo. Orta enim luce, & ſacræ Eucharistiæ à multis acceptæ, peccatorum confeſſione præmiſſa, Archiepiſcopique Toletani benedictione ſuſcepta, nec non peccatorum cõdonatio ſeu plenaria indulgentia, ab eodem Innocent. conceſſa, omnibus applicata, acriter contra Mauros fidei Chriſtianiſ hoſtes à noſtris pugnari cœptum eſt. Quo in bello, & Rex Maurorum ſe fuga ſubduxit, & ducenta Maurorum millia cecidiſſe perhibentur, in ſumma noſtrorum paucitate occiſorum, viginti quinque tantum occiſis, quod non mediocre miraculum eſt putandum. Crux præterea noſtris maximè afflictis ab Alphonſo aliſque viſa eſt in aère. Qua ſpe erectus Dominus Paſchaſius Eccleſiæ Toletanæ Canonicus, crucem Archiepiſcopi geſtans illeſus aciem totam hoſtium penetrauit. Tandem ad præſentiam imaginis Beatæ Mariæ virginis Toletanæ Eccleſiæ ſingularis Ducis, ac patronæ, quæ in vexillis depiſta erat, ingès Maurorum multitudo corruit. Quamobrem, nõ hominum, ſed Dei, & Crucis Triumphus, hæc mira victoria aptè eſt compellata. Sed ne me de ijs tã apertis rebus dicentem dies calamũſque deficiat, & quoniam de reſtitutione agimus hoc loco, Hæreticorum fabulis dimiſſis, ad inſtitutum noſtra dilabatur oratio. Vt enim coniector iſta ſibi hæretici fingenda eſſe arbitrantur, ne, vt verè & iuſtè poſſunt, expugnentur, & eorum malitia, & ſaritas conteratur. Vt dum hæc ſcriberemus, audiuiſus fe-

cisse, gloriose, & feliciter Sixtum quintum Pontificem nostrum initio sui Pontif. cuius auxilio, opera, & mandato bellum motum fuit ad-
 267 uersus Gallia hæreticos, cuius opera, & Christianorum principum, Deique præcipuè adiutorio deleti sunt maiori ex parte illius prouincia Lutherani, aliique hæretici: quod Deus Optim. Maxim. sicut cœpit ipse perficiat, bellaque sua (Sua enim sunt) agentibus, & vitam, & auxilium præster.

268 **S U P P O S I T O** igitur, bellum ex obiecto non esse licitum, quin si debitæ circumstantiæ adsint iustum, & omnino necessarium ad prauos sceleratosque homines refrenandos, & puniendos, pacem & iustitiam seruandam, iuxta illud August. in Epist. ad Bonifac. *non quaritur pax ut bellum exerceatur, sed bellum geritur, ut pax acquiratur. Est ergo bellum pacificus, ut eos, quos expugnas ad pacis utilitatem vincendo perducas.* Sed quia multum à restitutionis materia digressi videmur ad rem redeamus.

Q U A E D A M igitur breuiter oportet proponere. Primum ut bellum sit iustum & licitum, tria requiruntur. Primum autoritas in mouente bellum, ut scilicet sit princeps supremus in téporalibus, aliàs illicitum esset, cum habeat superiorem, apud quem via iuridica, & pacifica possit audiri. Ut enim 3. parte huius cap. dicemus sui defensionem tum duntaxat licere, quando non est aliud remedium. Ita necesse, & clades multorum intentare, cum aliter quæstio, & his decidi potest, & res iniuste detenta recuperari, illicitum esset. Et quoniam supremus princeps non habet, apud quem conqueri possit, iure naturæ est illi concessum de sua iniuria cognoscere, iudicare, & sententiam, aut punitionem in iniuriantem ferre, & eam exequi. Ita docet D. Tho. & cæteri citati.

269 **S E C V N D A** conditio est iusta causa bellandi, quæ est iniuria illata ab altero, ut constat ex ratione prædicta. Siue quia multa fecerit inimicus damna, quæ recompenlare nõ vult, siue quia ciuitatem, vel opidum teneat tyranicè, &c. Et multò magis quando iniuria fieret fidei, aut religioni, ut patet. Tertia conditio est recta intentio, ne scilicet odio, sed iustitiæ zelo, rectaque intentione moueatur. Quamuis autem hæc conditio requiritur, ut si bellum licitum: tamen non necessaria est, ut sit iustum. Nam licet ea absente sit mortale peccatum, sicut cum iudex odio, vel ira occidit: tamen non est iniustitiæ peccatum, nec restitutionis obligatio, si duæ priores conditiones adsint, scilicet autoritas publica ex parte inferioris & causa, scilicet iniuria ex parte eius, cui fit bellum. Et hæc quoad principes.

270 **S E C V N D O** dicimus, quòd inferiores saltem milites licitè pugnat, nisi sit euidentis iniustitia belli, aliàs enim etiam in dubio pro suo principe iudicare debent, ut August. docet in cap. *Quid culpatur* 23. q. 1. Et licet re ipsa esset bellum iniustum: tamen ipsi nec peccant, nec restituere tenentur. Non enim ipsi causam examinare debent: sed licitam & iustam præsumere. Quod si ita verum est de subdito dubitante, à fortiori de ignorante inuincibiliter bona fide credente bellum esse

esse iustum, ut Cord. adnotauit. Vnde ij non tenentur restituere nisi ratione rei acceptæ & per consequens de rebus extantibus, vel in quibus facti sunt locupletiores, ut infra cap. 6. latius explicabimus. Non ergo admittenda est Adrian. sententia. Asserentis, *Quodlib. 2. peccare mortaliter subditos in dubio de iustitia belli, bellentes, solumque excusandos eos, qui ignorantia inuincibili laborant.* Oppositum enim 271 sentiunt cæteri doctores citati, speciatimque Cord. Sot. Syluest. Gab. conc. 4. & Caiet. citati ob rationem à nobis factam. Cui adde August. in d. cap. quid culpatur ex lib. 22. contra Faustum. cap. 74. & 75. *vir iustus, inquit, si forte etiam sub sacrilego rege militet, rectè potest illo iubente bellare, si quod sibi iubetur, vel non esse contra Dei præceptum, certum est, vel utrum sit certum non est, ut fortasse reum faciat regem iniquitas imperandi, innocentem ostendat ordo seruiendi.* Vides apertissimè peccante rege ob dubium, esse innocentem subditum militantem propter ordinem seruiendi, & obediendi. Quod adnotauit in hac specie gloss. prædicti cap. in verb. *iniquitas* id ipsum probat Cordub. ex cap. Pastoris de Offic. deleg. Vbi decernitur (ait Cordub.) ut quis exequi possit sententiam superioris, cum dubitat esse iustam. Sed frustra adducit hoc cap. Ibi enim non erat sermo de dubitante, ut patet: sed de scientè sententiam esse iniustam. Probaret ergo posse cognita causæ iniustitia bellare. Quid ergo dicemus? Nunquid ibi Innocent. 3. approbat actum 272 bellandi: cum scitur esse bellum iniustum? Respon. Minimè sanè. Nam in d. cap. §. quia vero, sermo est absolute, præcipuèque in causis ciuilibus, in quibus, ut supra docui difficultate 4. licitum est ob allegata, & probata innocentem condemnare: non autem in criminalibus, vel in ijs, quæ sunt intrinsecè mala. Qualis est innocētis occisio. Quale etiam esset compellere carnaliter commisceri eos, qui probati sunt coniuges, sciente iudice, omnino non esse tales, &c. Sic igitur modo dicendum, quòd cum bellare iniuste, occidere, &c. sit intrinsecè malum, si certò constet ita esse, non licet ad cuiusque superioris mandatum obedire. Esset obedire magis hominibus, quàm Deo. Vnde prædictum cap. non potest trahi ad consequentiam. De cuius text. intelligentia legat qui volet latè ibi glo. in verb. (*sciat.*) Argumentum verò Adria. facile soluitur. Hic siquidem locum habet illa distinctio de dubio speculatiuo, quòd licet hic intercedat, at non practicum tamen, quam in alio proposito infra impugnamus. Stare enim potest, ut quis dubitet, an bellum sit iustum, & certus sit de hoc practico iudicio, bellandum est. Credere enim debet superiorem rem meliùs examinasse: at non stat, quòd quis dubitet, an sit sua vxor, & quòd possit petere, etiam superiore præcipiente. Cum certus sim, nõ possum illum habere maiorem notitiam quàm me. Et ob id probamus ibidem cap. (inquam) 1. lib. 3. speculatiuè dubitantem debere dubitare de conc. practica. Hæc vera putat Merc. tit. de Restit. c. 15. de inferioribus militibus. Nam deducibus putat non excusari ignorantia, & fide bona, sed teneri ad inquirendam iustitiam causæ antequàm in bellum ingrediantur, aliàs peccabunt, & damna secuta eis imputabuntur. Sed maior dubitatio est, de

de non subditis bellantibus amicitiae, cognationis, lucri, vel honoris causa, atque idem est de subditis non coactis à superiore. In qua difficultate Cord. in d. quæst. 59. vers. *Si verò* docet, primum: quòd si ignorantia inculpabili laborant, non peccant & id planum est. Nihil enim refert iudicio meo esse subditum, & iussum, vel non, quòd ad peccatum attinet, quando ipsi inuincibiliter ignorant iniustitiam, alias non præliaturi. Nec vllus in hoc sapiens dubitaret. Docet tamen teneri ad damnorum reparationem, quæ sic ignoranter dederunt, & ad restitutionem eorum, quæ rapuerunt. Vnde statim ac nouerint bellum fuisse iniustum, tenentur de omni damno per eos casualiter dato & de raptis omnibus, etiamsi bona consumpserint fide, non minus ac si scienter iniustum bellum gessisset. Hac Cord. non aliter probat, quàm quia licet sufficiat ad liberandum à peccato, tamen ad liberandum à restitutione non sufficit bona fides. Tum etiam (inquit) quia leges ita disponunt. Quæ verò sint illæ leges: non explicat ille. De dubitantibus verò docet vltra restitutionis obligationem peccare mortaliter, si scienter bellaret, vel ignorantia culpabili. Idem sensit Syluest. bellum 1. q. 8. dict. 4. probatque ex cap. Denique 24. quæst. 5. & Gab. conc. 4. Imò id adeo verum putat Syluest. in 3. d. vt existimet subditum dubitatem, licet non peccet teneri ad restitutionem etiam de consumptis. *Quia* (inquit) *quamdiu dubius fuit non habuit bonam fidem.* Quamobrem obedientia, à peccato, non à restitutione excusat. Et quòd ad peccatum attinet idem prorsus sensit Nauarr. & Caiet. Quin potius idem Caiet. censet de militibus tunc conductis, qui non ante dubiū conducti erāt. Ij enim peccant mortaliter, nec verò subditos dicendos putat.

S E D vt verum fatear mihi falsa videntur ista. Primum enim quòd ait Cord. inuincibiliter pugnantem teneri de damnis datis, & de ablatiis non extantibus dici certè non potest. Primum de damnis datis nulla oriri potest obligatio, si bona fide ignoratiæque inculpara data sunt. 276. Vel enim tenetur sic prælians ratione rei, vel ratione iniustæ acceptationis: non sanè ratione rei acceptæ, vt constat. Id enim supponimus, quòd damnificatio lucrosa non fuit, nec quidquam positiuè accepit, de quo statim dicam, nec ratione iniustæ acceptationis: Si quidem non fuit causa iniusta acceptio formaliter, nec damnificatio vllò modo voluntaria. Vt enim supra cap. 1. satis ostendimus ex delicto, id est, ratione iniustæ acceptationis nullus tenetur, nisi ex voluntaria acceptione, & culpabili, saltem leui culpa, & peccato mortali. At id supponimus hoc loco nullam intercessisse culpam saltem non latam, nec leuem: damnificatio igitur iniusta non est, sed omnino casualis. Adde, quòd vt supra docuimus, docetque egregiè Caiet. 2. quæst. 70. art. 4. testis falso testificans, 277 ob quòd alter est morti damnatus nō tenetur, cum vitæ periculo damnatum euitare. Non enim tenetur ratione rei habitæ, vt patet. Nec iniustæ actionis, quoniam iniusta non fuit. Cum nec scienter facta fuerit, nec ex culpabili ignorantia, igitur, &c. Et sanè mirum est, quòd non peccet, & restituere teneatur. Si enim ab offensa Dei excusatur, igitur à proximi offensa, qui minus rationabiliter læsus esse debet. Neq; vnquam

quam (si inductionem facias) reperies, quòd aliquis teneatur restituere, sine præcedenti peccato, & culpa, nisi quando tenetur ratione rei habitæ, vel si est pura damnificatio scienter tamen iniusta, vel saltem ex damnabili ignorantia. Stare nō possunt illa duo à Syluest. asserta, quòd subditus in dubio bellans non peccat: sed ad restitutionem teneatur, cum ei constat fuisse bellum iniustum.

S E C V N D O non placet, quòd ait teneri de rebus in bello habitis, etiam consumptis fide bona in quo Syluest. consentit. Vt enim latius 276 ostendemus infra cap. 6. nullus tenetur de bona fide consumptis, nisi in quantum est dirior factus, vt ipse Cord. Syluest. & cæteri Doct. docent. Et ratio est manifesta, quoniam cum is solùm teneatur, non ratione iniustæ actionis: sed ratione rei, consequens est tamdiu duntaxat teneri ad restitutionem, quamdiu res extat aliquo pacto, siue in specie, siue quia ex eo locupletior est effectus. Si igitur isti bona fide acceperunt & consumpserunt, ratione iniustæ actionis teneri non possunt, si tenentur solummodo ratione rei, quomodo illa consumpra; & non dirior ex ea factus, tenebitur. Vnde quòd Cord. & Sylu. aiunt non sufficere bonam fidem, sed simul obedientiam requiri, gratis assumit, & non probant eas verò leges, quas pro se docere affirmat ipse non adducit.

T E R T I O mihi non probatur: quòd de dubitantibus vterque Doctor affirmat peccare mortaliter non subditum in dubio militantem, & ad restitutionem teneri. Neutrum enim verum putauerim. Omitto 277 modo eos milites qui ita sub quocunque in quacunque causa bellare sunt parati: vt etiamsi scirent bellum esse iniustum, non desisterent, quos in statu damnationis versari rectè docet Syluest. in illo dicto 4. Caietanus, & Nauarrus. Nam hoc pacto etiam ignorantes inuincibili animo præliantes peccarent mortaliter, vt patet, sed fermo est de eo, qui ita dubitat, quòd iniustitia certò cognita nullo modo arma sumpsisset: hos igitur putamus, saluo meliori iudicio, nec peccare, nec ad restitutionem teneri. Moueor ea ratione. Quoniam quamdiu certus non est de iniustitia, non peccat, imò tenetur cogitare regem illum iustitiam habere. Aliàs peccato temerarij iudicij esset obnoxius, cum condemner eum, quem sine certis indiciis, iniuste bellare existimat. In dubio enim de peccato proximi, etiam mihi non superioris, non licet certam ferre sententiam de malo atque peccato. Vnde quamdiu illa dubitatio probabilis manet, de neutra exercitus parte, possum iuste iudicare, sed cogitare teneor vtrumque iuste bellare in sua mente, laborareque ignorantia probabili. Quia scilicet vtrique viderur se ius habere, & iustitiam. 278 Vnde ipse Gabr. ex Panorm. in c. Sicut, de Iureiuran. *el tercero*, docet bellum indictum à supremo principe, præsumendum esse iustum etiam ab extraneis, imò indictum ab habente superiorem, à subditis. Quia tenentur de superiore meliora cogitare, & nisi euident sit iniustitia, nō diiudicare prælatum. Si igitur pro nullo potest ferre determinatæ iniustitiæ sententiam: laborat igitur ignorantia probabili, quicumque iuando. At ignorantia probabilis, à peccato excusat. habet igitur se iste

dubitans, etiam non subditus, ac si ignorantia inuincibili laboraret.

279 Neque ego certe vllum reperio discrimen inter subditum, & non subditum, quamdiu dubitatio durat, nisi in eo solum, quod subditus inquirere nihil tenetur, sed audito præcepto deponere debet dubitationem, & præliare pro prælato iudicando. At non subditus, qui obedientia coactus non est, tenetur peritos consulere antequam arma sumat. Quod si in dubio perseverat, iuste in quavis illarum causarum pugnabit, eo animo, ut certus de iustitia nullo modo bellaret. Alioqui peccaret mortaliter etiam subditus, non iustus militare. Cum obedientia eum non excuset. Quod ipse Cord. concedit tanquam necessariò consequens, quod concedendum non est. Vix enim tandem aliquem dubitantem etiam subditum excusandum censes. Cum raro compellantur atque iubentur militare, nisi in magna necessitate. Et eo in casu etiam raro contingeret dubitatio de iustitia, cum tantam populus necessitatem patitur ab hoste. Communiter enim solum vocantur & inuitantur ire volentes etiam ex subditis, sicut ex externis. Alioqui etiam peccaret mortaliter aduocatus dubitans probabiliter de causâ iustitia eâ prosequendo. Quid enim refert pilis & armis, an consilio & autoritate tua, aliquem oppugnes, occidas vel spolies?

280 S E D respon. Syluest. non esse simile. Quia in iudicio est superior, quia examinat processum, ut sententiam ferat, in bello autem viribus vincitur. Sed certe si hæc solutio sufficeret, liceret aduocato causam iniustam prosequi quia est superior, qui allegata examinabit. Non ergo id excusaret, si dubitatio non excusaret. Non enim ob id aduocatus dubitans iustificatur, quia iudex rem est examinaturus. Nam iudex posset esse iniquus, vel ex incuria, & negligentia iusta allegata iudicare, & ita liber non esset aduocatus, sed ea ratione, quia laborat probabiliter ignorantia. Nec est maior ratio, quare ab hac quam ab illa causa cesset, sed in vtraque iuste potest, non simul iuuare. Sicut in opinionibus, Theologorum videmus, alteram sequendo non peccari, quia est ignorantia probabilis. Non igitur siue subditus, siue non subditus probabiliter dubius peccat militando.

281 E x quo sequitur nec restituere teneri, magis quam si ignorantia inuincibili laboraret. Laborat enim probabiliter, ac per consequens non peccat, ut ostensum est. Igitur, ex delicto seu ratione iniustæ acceptio- nis non tenetur, nec ratione rei, si ad eum nihil peruenit: quod si peruenit, tenebitur de extantè re, vel in qua est locupletior factus, ut supra dictum est, & inferius cap. 6. latius explicabitur, atque ita in hac specie docuit Gabr. conc. 7. Ang. verb. bellum §. 9. Sed objicit Syluest. quod quamdiu dubitat, non est bonæ fidei possessor: sed id non vrget. Si enim non est possessor bonæ fidei, at non est malæ fidei posses-
282 sor. Est enim medium inter malæ & bonæ fidei possessorem, ut cap. 6. latius explicabimus. Iura enim non damnant, nisi malæ fidei possessorem tam ad præscribendum, quam ad alia, uti latius trademus capit. 6. huius 2. libri. Illud animaduertendum censeo, nos hîc locutos etiam de ea dubitatione, quæ ex opinione rationibusque probabilibus ortum habet.

habet. Hæc enim iustam facit ignorantiam, & probabilem, uti frequenter contingere solet in iis bellis dubiis. Cum sint semper opiniones probabiles de iure, & iustitia belli. Quando enim dubitatio rationibus opinionibusque probabilibus (quæ non propriè dubitatio dicitur: sed moralis certitudo) innixa non esset, veram putarem horum sententiam doctorum. Tum enim maximè si principio dubia fides præcessit non excusaretur à peccato, & iniustitia: tenereturque ratione iniustæ acceptio- nis, & per consequens de omni damno dato, & de habitis in bello etiam consumptis, imò tum ipse princeps in hoc dubio cõstitutus pec-
283 carer bellando, maximè contra iam possidentem, sed ut dixi, frequen- tius contingit dubitatio prior ex opinione sapientium, & rationibus probabilibus causata. In quo casu, ut dictum est, sicut nec compulsus, ita nec sponte euntes damnandos censemus, ut probatum est. Sanè, ut hoc concludam mirabile videtur, quod princeps iuste bellet, ego verò iuuans eam actionem, sim iniustus. Siquidem non aliter damnifico quam operando. si igitur principalis actio iusta est, iuuans illam ius- tum operatur, etiam si non sit coactus, eam igitur differentiam agnosco inter compulsum, & alios, quæ oritur ex alia, quam supra retuli. Nam compulsus iuste facere potest etiam peccante, & iniquitatem ad- mittente principe, ut August. aperte docuit in d. cap. Quid culpatur:
284 at in sponte eunte non ita est, sed potius, nisi iuste rex bellet, ipse non excusaretur, & ita non aliter quam actione principis tenetur. Qui cum ut supra diximus, teneatur inquirere de iustitia belli ab eruditisque in- formationem requirere, non potest ipse aliter excusari, quam ex ius- titia vel iniustitia causâ, sicut ipse rex. At coactus, obedientia, cum examinare non teneatur, fieri potest, ut rege peccante, ipse non pec- ceter, ut August. planè docuit. Hæc cum disputandi gratia proposita sunt à nobis, sapientis erit communem sequi sententiam, qua teneri video, non subditum dubitatem peccare ad restitutionemque teneri, cum cog- nouerit fuisse iniustum, etiam si dubitatio sit ob opinionum diuersita- tem, ut præter Cord. & Syluest. tenet Caiet. in d. sum. Nau. nu. illo II. Gab. conclus. 4. Ang. verb. bellum §. 8.

E x his colligitur, quod milites, vel duces qui sine consensu gene- ralis capiunt aliquid peccant mortaliter, & tenentur restituere. Deest enim prima conditio, scilicet autoritas principis, & tamen illi se ha- bent ac si essent priuatæ personæ. Ita docuit Merca. versu. lo que toca. Secundò, peccare mortaliter & teneri ad restitutionem duces, qui plures
285 repræsentant personas, quam sint in exercitu, in quo plura peccata, & damna committunt. Primum, quod accipiunt plura stipendia, quam sunt milites, quod est planè furtum. Secundò, quod rex seu generalis confusus in eius narratione, putat esse sufficientem numerum, & ita cum longè minor sit, solent plura infortunia, & victoriae perditio sequi. Ter- tiò concedunt officia famulis, vel familiaribus suis, statuendo eos cen- turiones, &c. minuendo illis stipendia, sibi que reliquum referuando. Est enim in damnum exercitus distrahere officia honorabilia vilibus, & indignis robore carentibus, & prudentia requisita. Vnde putat:

Merca, cap. illo 15. quod tenentur restituere, non solum, quod ipsi de
 286 falcantur sibi ex officio, sed etiam quod illi indigni acceperunt, cum
 omnino contra principis voluntatem retineant, & damna secuta, ut pa-
 tet. Quarto solent etiam dum in acie sunt dissimulare furta, & iniu-
 rias, &c. Et ita uterque tam dux, quam milites tenentur restituere.
 Solent etiam extorquere pecuniam a populis in quibus sunt castrame-
 tati, quod aperte est vexatio iniusta, & ita solent pecunia erepta agmi-
 na alio transferre.

287 TERTIO dicimus, quod si bellum est iustum, & similes iniuria
 non admisceantur, licitum est in spolio autoritate ducis facto occide-
 re, captiuos ducere, spoliare, &c. Hoc enim est ius belli, nec ad restitu-
 tionem tenentur ullam. Ita docet Syluest. verb. bellum, quaestione 1.
 Couar. §. illo 11. nume. 1. S. Thom. libr. 3. de regimine principum cap.
 11. Castro. lib. 2. de iust. haeret. puni. cap. 14. Mai. in 4. distinct. 25. quaest.
 20. Adrian. in 4. de Restitut. §. Aggreditur, gloss. in capit. Sicut de Iu-
 reiuran. Tiraquell. de legibus connubialibus l. 1. numero 46. Caiet. in
 sum. verbo bellum, versic. *Fac ergo*, Gabr. distinct. 15. quaest. 4. conclus. 1.
 Et habetur in l. Hostes Et. l. Si quid in bello. ff. de Capt. & l. natura-
 lem §. ultimo ff. de Acquir. rerum domi. Et in cap. ius gentium 1. distin.
 288 planè probatur: Vbi gloss. id docet. Et planius in cap. ius militare, quo-
 rum utrumque est ex Isidoro. Et idem docet Ambr. in cap. dicat 23.
 quaest. 5. *Præda* (inquit) *in potestate victoris est*. Inter Christianos tamen
 non seruetur de consuetudine ius belli quoad seruitutem, & ita esse
 seruandum docet Syluest. & Bartol. in l. hostes de cap. Adde, quod bo-
 na si sunt immobilia non fiunt capientium, sed publicantur, ut patet ex
 l. si captiuus §. Expulsis ff. de Cap. Et Regi applicantur, ut etiam in hac
 specie tradit Couar. §. 11. nume. 6. in fine Bart. in l. Si quid in bello ff.
 de Capt. Alexand. & Ias. in l. 1. de Acquir. poss. in principio nume. 10.
 Martinus Laud. tract. de bello §. 4. & habetur in l. 19. & 26. part. 2. Mo-
 289 bilia verò post victoriam capi non possunt, sine peccato rapinae, ait
 Syluest. quia debent poni ad commune, & assignari capitaneis, ut se-
 cundum merita, & distributiuam iustitiam ea partiantur. Et idem do-
 cet Bart. in l. Si quid in bello ff. de Capt. quod intelligo. Primum nisi
 sit consuetum, ut vnusquisque retineat, quod cepit, ut Gabr. docet pri-
 ma conclusione dict. quaest.

Et secundò ego limitarem, quando dux concedit prædam, & ut His-
 panicè dicitur *el saco franco*. Tertio tandem limitat etiam Syluest. Si ca-
 piat post: nam si ante victoriam, efficiuntur capientium. Sed id tantum
 verum putarem quando autoritate principis, vel in ipso prælio acci-
 peret, ut supra dictum est, aliàs autoritate priuata facere viderentur.
 Multa autem hic dici possunt de bello, quæ late prosequitur, Syl. verb.
 illo bellu. primò per multas quaestiones Couar. nu. 6. Anto. in sum. de-
 289 fecerunt, ti. de Rep. cap. 3. & alij citati doctores, quæ omnia in singulari
 prosequi non patitur breuitas nostri instituti. Legat curiosior. An au-
 tem bellantes iniuste siue Rex, siue duces, siue milites, tam non vo-
 cati, qui dicuntur *auentureos*, quam cæteri. An (inquam) tenean-
 tur in

tur in solidum ad damna per totum exercitum data, habes infra, capite
 sexto, vbi ista latius nobis explicantur, cum sermo est de participantibus
 in damno.

270 SED an Princeps teneatur refarcire damna bellantibus sub suo si-
 gno, breuiter est dicendum ex Cord. quaest. illa 39. puncto 2. quod si
 bellum est iustum, & stipendium accipit ex conventionione, siue subditus,
 siue liber, non potest quidquam amplius exigere pro damnis occasio-
 ne belli acceptis: ob illud enim stipendium, ipsi se liberè locauerunt, &
 ad contingentia damna se obrulerunt, & ad alia belli pericula. Secun-
 do dicendum, quod si cogatur ire, nolens, si subditus est, satisfacit solu-
 uendo expensas necessarias, vel stipendia solita: illi enim tenentur iure
 270 obedire, & quo iure obedire tenetur, consequenter eodem iure tene-
 tur periculis & damnis belli se exponere: maximè, quia nunquam co-
 guntur, nisi necessitate urgente, quo tempore, ipsi deberent se objicere
 defensionem. Si verò subditus non est, & cogitur, videndum est, meo iu-
 dicio, an cogatur vi & metu, an precibus & suasionibus. Et sanè in vtro-
 que casu Cordub. existimat esse restituendi obligationem, quia (inquit)
 regula generalis est, quod mandans obligatus est damnis mandatarij.

271 VERVM ego sanè aliter sentio. Primum, mihi videtur, quod si vi,
 aut metu, aut minis, aliave coactione, non subditum ire cogat ad bel-
 lum, etiam iustum, teneatur satisfacere damna, quæ illi ex tali itinere
 incurrerunt. Quod ex eo constat, quoniam ex actione iniuriosa dam-
 num est consecutum. Igitur ei, sicut efficaci causæ, & iniustæ, damnum
 imputandum est. Et quamuis id Corduba in expresso non doceat, ta-
 men eius fuit sententiæ, cum dicat, rogatis & vocatis etiam satisfaciend-
 um, à fortiori igitur coactis iniuste.

272 SECUNDO mihi non placet, quod rogatis & vocatis est satisfa-
 ciendum: illi enim liberè, & sponte, ad bellum proficiscuntur, sibi igitur
 imputare debent damna secuta: ea enim ipsi, cum consenserunt, cogi-
 tare debebant posse acciderè. Quod si non cogitarunt, suæ impudent
 stultitiæ: scienti enim & volenti non fit iniuria: nam si, ut infra dice-
 mus, puellæ consentienti in stuprum, precibus & persuasionibus, nihil
 de iustitia est restituendum, ut infra dicemus: cum tamen damnum sit
 immediatè ab illo datum, multò minùs tenebitur de aliis damnis aliun-
 dè (licet occasione belli) incurfis ab eo, qui rogatus ad præliandum ve-
 nit. Vnde illam regulam generalem, quam Corduba veram & commu-
 nem putat, quod scilicet mandans tenetur de damnis mandatarij, sic
 accipienda est, meo iudicio, si aliquo modo coactus est. Quando scili-
 cet intercedit metus quidam reuerentialis, ut cum Princeps rogat,
 mandat, aut vocat ad bellum, eum, à quo dissentire graue, & dispendio-
 sum foret rogato: tum enim inuoluntariè consentit, aliàs non consen-
 surus, si illi libera, & soluta omnia fuissent: tum si quidem metus reue-
 rentialis est causa principalis actus, & consequenter damnorum.

TERTIO concludimus, quod si sua sponte non coactus, nec roga-
 tus, accedat, non subditus, nec stipendiatus, est distinguendum: nam si sui
 causa accedit ac bellum, scilicet, vel lucri proprij, vel spoliatorum, vel

273 nominis & gloriæ acquirendæ, vel vindictæ, vel intentione, vitam & res suas pro Rege & republica donandi, nulla est restituendi obligatio: ita docet Corduba puncto 2. di. 3. tum quia ij habent animum implicitum donandi, tum quia ipse sua causa facit. Si verò eo animo accederet, ut negotium Regis utiliter gerant, militentque suis stipendiis, tenetur Rex damna refarcire: quoniam ex quo rex licentiam ire volentibus præbet, consentit ut illi suis expensis eius negotium gerant. At consensus, & rati habitio, mandato comparatur: igitur tenetur satisfacere gestori utili negotiorum.

274 VERVM profectò licet in foro exteriori audiretur, ita bellans ad stipendium, & satisfactionem: tamen in conscientia ante sententiam, non credere Principem teneri, vel stipendia, vel damna refundere. Primum, quoniam vix potest animus bellantis notus esse Regi, an scilicet fuerit eius negotij utiliter gerendi ratio, an secus, possentque innumera fraudes contingere: neque tenetur Rex credere dicenti eius causa ad bellum venisse. Secundò & præcipue, quoniam ipse non coëgit, imò nec rogavit: sed tantum consensu præbens licentiam, ut quicumque velint, ad bellum adiungerentur. Non igitur dampna secuta sunt ex iniusta Regis actione, sed ex mera eorum voluntate, qui ad bellum sua sponte accesserunt: Ipsis igitur, & non Principi, damnum imputandum venit. De stipendio autem maior dubitatio esse poterat: & crederem distinguendum fore. Si enim rex publicari iussit, ut quicumque velint, irent suis stipendiis, non tenetur restituere, aut satisfacere quidquam. Ipsi enim liberè & gratis ire censentur, & debent. Si verò absolute licentiam dedit volentibus, sese ad prælium adiungere, tum dici posset, quòd si Regis negotij agendi causa venerunt, non solum in foro exteriori, ut supra dicebam, sed in conscientia teneri: videretur enim pactum quoddam implicitum inter Reges, & ire volentes, & ita ex parte teneri posset Cordubæ sententia.

275 Ex his constat, quòd si contra Regis voluntatem ad bellum venit, nihil ei Rex satisfacere tenetur, imò pœna digni esse possunt, idque Rex mandare posset: quia vel eos fideles non censet, vel quia eis opus non habet, vel quia in aliis ministeriis occupari vult. Et ita sensit Corduba, & de se patet. Illud verum est pro iis, quæ diximus temperandis, adnotavitque Corduba dict. 5. quòd siue miles etiam extraneus veniat rogatus, siue solummodò licentiatu à Rege, siue, quod maius est, Rege renitente, venerit ad bellum iuvandum, tenebitur Rex in conscientia, tam stipendia iusta, quam damna illi ex occasione belli contingentia, reparare, si magna erat Regi necessitas adiutorij: tum enim Rex consentire tenebatur in eo adiutorio recipiendò, & admittendo: sicut si Medicus te renitentem curaret, expensasque tuæ curationis solueret, nunquid non sanus laborem, industriam, & expensas solvere deberes? Si domus tua flagrat incendio, ego verò, te nolentem, vel etiam me rogantem, ut te extraham, extraxero, te tuæque liberando, nunquid mihi laborem & damna, quæ tua sum passus causa, reparare non tenebere? Si te taurum agitantem, me rogantem, & vocantem in tuum auxilium, vel potius

vel potius renitentem, admonitionibusque meis, ut fugias, non adquietem, iuvero? Si tibi opem penè morienti equi mei amissione, vel alio damno meo, rulero, nõhne satisfacere mihi, & laborem, & damna debetis? Hæc igitur, non solum quia negotium tuum utiliter gessi, verum etiam quia in ea occasione, & tempore, feci, ut ipse talem operam acceptare tenebaris, iusta satisfactione mihi promissa. Sic ergo dicendum est in hoc casu, quòd si meo auxilio ita opus foret, ut Princeps periclitaretur, si ego rogatus, vel solum licentiatu, imò certè prohibitus accederim, iuste petere possum damnorum meorum refarcionem, Rexque in conscientia satisfacere debet: atque ita vera erit Cordubæ sententia. TANDEM, quando bellum est iniustum, variant Doctores in opinando. Quidam enim existimant, quòd tam subditis, quam non subditis, tenetur Rex vocans, & inducens, damna omnia satisfacere. Ita sensit Cordub. in d. 39. punct. 2. & id verum putat, etiam si non præcedat promissio, seu iuramentum de damnis huiusmodi reparandis. Probat Corduba. Primum, quia si induceres ad rem honestam, ex qua, inductus, damnum pateretur, esset illi satisfaciendum, iuxta caput finale de Iniuriis, si tua causa damnum datum est, &c. Et iuxta communem sententiam, quòd mandans tenetur de damnis mandatarij: at non debet esse melioris conditionis mandans rem illicitam, igitur, &c.

277 SECVNDO, quia damnificans spiritualiter in gratia, aut meliori bono, tenetur restituere, omnium sententia: & tamen solum induxit, non coëgit: ergo similiter Princeps non cogens, sed inducens, tenebitur damna temporalia refundere inducto. Ita sensit Cordub. in d. 39. punct. 2. M I H I non placet ista sententia, quin potius puto, nullam esse restituendi prædicta damna, obligationem. Ita sanè sensit Gabr. in 4. d. 15. q. 4. concl. 6. Syluest. verb. bellum, q. 10. di. 1. Et licet Doctores eam reddant rationem, quia ex turpi actu non oritur obligatio: atque ita, cum illi mala fide pugnaverint, non poterunt petere à domino inducente, satisfactionem. Ego tamen alia inducoratione, quoniam sic bellantes, damnumque ab hostibus patientes, & alia similia damna ex itinere, non possunt esse rationabiliter læsi, cum ipsi voluntariè similibus damnis, se exponant: scienti enim & volenti, non fit iniuria. Cum igitur inductor non coëgerit, vi, metu, aut fraude, &c. sibi imputare debent. Non enim melioris conditionis esse debent turpiter bellantes, quam si iuste, & licitè præliarentur: at sicut ostensum est, iuste etiam bellantibus, modò fraude non fuerint decepti, aut metu minimè impulsii, non esse de iustitia, quidquam damnorum restituendum, igitur, &c. Alioquin, si tuis precibus aliquis voluerit se ad occidendum, vel furandum, offerre, teneberis illi de damnis contingentibus, quòd minimè crederem, & latius infra c. 6. falsum ostendemus: cum ipsi coacti non sint, sed sua sponte, faciant. Sed ait Corduba, quòd in bello consentiunt iniusto iuvando, non autem in damna. Sed frivolum est hoc: eo enim ipso, quòd consentiunt in iniusta bella, consentiunt etiam in pericula, & damna ex bello sequuta, alioquin non consentirent, cum liberi essent relictii. Fateor equidem, quòd si promissio, pactum, vel iuramentum, ex parte

ex parte Principis præcessisset de damnis reparandis, teneretur reparare: at id non prouenit, eò quòd Princeps eos iniuste læserit, sed ex fidelitate & religione iuramenti. Certè si quando bellum est iustum, restituendi obligatio non est, vt supra ostendi: cum tamen occasione Principis iniuste patiantur ab aduersario, multò minùs erit restituendum, cum iuste ab aduersario licite bellante, patiuntur, cum ipsi abstinere deberent. Hic plures de bello quæstiones omittimus. An scilicet vtraq;
 280 ex parte possit esse iustum? an Imperator in temporalibus causis possit solus bella indicere, quasi si ille sit superior, & dominus ad omnes reges, vel an saltem Papa id habeat, quæ late disputantur à Couar. §. 10. & an seruitus sit contra ius naturæ, & quando gerens iustum bellum, teneatur reuocare, quod explicat Caiet. in Sum. verb. bellum. §. fac ergo.

DECIMATERTIA dubitatio sit de duello: hoc enim etiam pertinet ad publicam auctoritatem: solebat enim & legibus, & magistratibus concedi, olimq; solemniter, & publicè fieri varias ob causas, & fines. Et quidem quòd liceat tale genus pugnandi, probari potest. Primum, quia licitum est occidere inuasorem, ob defensionem vitæ, vel honoris, vt infra dicemus, siue id sit præueniendo accipiendam iniuriam, siue iam acceptam repellendo, recuperandòq; amissum honorem alia iniuria: ergo propter eandem saltem causam, licebit prouocatum ad duellum exire, quando nullum aliud restat remedium tuendi honorem. Adde, quòd in quibusdam militaribus religionibus cautum esse fertur, vt si quis ad singulare certamen fuerit prouocatus, & noluerit exire, inhabilis sit ad dictam religionem: & idem est pro defensione rerum & vitæ. Propter hoc argument. Ang. verb. duellum, §. 6. dicit licitum esse propter hunc finem, quando quis alio modo euadere non potest vitæ, vel rerum iacturam. Probat ex c. Occidisti, de Homic. In hac re certum est ex Doctoribus infra citandis, duellum in duobus casibus esse illicitum, quando fit ad indagacionem veritatis. Est enim Deum renare, quòd illicitum est iuxta illud: *Non tentabis Dominum Deum tuum.* Non enim licet indebito modo procurare scire. Et ita habetur in c. Monomachiam 2. q. 4. & idem est de impositione manuum in ferro cadenti, vel aqua feruenti, vt habetur in c. Cõsulisti eadem causa, & quæst. Et in c. Cura suscepti. Secundus casus est, quando quis sponte prouocat alterum, vel acceptat ob inanem gloriã, vel iram, vel ad vires ostendendas, aut aliam causam, quod non est necessitas vitæ, vel honoris, aut rerum defensionis. Et hoc secundo modo, imò vtroq; datur in Cõcil. Trid. sess. 2. c. 19. sub grauibus pœnis. Tertio de clericis etiam est certum illis esse illicitum, habetur in c. 1. de Cler. pug. in duel. Tandem id etiã debet esse certum, duellum ex obiecto non esse illicitum, sed ex circumstantia aliqua posse benè fieri, vt infra dicemus. Sor. ergo §. de Iust. q. 1. ar. 8. docet non esse licitum exire ad duellum, propter tuendum honorem. Idem senserat Caiet. 2. 2. q. 95. art. 8. causa 3. dub. vlt. Henric. Quodlib. 5. q. 32. Armill. verb. duellum, §. 1. & etiam idem Caiet. in Sum. verb. duellum, Anto. 3. part. tit. 4. cap. vlt. & 3. Mai. in 4. d. 15. quæst. 23. Idem docuit Syluest. propter tuendam vitam, vel res. Probat hi authores. Primum, quia

quia licet necessitate cogantur, at illa necessitas, non est absoluta: sed conditionata, & ita non potest dici, quòd vim repellat. Sed antequam hinc discedo, friuola est (meo iudicio) ista ratio. Quia neque ille, qui occidit ob vitæ, honoris, vel rerum defensionem cogitur absolutè, sed conditionatè: dumtaxat, supposito, quòd velit se suaque defendere, & multo minus cogitur, qui repercutit recuperandi honoris causa, quod infra dicemus licitum esse. Secunda ratio huius sententiæ est Syl. quia (inquit), tunc vterque est aggressor: esse verò vtrumque aggressorem probat ratione dicta, quia neuter cogitur simpliciter. Sed hæc ratio satis impugnata est; aliàs aggressor esset, se defendendo occidens. Non enim simpliciter cogitur. Præterea antecedens est falsum. Si enim vterque esset aggressor, iam intrinsecè, & ex obiecto esset illicitum. Aggredi enim proximum ad occidendum priuata auctoritate, illicitum est, & ita nullo casu posset fieri bene, quòd tamen infra impugnabimus. Imo nec publica auctoritate inuasio licita est, vt supra diximus, nisi lata sententia, aut si crimen intercederet, idque notorium. Denique quia bello vtraque pars alterum aggreditur. Cur ergo bellum erit iustum?

TERTIARATIO Soti est, quia reuera non amittit honorem, qui non acceptat, quòd licet verum sit, vt infra dicam, sed huius rationem quærimus. Probat Sor. quia licet apud vulgus pusillanimis habeatur, qui non acceptat duellum: apud sapientes tamen non datur dedecori. Vbi enim virtus non defenditur, non est verus honor. Exire autem ad duellum priuata auctoritate, non est virtus. Verum hæc ratio videtur petere principium. Vnde enim habet, quòd non est virtus, siquidem virtus est occidere ob defensionem rerum, vel honoris etiam priuata auctoritate. Huius enim esset assignanda ratio. Adde, quòd hæc ratio probat solum in honore, non in vitæ, vel rerum defensione. Caiet. verò tantum reddit rationem, quia nulla est ignominia, apud sapientes non acceptare: sed huius quærimus rationem.

MIHI ergo videtur. Primum cum Sor. & Caiet. non esse licitum propter honorem tuendum duellum acceptare. Ratio est, quia ille non acceptando non amittit honorem. Quòd licet Caiet. non probet, & ratio Soti videatur petere principium, potest sic probari. Quia ille ex eo quòd me prouocat non infert iniuriam, etiam quando minatur verbis, vel actibus contumeliisque. Tunc enim nõ acceptare duellum, sed defendere possum honorem ob necessitatem, vt infra latè dicemus. Ex eo ergo tantum quòd me prouocat nõ irrogat iniuriam vllam apud sapientes. Maximè post Concilium Trid. quòd graues pœnas infligit acceptantibus duellum. Et quamuis magna esset ignominia non acceptare, quia contumeliosè se gerit erga me, adhuc nõ liceret acceptare, cum illud non sit medium necessarium ad vitandam ignominiam, sed posset pura defensione vti. Maximè, quia acceptando est occasio peccati alterius, qui iniuste exiit ad pugnam. Cuius tamen peccati occasio non est, quando ob necessitatem se defendit, quia non est aliud remedium. Tunc enim nullo pacto cooperatur peccato illius, sed vtitur iure defensionis. Sed mendæ propriæ vexationis. Ex hoc ergo puncto constat, quòd re-

uera non perdit honorem ex non acceptando, sicut perderet ex non se defendendo, quod si perderet, non duello, sed defensione est agendam, quod puncto sequenti clarius fiet.

CIRCA vitam verò, vel res, vt vidimus Henri. Sylue. Armill. & Caiet. putant non licere acceptare, vt si quis v.g. iniuste damnaretur in rebus vel in vita, nisi duello contenderet, nec est aliud remedium vitandi tantum damnus iniuste illarum. Contrarium tenet Angel. vbi supra, Nicol. de Lyr. in c. 17. 1. Reg. & Nauar. sum. Lati. cap. 15. numer. 9. & cap. 11. num. 39. Argumentum pro hac sententia supra attulimus ex iure defensionis. Rationes verò primæ sententiæ iam soluimus. Nihil enim probant. Argumentum etiam Henrici leue est quia scilicet, qui 287 acceptat duellum voluntariè occidit, quod est illicitum. Putat enim hic author Quodlib. illo 5. quæst. 31. quod non licet aliquem occidere voluntariè etiam in actu aggressionis: sed tantum per accidens: qui autem duellum acceptat voluntariè, & ex electione occidit. Hanc enim doctrinam, quæ etiam est Caietani infra impugnabimus. Aliam ergo rationem reddit Caiet. ar. illo 8. causa 4. (inquit) quod duellum nisi habeat conditiones iusti belli, iniustum est. At iusti belli vindicatiui conditio necessaria est, vt indicens bellum sit potentior, vt saltem probabiliter sit certa victoria, vel saltem non succumbere, quia habet rationem agentis, quod fortioris debet esse, patiente, hæc autem ratio deest in 288 duello. Quia vel par est conditio, vel in illo actu facilè aliqua occurrere solent quæ fortiorem faciant succumbere. Igitur est contra rectam rationem ex suo genere. Si verò duellum sit purè defensiuum, tunc etiam, vt sit iustum debet quantum fieri potest fortificari ad imitationem rerum naturalium, quæ se defendunt eo modo quo possunt. Hoc autem accidere non potest in duello: quia dum vnus ponitur ad resistendum vni, debiliter ac minus periculosè consulitur.

MHI videtur secundò, quod ad terminandam litem ciuilem, vel criminalem, non licet vri duello. Et hoc optimè probat hæc ratio Caiet. & hoc ipse intendit. Semper enim exponitur periculo iustitia alterius partis, & ita semper multitudine fortiori agendum est, si est ad vindicandum iniuriam illatam, vel si ad defendendum, quam fortissima haberi possit. Hoc enim est medium per se ordinatum, & quo certius iustitiæ 289 consulitur, vt doctè Caietan. probat.

TERTIO mihi videtur contra Syl. Henri. Armil. & alios, quod licitum est duellum ob rerum, & vitæ defensionem, quando iniuste quis patitur. Hoc enim non est ad determinandam litem: sed ad repellendam iniuriam: ita tenet Nau. Ang. Lyræ, & Caiet. Et ratio est supra allata: quia hæc est vera defensio, & repulsio iniuriæ alia vi. Limitat tamen Caiet. prædicta, vt scilicet vera sint de consensu iudicis, & similiter, quod in aliis causis non licet. Quia defensio armata non est licita, nisi contra inuadentem me armis. Hæc obscura limitatio non placet. Quia si vt ipse faterur, (& ita est) hoc est duellum nomine tantum, nam reuera est defensio, & repellere inuasorem, ergo sine consensu iudicis iure naturali concedente fieri potest. Secundum etiam falsum est, Quia latronè licet occide

occidere, qui tamen non inuadit armis. Alia tamen mihi videtur limitatio adhibenda, vt vera sint prædicta, quando aliter res defendi non potest, vel vita, nisi acceptando duellum. Nam si ego possem occidere 290 mortem euadere, vel res saluare, deberem occidendo pura defensione vti, non tamen admittere duellum, aliàs cooperarer peccato illius, vt dixi in primo dicto. Cum enim ille peccet exeundo ad duellum, & si ego non acceptarem, sed simpliciter occiderem, ille non aggredetur me in duello, iam videor per acceptationem duelli causa peccari illius. Et idem existimo in bello, si namque iuste bellans posset alia via, quam acceptando bellum ex parte alterius iniustum, se vindicare, aut defendere, puta vallando ciuitatem, vel alia simplicia occisione, non deberet consentire in indicendo bello, cum cooperetur peccato illorum. Et in hoc casu vera esse potest sententia Sylue. & aliorum. Nam præterquam, quod cooperamur peccato illius non esset defensio sed aggressio, cum super sit aliud remedium. Si tamen alia non restat via ad 291 simplicem defensionem, nisi acceptando bellum vel duellum, tunc acceptari posset, nec peccatum alterius mihi imputaretur, qui vtor iure meo. Colligo ex dictis casus in quibus est duellum illicitum. Primus ad indagandum veritatem. Secundus quando sponte, id est, sine necessitate suscipitur, puta ad ostentationem virium. Tertius, ad vitandam ignominiam, cum vilis & degeneris animi sit habendus. Quartus ad dirimendam litem ciuilem, vel criminalem. Quintus quando vt i possim pura defensione. Sextus, quando fit animo vindictæ, quod frequentius videtur, & propter has causas canones & concilia duella damnant, vt diximus.

SPECIALITER autem & nouissimè Concil. Tridentin. in dict. cap. 19. §. 25. de reformatione sub grauib. pœnis vsu duellorum reprobatur. Primum ipso facto excommunicatos esse decernit dominos temporales, qui locum ad monomachiam siue duellum in terris suis inter Christianos concesserint. Secundò priuati sunt dominio ciuitatis, vel loci apud quem duellum sit permissum si ab Ecclesia obtinuerint, 292 vel si feudo habeatur, eo priuati ipso facto, domino directo acquiratur. Tertio ipsi pugnantes & eorum patrini excommunicationem incurrant, & bonorum proscriptionem, ac perpetuæ infamiæ pœnam, & vt homicidæ puniri debeant, si qui in ipso conspectu discesserint, careant Ecclesiastica sepultura. Quarto illos, qui in causa duelli consilium dederint, aut spectaculo interfuerint, excommunicationis, ac perpetuæ maledictionis vinculo teneri. Non tamen credimus pœnas tertij, & quarti ordinis ipso facto incurri, vt ex tex. ipsius ratione colligitur.

SED nunquid licet resolvere bellum in duellum? Syl. vbi sup. q. 8. §. 4. ait quod omnes acceptantes duellum indistinctè peccant mortaliter & ita tenet sum. conf. sum. Pis. Adria. sum. Rosel. Supplem. glo. & Host. Hæc ille. Eius ratio sup. allata est, atque impugnata. Quare mihi placet sententia Nauar. Armil. Caiet. & Lyræ, c. illo 17. 1. Reg. qui etiam citat 293 S. Th. pro hac sententiâ. Sed D. Th. nõ ita clarè loquitur, vt bene Caiet. dicit. Horum ergo sententia est, quod licitum sit bellum resolvere in

duellum, quando par est vtriusque partis fortitudo vel non est certum, quòd vincatur, vt optimè probauit Caiet. sup. determinatione litis. Eadè enim est prorsus ratio. Licitum tamè est, quòd princeps videt se paucas habere vires, etsi duello agat vel victoriam affecuturum, vel saltem non succumbet. Cuius ratio est, quia vt diximus ideo tale duellum est illicitum, quia periculosè consulitur salutis alicuius. In hoc autem casu potius bello res perditur, & duello lucratur, vel nò perditur. Licet ergo se tueri eo modo, quo potest vel per totum exercitum, vel per partem sui, nec tunc cooperamur peccato aliorum: sed vt Caiet. benè dicit, potius consulimus minus malum, cum illi parati sint omnes iniuste dimicare, & occidere, vt scilicet vnus solus aggrediatur. Quam doctrinam desumpsit ex Nicol. de Lira, vbi supra. Vbi obiter adnotabo, non sibi Caiet. constare, cum alibi docuerit non licere ad minus malum inducere. Vnde in hoc casu, vt docent prædicti authores, non solum licet acceptare: sed petere duellum ratione dicta.

Ex his planè constat in duobus casibus licitum esse duellum acceptare, vt dictum est in puncto 3. Primus, si quis ex non acceptando passurus esset damnus in vita, aut membro, nec aliud esset remediū euadendi, siue ob iniustam sententiam, vel alia causa. Secundus cum resoluitur bellum in duellum. Quia videt iustum gerens bello se superandum, vt vidimus, & fatentur specialiter Caieta. Nauarr. & alij. In tertio tamen quodam casu est difficultas. Vtrum scilicet licitum sit tempore belli principibus concedere, aut militibus, seu ducibus inire singulares pugnas, vel saltem partiales. Pugna singularis, seu monomachia dicitur, cum vnus cum altero pugnat, partialis, cum decem hinc, decem inde inuicem prouocati ad certamen descendunt. Nam Caiet. in sum. verb. duellum, negando respondet. Quia (inquit) istud est partiale certamen, quod non ordinatur ad finem belli. Cum non tam ad victoriam de iniusto hoste reportandam, vel illius virtutem in minuendam, quam ad virium ostentationem ordinatur.

Huius oppositam sententiam tenet Vincentius quidam vir doctus sæpe, à Nauarr. in sum. lati. nominatus, cui (vt Nauarr. refert c. 17. nu. 24. sub littera B.) prædicta Caietani opinio displicet, cuius ratio est. Tum, quia prouocantes hostes animosiores fierent, si alij non acceptarent. Cuius exemplum videtur esse i. Reg. 17. Deinde, quia milites debent suum honorem seruare, quem tamen talia certamina renuendo, perderent.

296 SED meo iudicio horum opinantium nulla est diuersitas, vt idem Nauarr. docet, & conciliat, quamuis idem Vincen. Caiet. se repugnare putet. In eo enim casu damnat Caiet. prædictas partiales pugnas, quòd fierent animo ostentandi vires, & spectaculi gratia, vt ipse ait. Est enim contra rectam rationem eligere percussorem proximi, cum vitæ periculo ad inanem hunc finem, vt nos supra docuimus. Non autem negat, imo planè ex eius ratione colligitur, quod si ad finem belli deferuiat monomachia acceptio, vel partialis pugna, quod tamen fieri videtur, quando ex renuendis his congressionibus valentior, ac super-

perbior fieret alter exercitus. Tum enim ad belli finem conducit talem pugnam non recusare. Qua ratione excusari potest Dauid (præterquam quòd, vt dictum est, diuina ordine pugnavit) quia, vt habetur in d. c. 17. 297 Philisthæus se iactabat aduersus phalanges Israël, quòd exprobrasset Iudæorum agminibus, petens singulare certamen, ex quo vires suis resumerent. Contrà verò Saul, & viri eius illa audientes stupebant, & metuebant nimis. Vnde (vt ibi diuina prodit historia) omnes viri Israëlita videntes virum, fugerunt à facie eius, timentes eum valdè. Deinde excusari potest, quoniam propter Dei honorem tuendum, nedum ipsius Saul, & Israëlitici exercitus, certamen admisit. Quo fine commotus, ait: *Nunc vadam, & auferam opprobrium populi: quoniam, quis est iste Philisthæus incircuncisus, qui ausus est maledicere exercitui Dei viventis?* Denique nullum erat remedium aliud euadendi. Quare omnes ferè rationes iusti duelli, in Dauidis pugna cum Philisthæo, concurrisse videntur.

TANDEM ad calcem huius difficultatis rogabis, vtrum licita sit illa conditio quorundam duellorum, vt scilicet nullus ex circumstantibus, opem ferat alicui: videtur enim esse contra ordinem charitatis, qua quis tenet extremè indigenti succurrere. Mihi videtur, quòd si duellum sit ob defensionem vitæ, & rerum omnino necessariarum, vt diximus dicto tertio, si adhuc ille nolit desistere ab iniustitia, licitum est sic acceptare, nec circumstantes tenentur extremè indigenti succurrere, si extremè indigens sit ille, qui iniustitiam facit. Si enim innocens esset in periculo, illicita esset conditio. Ratio, meo iudicio, est, quia quando aliquis iuste occiditur, non tenetur proximus eum liberare, vt patet in eo, qui à iudice damnatur ad mortem: sed ille iuste occiditur, cum sit aggressor, ergo, &c. Imò videtur, quòd alium iuuare esset illicitum, & cooperaretur peccato iniustitiæ. Sicut qui latronem me spoliantem iuuaret, ne à me occideretur. Cum ergo in dicto casu sit duellum, secundum apparentiam, vera autem defensio: iusta est conditio, vt nullus adiuuet aduersarium. Quin lege charitatis tenentur me iuuare, vt res meas, 298 vel vitam defendam. In aliis verò duellis, quippe illicitis, & detestabilibus, illicita est illa conditio, cum potius impedire vtramque partem oporteat.

QUONIAM verò genus quoddam duelli est singularis pugna cum bestiis, vbi homicidia contingere possunt, iuxta sententiam Pij Quinti, in quadam sua decretali his verbis: *Sanè licet detestabilis duellorum usus à diabolo introductus, vt cruenta corporum morte, animarum etiam perniciem lucretur, ex decreto Concilij Tridentini prohibitus fuerit. Nihilominus adhuc in plerisque ciuitatibus, & aliis locis, quamplurimi ad ostentationem virium suarum, & audacia, in publicis, priuatisque spectaculis, cum tauris, & aliis feris, congregari non cessant. Vnde hominum mortes, membrorum mutilationes, animarum pericula frequenter oriuntur, &c.* Ideo placet hoc loco addere. 300

DECIMAM QVARTAM difficultatem de pugna cum tauris, eorumque agitationibus, circa quòd multa sunt breuiter dicenda: pauca enim docuere authores. Primum igitur arbitramur, gubernatores, ac magistratus, qui agitare eos iubent, eosque, qui in circo exagitant,

non peccare mortaliter, nec excommunicationem incurrere ex natura rei. Cuius ratio est, quod ablata iam est censura, ipso facto, olim à Pio Quinto Romano Pontifice imposita prædictis personis agitationem mandantibus: aliis verò ferenda, ut constat ex decretali Gregorij decimi tertij, quam nos vidimus manuscriptam, ad instantiam Philippi secundi Hispaniarum Regis Catholici, concessa: ablata autem censura, prohibitio etiam ablata censetur circa easdem prædictas personas.

301 D I X I ex natura rei: nam si quæcunque ex dictis personis, probabili periculo se exponeret, vel occasio, aut causa esset, ut alius exponeretur, aut scandalum daret, &c. quamvis excommunicationem non incurreret, tamen peccaret mortaliter contra ius naturale, quo tenetur se conseruare. Quod si omnia prudenter, ac diligenter caueantur, non videtur contra ius naturæ, ut sentit Nauarrus numero decimo octauo, capite decimo quinto, quod hic latius non disputamus.

S E C U N D O videtur (quamvis doctissimi contrà senserint) peccare mortaliter clericos in sacris, vel in minoribus, Ecclesiastica beneficia habentes, qui huiusmodi spectaculis interfunt, ut agitationem videant. Moueor, quoniam ante decretalem prædictam reuocatoriam censurarum, peccabant mortaliter, siquidem sub excommunicatione maiori illis erat prohibita huiusmodi assistentia, ut patet ex motu proprio, 302 relato à Nauarro vbi supra. Igitur, & modo similiter peccant mortaliter, cum quoad clericos nihil est immutatum, nec in aliquo releuati, sed expressè excepti à dicta reuocatione, ut legenti patebit prædictam reuocationem.

V I D E N T Prælati, & tacent, inquis. Sed, nunquid possunt particulares Prælati sua taciturnitate illud ius commune abrogare? Papa enim legislator non consentit. Item supponit falsum responsio. Plures enim Prælati puniunt eos, qui assistunt. Quod si, qui non ita faciunt, non est quia consentiunt, sed quia remedium commodè adhibere non possunt: nam multa per patientiam tolerantur, &c. Et sanè, quamvis daremus esse abrogata prædicta Pij, Gregorijque decreta, quod, ut dixi, non puto: tamen adhuc peccaret mortaliter, ratione scandali, quod reuera est, si publicè assistunt: omnes enim iam animo conceperunt, non licere illis interesse, ut probatum est.

303 S E N D dices secluso scandalo non erit mortale, utpotè, quia materia leuis. At non putarem leuis esse momenti, quod ita grauiter Pontifices prohibuerunt sub speciali clausula, & sub anathemate. Si enim leuis est materia, parum ad finem legislatoris referret: at si parum referebat, cur Gregorius eam clausulam non reuocauit, sicut & cæteras, sed strictè, ac religiosè seruandâ censent? Deniq; non parū est, quod sacerdotes Domini secularibus spectaculis, & ludis interfunt, profanitates, comestiones, & indecètiæ plures admittāt, quæ indigna sacerdotali persona sunt, multorumque peccatorum occasiones. Vnde sicut negotiari, colorata veste indui, & huiusmodi, alias non illicita, illis sunt iure prohibita, leuiq; momento non ducèda, sic &c. Nisi enim hoc ita esset, quomodo verū esset quod

quod Ro. Pontif. scribit in dicta extrauagante: *Nos igitur considerantes, hæc spectacula, vbi tauri, & fera, in circo, & foro agitantur, à pietate, & charitate Christiana esse aliena, ac volentes hæc cruenta, turpiaque demonum, & non hominum, spectacula aboleri.* Tertio existimamus, quod esto peccet mortaliter, ut dictum est, tamen non est excommunicatus, nisi post la- 304 ram contra eum excommunicationis sententiam à iudice, quamvis doctissimorum hominum sit contraria sententia, qui ea ducuntur ratione: quoniam cum sermonem faceret Pius V. de magistratibus, quibus sub excommunicatione ipso facto, exagitatio erat prohibita, subdit: *Clericis quoque, &c. Sub anathemate similiter prohibemus.* Si igitur, ait (*similiter*) ipso facto censendū est incurrisse: verum responderi potest, verbum (*similiter*) non referri ad verbū (*ipso facto*) sed ad verbū (*excommunicatio*) quasi dicant clericis quoque similiter excommunicationem adiungimus, & ita similitudo erit in prohibitione, & excommunicatione absolutè.

Q V A R T O videtur quod si in diebus festis exagitatio fieret, etiam laici agitantes, & aspicientes, peccant, imò mandantes excommunicationem latae sententiæ incurrunt: quoniam, cum casus diei festi sit expressè in reuocatione exceptus, mansit illa agitatio in pristino vigore. Vnde sicut ante reuocationem incurrerant, ita modò quoad hæc partem.

S E N D quid dicendum, si festum non est à iure, sed ex voto speciali 305 populi obseruatum? cōmuniter video absq; scrupulo, iis diebus exagitari. Et potest iudicio meo, ea ratione probari: quoniam, cum hoc sit ius commune, credendum est loqui de festis iuris communis. Ego non satis raturum, nec verum putarem: nam lex absolutè exceptit dies festos, & ratio legis, quæ est velut inditium obligationis, non cessat: imò æquè reperitur in iis festis: nam homines retrahuntur à Dei obsequio iis diebus debito, sacrūmq; tempus æquè prophanatur, postquam est Deo semel dicatum, etiam si dicatio fuerit ex deuotione alicuius, nullo communi iure 306 sacro effecto: & sic, cum semel dies ille Deo dicatus est, etiam si iure communi talis non existat, iam sacrum est tempus, & illis actibus prophanatur, qui specialiter sunt prohibiti in diebus festis.

T A N D E M vtrum religiosi laici peccēt, sintque in d. Extrauag. comprehensi, disputabile videtur: vna enim ex parte videtur non peccare, tum quia in Extrauaganti Pij Quinti, vbi rota obligatio posita est, tantum est sermo de clericis regularibus, vel secularibus, at illi non sunt clerici: licet enim in fauorabilibus fortasè clericorum nomine sint accipiendi, tamen in pœnalibus non est, cur clerici nomine veniant, cum reuera sint merè laici: tum secundo, quia esto essent clerici regulares, tamen non habent beneficia Ecclesiastica, nec sunt in sacris: dicitur enim: *Clericis quoque tam regularibus, quam secularibus in sacris, vel beneficia Ecclesiastica habentibus, &c.* Igitur etiam religiosi in prima tonsura, & minoribus ordinibus non comprehenduntur. Et quamvis hoc aliquando 307 probabile putabamus, modò tamen probabilius, veriùsque censemus eis etiam non licere assistere, non minus ac existentibus in sacris, secularibus, vel beneficiatis. Moueor duplici ratione. Primùm, quoniam clausula illa non sic legi debet, ut verba illa, *in sacris constitutis, vel beneficia*

ficia Ecclesiastica obtinentibus, applicentur verbis vtrisque prioribus, scilicet regularibus, & secularibus, ita vt sensus sit, quod regularibus, secularibusque clericis in sacris, &c. sed diuim legendum est, vt sensus sit, clericis quoque tam regularibus ibi sistendo deinde, quam secularibus in sacris, &c. ita vt satis sit esse clericos regulares, etiam si non sint in sacris, &c. Et ita denotat accentuatio: ponitur enim incisio, post verbum regularibus. Secundò, quoniam in prædicto Greg. motu legimus, non comprehendit laicos, nec fratres ordinis militaris, si in sacris non sint, nec beneficia habeant, sensit ergo Greg. siquidē eos exceptit, antea contineri. Si igitur dicimus alios quoscunq; religiosos non in sacris, nec habentes beneficia, non comprehendit, quantum in illis fratres laicos militares, frustra ergo de illis specialiter declarasset Greg. non comprehendit, nisi intelligeret cæterarum religionum laicos, & multò magis clericos in minoribus comprehendit. Vnde saltem de regularibus clericis, id est, in prima tonsura, & in minoribus, sine dubitatione putauerim comprehendit. Ex quibus patet ad rationes pro priori sensu factas.

308 SED postrema dubitatio sit, an sit ius cuiusque de populo, tyrannum palam, vel clam occidendi, & si sit, an id faciat publica potestate? Pro intelligentia notandum ex Caietano, tyrannum aliquem Regem dupliciter dici. Primò, secundum substantiam, quia reuera non est verus & legitimus dominus ius habens in regnum: sed extraneus & violenter intrusus. Secundò, quoad modum, quia reuera est dominus, & iure hæreditario Rex: tamen in modo gubernandi tyrannicè gubernat, seditiones excitando, iniurias ciuibus in honore, personis, & rebus inferendo. Dicunt ergo quidam, licitum esse, quemcunq; tyrannum, siue hoc, siue illo modo, occidere. Hanc doctrinam, quam hæreticam appellat Castr. tenuit (referente eodem Castr. & Gersono) quidam Ioannes Parey, & tempore Concilij Constantiensis suborta videtur, cum sessione decima quinta dicit: *Nuper accepit sancta Synodus multas assertiones erroneas in fide, & bonis moribus dogmatizatas esse, &c.* Docet ergo Castr. tanquam de fide esse tenendum, non esse licitum vassallo Principem occidere ob tyrannidem, siue sit tyrannus primo, siue secundo modo: de vtroque enim modo loquitur Castr. & rationes eius de vtroque procedunt. Vnde concludens ait:

310 *Quapropter tyranni nomen non solum conuenit Regi, aut alteri Principi, sed cuiusque alteri, aliquod dominium exercenti, si illud tale dominium illi non conuenit, aut si conuenit, ad plura se extendit, quam permittat lex sui domini. Et ita Episcopus est tyrannus, si per vim & violentiam tenet Episcopatum, aut si iure possidet, non tamen secundum iura regit, sed exactiones extorquet, & alia, que Episcopo non licent.* Hæc Castr. libro decimo quarto de hæres. verb: Tyrannus. Probat ergo multis rationibus, quod nullo modo licet occidere aliquem tyrannum ex dictis. Primò, quia si quilibet tyrannus potest occidi à subdito suo, sequitur confusio totius iustitiæ, quia tunc vxor. posset occidere maritum tyrannicè procedentem, & oues suum pastorem, siue esset Parrochus, siue Episcopus, siue Papa: & filij suos parentes. Secundò, quia peius est crimen hære:

hæreseos, quam tyrannidis: sed non licet cuiusque occidere hæreticum, ergo. Tertio, quia esto daremus esse licitum occidere tyrannum, id tantum esset licitum palam, & apertè, non per fraudes, & insidias. Licet enim (ait ille) hosti non teneamur veritatem omnem reuelare: 311 tenemur tamen non decipere fraude, & mendacio. Vnde Deus, qui dedit locum refugij Exod. 12. casu, non per insidias occidenti dedit. *Si quis enim per insidias, & industriam occidit proximum* (ait Deus) *euellens eum ab altari, vt moriatur.* Quartò, quia est facere contra fidelitatem fœderis, cum eo initi, & contra religionem iuramenti, quorum vtrumq; est de iure naturali seruandum etiam cum hoste.

DICES (inquit Castr.) tale iuramentum non obligare. Sed huic (inquit) obstant scripturæ testimonia docentia quemcunq; fidem debere cum hostibus seruare. Hac enim de causa Iacob iratus est contra Simeonem, & Leui filios, Genes. 34. quod violauerunt pactum cum Sychimitis. Qua de causa Gen. 49. eis maledixit, cū cæteris benediceret. *Simeon* (inquies) *& Leui vasa iniquitatis bellantia*, & 2. Paralip. 7. 312 reprehenditur Sedechias, quod rebellauit contra Nabuchodonosor Regem Babylonis, ob iuramentum cum eo initum de fidelitate seruanda. Et Aug. 1. de Ciuit. Dei. laudat Marcum Attilium Rom. Consullem, qui ne violaret fidem, quam iurauerat Carthaginensibus hostibus, mori maluit, quam fidem violare.

QUINTO, probat quia cum iure diuino priuata autoritate etiam scelestissimum occidere prohibitum sit, non potest quilibet de populo etiam tyrannissimum occidere. Ostendat enim occisor, vbi hæc potestas à Deo illi sit data. Sextò probat, quia Rex, qui supremam habet potestatem non potest citra iuris ordinem aliquem non monitum, non vocatum, non cōiunctum interficere, quod nos supra probauimus. Non ergo licebit inferiori occidere per insidias tyrannum. Sextò quia contra naturale ius est, vt idem in alterius controuersia decisione sit iudex, pars, & testis. Tandem probat ex Concilio Constantiens. Sessio. 313 15. vbi vt hæretica damnatur hæc assertio, *Quilibet tyrannus potest licitè, & meritorie occidi per quemcunq; vassallum, etiam per clanculares insidias, subtiles blanditias, vel adulationes, non obstante quocunq; præstito iuramento, seu confederatione facta cum eo, nulla expectata sententia.* Aduersus huc errorem consurgens Sancta Synodus præhabita matura deliberatione declarat, decernit, definit, huiusmodi doctrinam esse erroneam in fide, & moribus, &c.

VERVM TAMEN iudicio meo nimis indistinctè, & vniuersaliter procedit Castr., & rationes, eius nimium probant. Oppositum enim, quod liceat aliquando tyrannum occidere, cum non iure tenet dominatum, docet Cardinalis Caietanus super 2. 2. quæst. 64. art. 2. Dominicus à Soto lib. 5. de Iust. & iure, q. 1. artic. 3. 314

PRIMO ergo nobis videtur, quod occidere tyrannum secundo modo, id est, eum qui ius habet domini, sed tyrannicè agit, quia iura Regis excedit, nullo modo licet, & est veritas tanquam de fide tenenda. Ita docent omnes prædicti doctores. Et rationes Castr. hoc ostendunt.

dunt. Et prædicta definitio Concilij Constantiens. sic est accipienda. Quod latius probare, quàm probatum est à Castro, non oportet. Vnde 1. Petri 1. dicitur: *Obedire præpositis etiam discolis*, rationemq; reddit Sot. præter datas à Castro, quia cum ius habeat in regno non est nisi per iudicem suo iure spoliandus, quòd si superiorem non habet, vel nequit iudicio condemnari ob potentiam, vel aliam causam, Deus exorandus est (ait Sotus) in cuius manu est cor Regis.

315
S E C V N D O mihi videtur, quòd tyrannum. Primo modo, id est, qui per vim, & iniustè se Regem esse, & appellari facit, secluso fœdere & iuramento, de quo puncto sequenti dicam, licitum est unicuique de populo apertè, vel occultè occidere, si aliud non est remedium se ab iniusta tyrannide, liberandi. Dixi, *si non restat aliud remedium*: puta recursus ad superiorem, vel ad alium legitimum iudicem. Ita planè Caiet. & Sot. vbi suprà, & S. Thom. 2. sententiarum distinct. 44. artic. penult. ad vltimum, & opusc. de regim. principum, cap. 16. Rationem reddunt Sot. & Caiet. huius conclusionis. Quia ille talis semper est inuasor, & hostis, & bellum continuum ex parte sua gerens iniustum. Cui ego addo, quòd magis tenetur vnusquisque ciuis salutem reipub. procurare, quàm regis, cum rex sit propter rempubl. & non contrà. Si ergo rex hunc naturalem ordinem euertit, vt velit potius rempubl. in sui vtilitatem conuertere, & illam coactè, & iniuste opprimere, & retinere, licitum erit unicuique saluam velle esse rempubl. etià cum interitu extranei, & iniqui tyranni. Id tamen curare debet occisor, ita cautè facere, vt non peiores exitus, & scandala ex tali nece sperentur, vt solent. Sicut illa anus Syracusana Dionysium tyrannum viuere optabat, ne, sicut ipse durior alteri successit tyranno: ita & ipsi alius immenior succederet. Hanc etiam conclusionem exemplis probo. Primum vt S. Thom. & Caiet. probant ex Aiorh, (licet Sot. non firmum argumentum putet,) qui, vt legitur Iud. 3. cum esset persona priuata occidit Eglon Regem Moab. Deinde idem D. Thom. refert Tull. lib. de officiis laudantem interfectores Cæsaris, qui tyrannide Rempublicam fuit adeptus, & Decius Brutus commendatur qui extincto Tarquinio, Reges exegit, & Mutius Sceuola laude dignus est, quòd exitium Por-senæ sit aggressus.

317
S E D rogas cum Castro. Qua autoritate id facit? Caiet. respondet publica autoritate facere, & probat ille, quia talis tyrannus est hostis reipub. cum sit inuasor, atque iniustus possessor libertatis, iurisque populi, & ita gerit continuum bellum cum populo. Siquidem ex quo inchoatum est, nõ est interruptum inducijs, aut terminatum pace, igitur quilibet de populo insurgens bellum gerit iustum, sed autoritas belli est autoritas publica, igitur quodlibet membrum vices reipub. habet, &c. Alij dicunt, priuato iure, scilicet defensionis priuatæ personæ concessio. Ego vtroque fieri posse existimo. Pro cuius explicatione placet hoc, quòd sapius terigi planius animaduertere, quòd in rota hac disputatione de homicidio est maximè necessariū: dupliciter scilicet posse aliquem proximum occidere licitè. Primò iure vindictæ. Secundò iure

iure defensionis. Primum est ius publicum. Secundum priuatæ personæ. Vindicare enim aliquod malefactum, est pœnam, & punitionem, illi debitam inferre: quam punitionem, vt suprà dixi, solus Deus, eiúsque locum tenens iudex: inferre potest. Deo enim vindicta. In lege ergo Evangelica nulli priuato se vindicare licet de inimico, imo & iure naturali, vt suo loco ostendimus. Hæc ergo vindicta, si in pace sumitur fieri debet per iudicem & sententiam, si in bello per milites. Alterum verò ius defensionis priuatæ personæ est licitum, atque concessum, cum vim vi repellere liceat. De quo infrà latius dicam. Primum igitur mihi videtur, quòd iure vindictæ potest illum occidere, vt egregiè ratio Caietani ostendit. Cui addo, quòd est quædam reipub. rati habitio, & implicita commissio cuique membro, vt pro ea surgat, eiúsque nomine occidat, & vindicet iniuriam, bellumque sibi illatum retundat. Et propterea quiuis potest, vel armis, vel alia via de hoste vindictam sumere. Sicut iudex, qui talem potestatem explicitè habet à republica. Addo secundò, quòd nemo negaret, quin licitum fuisset tali homini in belli conflictu, cum tyrannus ille est rempublicam aggressus, si ad manus deueniret, occidere. Cum ergo idem bellum sit perseverans continuè, nullis inducijs intermissum, nulla pace terminatum, quis dicat prædictum ciuem pro se & republica oppressa insurgere non posse eadem prorsus publica potestate, qua in conflictu armis decertabat? Secundò putamus, quòd etiam si hoc ius nõ haberet à republica, posset etiam priuata autoritate, id perficere: non tamen per modum vindictæ, & pœnæ, sed per modum, iúsque defensionis. Imo si commodè id fieri potest, tenebitur, in conscientia illum occidere pro patria, suisque liberandis ab iniusta vexatione, cum sit manifestus inuasor, aggressor, bonoque communi inimicus.

P E R hæc facile responderetur ad argumenta Castri. Primum enim argumentum cessat, cum Curatus, Episcopus, vel Papa, maritus, & pater veri sint prælati, & domini, licet tyrannicè agant ac propterea, occidere non licet. Maximè, quia in his sæpè remedium est iudices aduendi, vt constat. Ad secundum, quòd alia est ratio de hæretico. Is enim non infert vim, nec est aggressor, & hostis, & ita non licet iure belli vel defensionis occidere quemcunque hæreticum. Si tamen Rex, vel Papa foret hæreticus, vel regni, seu Ecclesiæ seu Concilij autoritate esset puniendus, & si negotium vrgeret flammis vrendus rex. Tertium & quartum argumentum de mendacio, & periurio agit, quòd puncto sequenti explicabo. Ad quintum iam dictum est non esse contra ius diuinum, & vbi sit hæc potestas data. Ad sextum etiam dictum est, cum crimen est notorium, & damnum pendet in futurum posse iudicem summum sine citatione, & testibus, aliisque solemnitatibus iuris occidere, exigente id strictiore iure naturali de conseruando communi bono. Et ita hæc omnia argumenta difficultate carent.

V N V M argumentum ex dicto Concil. vrgeri aliquo modo, videtur, cum absolutè & sine distinctione decernatur, non posse tyrannum ab vnoquoque de populo occidi. Sed benè explicat Caiet. & Sot. d.

decretum, de eo qui est verè Rex, tyrānicè tamen administrat: & quòd in hoc tantum casu loquantur patres in dict. Synodo triplici ostendo
 322 via. Primùm, quia dicit, *Quemlibet tyrannum*. Fatemur ergo falsum esse, & hæreticum, q̄ quemlibet tyrannum liceat occidere. Sic enim liceret legitimum dominum, tyrannicè tamen gubernantè, occidere. Virumque enim nomine tyranni propriè intelligi docuit ipse Castr. Secundò, quia dicit per quemcunque subiectorum, & vasallorum. Constat autem quòd si violenter accipit regnum, non essent dicendi vasalli & subditi, sed cùm loquatur, de vero alias domino, id dicit Concilium. Denique quia (inquit) *non obstante præstito iuramento*. Sensit ergo esse periurium ob iuramentum factum vero domino.

TERTIO ergo mihi videtur, quòd si iuramentum, & fides intercessit magis colorari posset prædicta Castr. sententia: sed ego distinctione utendum arbitror, nam si fuit simplex promissio, & fides, secluso iuramento de habendo illo Rege, non obstante illo poterit occidi.
 323 Ille enim promissionem iniustè extorsit, & ita non postulat ius naturæ ut illi fidelitas habeatur, sicut qui meru mortis latroni pecuniam promissit, non tenetur dare, vt S. Thom. docet 2. 2. quæst. 89. ar. ad tertium. Est enim coacta & nullius obligationis, vnde patet ad rationem illam quartam, ex Castr. Tale enim fœdus nullam inducit fidelitatis seruandæ obligationem. *Nulla enim ait D. Thom. oritur obligatio ad hominem: Meretur enim qui iustam vim irrogat, vt sibi fides non seruetur*. Quod verò dici solet seruandam esse fidem etiam infideli, & inimico, verum est, cùm non iniuriòse est extorta, sed libera pactio & promissio intercedit. Si autem est iuramento confirmata adhuc distinctio est opus: Nam si iuramentum est factum sine intentione iurandi, & se obligandi, solùm ad redimendam vexationem, non tenetur seruare. Nulla est
 324 enim religio, & vis iuramenti, cùm nullum fuerit. Sicut si isto tantummodo iuraret latroni, non esset illi fides seruanda. Nec etiam periurus est, qui sic iurauit. Quia vt aliàs ostendi, cùm iuramentum præter iuris ordinem exigitur: aut quæuis promissio, potest licitè secundum intentionem propriam, & interiorè limitationem fieri, & tunc non mendacium, sed prudens cautela est dicenda. Sin autem animum habuit iurandi, & se obligandi, tunc seruandum est; nec potest sine periurio contraueniri, vt etiam in iuramento facto latroni est concedendum. Sic sane decernitur in cap. verum, de Iure iur. idque ob reuerentiam diuini nominis. Vt ibidem ait D. Thom. In quo casu vera est Castr. sententia. Duoque sunt obseruanda. Primum facile esse concedendam talis iuramenti relaxationem, cùm coactè fuerit præstitum. Secundò, quod eius obseruatio non vergat in peiorem exitum. Si enim talem tyrannum in regno tolerare esset in dispendium, siue animæ, vt quia contra bonos mores: siue corporis, vt quia nimis grauantur ciues,
 325 & alia mala oriuntur, non esset obseruandum, & ita eo non obstante posset occidi.

SED rogabis, an si sit mihi soli aggressor Rex, teneam mortem sustinere, ne illum occidam? Sor. respon. quod si aliàs est bonus Rex, &

fu

subito motu occidere inceptet, non est, ac si priuata esset persona periculo obijciendus. Idem docuit artic. 8. ad medium versic. *Quare tres ordines*. Si autem constaret planè illum esse tyrannum, bene liceret. Quam sententiam securus videtur. Nauar. in com. defensione proximum. 24. Contrariam sententiam sequitur Cord. lib. 1. q. 32. pag. 319. dicens hanc esse communem sententiam. Sed breuiter potest vtraque sententia tamen ad concordiam redigi: quod explico per puncta. Primum si est tyrannus quacunq; ratione sit, siue in potentatu obtinendo, siue in eo administrando, omnes fatentur, licitum esse occidere. Vim enim vi repellere licet. Secundò si alias est bonus princeps, sed
 326 ira concitus id attentet, nō licet occidere pro rebus familiaribus tuendis. Nam multis modis ab eodem Rege recuperari possunt. Neque etiam fas est principis vitam perdere pro tam paruis, contemnendisque rebus, quarum iacturam sustinere, vt bonus in republica princeps toleretur, oportebat. In quo Soti placet sententia. Tertio verò, quòd pro vita tuenda posset illum cùm aggressor est interficere. Nulla enim ratio cogit me ita iniustè debere vitam perdere. Licet enim vitam principis debeam anteferre, id verum est, cùm ille est in extrema necessitate. Quia non est in eius potestate periculum euadere. At cum ipse voluntariè se illi periculo exponat, à quo, si vellet, posset cessare, nō est tempus necessitatis, aut præcepti, vt ille defendatur. Vnum tamen, ego Soto concederem. Si talis rex esset non modo bonus aliàs, sed reipubl. imò & Ecclesiæ maximè necessarius, vt exempli gratia
 327 Philippus rex Catholicus. Qui modò summa cum fidei & pietatis laude regnat, qui nos pacè ab externis, iustitia ab internis hostibus conseruat, Ecclesiæ & fidei propugnator insignis. Si inquam (id quod ille non faciet pro summa sua clementia mitique natura) ciuem aliquem ira correptus iniustè inuaderet occidendum, putarem sane teneri prædictum ciuem libenter vitæ perferre detrimentum, ne videlicet Ecclesiæ, & tot regnorum tranquillitati vitam anteponat suam. Quam limitationem videtur ipse Sor. apposuisse prædictæ doctrinæ in illo articulo 8. versic. *tres ordines*, atque hæc de occidente publica auctoritate dicta sint.

TERTIA PARS DE HOMICIDIO
alterius priuata auctoritate factò.

328

OCCISIONIS publicæ natura explicata, restat de occidente priuata auctoritate disputare.

PRIMA ergo dubitatio vtrum liceat priuata auctoritate proximum occidere? Huius interrogationis plana est solutio, si rem absolute sine speciali circumstantia consideremus. Vt enim supra docuimus ex natura rei licitum esse publica potestate aliquem morti deputare, ex specialibus tamen circumstantiis mortaliter peccare id faciendo, ita è diuerso ex natura rei criminis loco ponitur priuata personæ oc-

L 3

dere. Id enim & charitati contrarium, & legi iustitiæ, & diuino præcepto, quo dicitur, *non occides*, contrarium est. Vti probat D. Thom. 2. 2. quæst. 64. art. 3. Sot. lib. 5. de Iust. quæst. 1. art. 3. Communis est enim consensus cum Aug. dicente, *qui sine publica auctoritate occidit, ut homicida indicabitur*, sed non oportet in re adeo manifesta immorari. Vnde 329
examinare oportet quæ circumstantia concurrere debeat, ut quis possit sine publicæ potestatis iudicio sua auctoritate proximum occidere. Et quidem quod iure vltionis nemo nisi publica fungens potestate possit aliquem interimere ex suprâ dictis est satis compertum, an valiter liceat dubium est.

SECUNDA igitur dubitatio sit, vtrum pro vita propria defendenda liceat inuasorem occidere? Quam quæstionem versant, non obscuri 330
doctores, Alex. Alen. 3. part. quæst. 34. memb. 2. art. 2. §. 2. D. Thom. 2. 2. quæst. 64. art. 7. & ibi Caiet. Abulen. super Matth. quæst. 109. Angel. verb. Defensio. Syluest. ver. bellum 2. q. 3. & verb. Homicidium 1. q. 2. & 4. & sum. confess. in 5. præc. cap. Quando licet hominem occidere. Anto. 1. part. tit. 3. cap. 10. §. 10. Viç. relect. de homicid. num. 17. Sot. 5. de Iust. q. 1. art. 8. Nauarr. sum. Lat. c. 15. num. 1. & c. 27. num. 121. Ant. Gom. 3. tom. com. à nu. 20. Coua. in Clem. Si furiosus, 3. par. Merc. de Restit. c. 4. Cord. lib. 1. q. 38. Henric. de Ganda. Quodlib. 5. q. 31. Rosella verb. defensio, Gerson tractatu de Euchar. Gab. in 4. d. 15. q. 4. Mai. in 4. dist. 15. q. 20.

IGITUR Gerson loco citato docere intendit non licere inuasorem occidere pro vita propria tutanda. Ita sensit in d. tractatu de Eucharistia, & Abulen. super Matth. ca. 5. q. 10. Villadiego tractatu de irregularitate. Cuius ratio est, quia vnusquisque tenetur vitam spiritualem proximi propriæ temporali anteferre, cum ergo aggressor periclitetur in vita spiritali, & æterna damnatione, si occidatur in tali statu, sequitur lege & ordine charitatis teneri aggressum permittere se occidi, nec aggressorem occidere posse cum sit in extrema animæ necessitate. Et posset probari ex Aug. quem D. Thom. refert q. 64. art. 7. in 331
1. & 2. argumento. Scribens enim ad Publiolam, ut refertur 23. q. 5. c. De occidendis, sic ait. *De occidendis hominibus ne quis ab eis occidatur non mihi placet consilium, nisi forte sit miles, aut publica functione teneatur, ut non pro se faciat*. Et lib. 1. de lib. arbit. c. 5. *Quomodo* (inquit) *apud diuinam providentiam à peccato liberi sunt, qui pro rebus, quas contemnere oportet humana cæde polluantur*. Et in epist. ad Macedonium, & habetur in c. Cum homo, eadem 23. q. 5.

D. THOMAE autem resp. Aug. loqui de occidente indirectè, quod nos infra explicabimus. Nos interim dicimus sermonem esse, cum non feruatur debitum moderamen. Verùm immeritò, hic auctor communi doctorum, imò & iurium omnium sensui se opponere intendit. 332
Ius enim & lumen ipsum naturale ostendit licitum esse inuadentem occidere ad vitam propriam saluandam, modò fiat cum moderatione inculpatæ tutelæ, id est, quando non est aliud remedium euadendi, quàm occidere. Aliàs ius naturale vinculum esset iniquitatis, melioremque

remque fecisset sceleratorum hominum conditionem. Quis securus viueret, si naturalis hæc licentia, atque concessio, talia diaboli membra interficiendi, non esset hominibus, à natura tributa. Esset certè occasio nefarijs hominibus, bonos viros inuadendi, nempe dum essent certi ab illis non esse occidendos. Hac enim audacia Machabæorum hostes (ut ait Sot.) Sabbathis eos aggrediebantur, arbitantes, eos tum non posse pugnare: ob id ut habetur, 1. Machab. decreuerunt sanctis illis diebus, se defendere. Essetque authoris naturæ imminuta lex, cum ius non tribuisset tanto malo obuiandi. Alioqui si iudex 333
sciret reum morte dignum nolle pœnitere, aut confiteri teneretur à condemnatione cessare, eo quòd scit in æternum fore damnandum reum, quòd à nobis satis est suprâ impugnatum. Alioqui facilè quisque impœnitentiam fingeret, ut iudicium eluderet. Non ergo siue iudici punienti, siue homini se defendenti imputari debet illius interitus. Adde, quòd ius naturale dicitur vitam propriam alienæ, & innocētis, vitæ noxij esse præferendam. Tum maximè, cum ille in necessitate non est, sed in voluntaria iniquitate. Vnde non solum in iure ciuili, sed in iure Canonico, quod pietati magis accedere solet, id licitum esse sapissimè decernitur, imò esse de iure naturali declaratur. Vnde Exo. 22. dicitur. *Si effringens vir domum, vel suffodiens fuerit inuentus, & accepto vulnere mortuus fuerit, percussor non erit reus sanguinis*. Et idem habetur in c. Ius naturale, prima distinctione in textu, & in gloss. satis aperte. Et in Clementina 1. de Homicidio, & in capitulo 3. §. Si verò, de sententia excommunicationis, sic dicitur. Si verò clericum sibi vi irruentem, vi repellat quis, non debet propter hoc ad Sedem Apostolicam 334
transmitti, si incontinenti vim vi repellat. Cum vim repellere omnes leges, omniæque iura permittant. Et in cap. Interfecisti de Homicidio. Idem habetur & in l. 2. tit. 8. partita 7. & in l. 3. & 4. tit. 13. lib. 8. Ordina. & in cap. Significasti 3. de Homicidio. Id tamen debet fieri cum moderatione inculpatæ tutelæ, non ad sumendam vindictam: sed ad iniuriam propulsandam, ut prædicta iura docent, & c. olim ibid. 1. de Rest. spol. & in c. delictum de Sentent. excommunicat. in 6. Quamobrem pereleganter Cicer. natura doctus in oratione pro Milone. *Est enim* (ait ille) *non scripta, sed nata lex, quam non didicimus, accepimus, legimus: verum ex natura ipsa arripimus, hausimus, expressimus, ad quam non docti, sed facti, non instituti, sed imbuti sumus, ut si vita nostra in aliquas insidias, si in vim, si in tela aut latronum, aut inimicorum incedisset, omnis honesta ratio esset expedienda salutis*. Silent enim leges inter arma, nec se expectari iu- 335
bent. Eum qui expectare velit, ante pœna iniusta luèda sit: quàm iusta reperenda. Vnde in d. c. Delictum, ait Innoc. 4. *cum omnes leges omniæque iura vim vi repellere, cunctisq. sese defendere permittat*. Et in l. cum arietes, ff. si quadrupes paup. feci, dicat. & l. vt vim. ff. de Iust. & iur. & l. 1. & 3. ff. de Vi & vi arm. & l. et si, ff. ad l. Aquil.

ARGUMENTVM verò Gersonis facilè soluitur. Tunc enim vitam tenemur pro spiritali vita proximi ponere, cum ille est in necessitate, ut parrochus tempore pestis. Et ita soluit Caiet. in d. artic. 7. & Sot.

Sot. artic. 8. versic. *laborat ciuitas*. Cuius contrarium est in aggressore, qui est in arbitrio propriæ iniquitatis: vnde nõ mihi, sed illi peccatum, & mors, non solum corporis, sed etiam animæ, si non conteratur, im-
 336 putabitur. Adde, quod etiam impetitus non est de sua gratia certus, & ita non tenetur se in discrimen obijcere. Dices, cur ergo Christus prohibuit Petro occisionem contra inuafores armatos, dicens: *Qui gladio occiderit, gladio peribit*? Sensit ergo esse verè homicidam occidentem ob defensionem, cum pœna legis puniendū statuat. Respon. vel fuisse Christi consilium qui erat mansuetudinis amantissimus, & clementiæ exemplum, iuxta illud *discite à me, quia mitis sum*, &c. Vel si præceptum: ideo dixit, quia erat aliud remedium euadendi, Maximè, quia illi ad capiendum venerant, & ita culpata esset occisio.

MAGNÆ tamen quæstionis est inter prædictos doctores, quo pacto sit licita prædicta occisio? Et primum fatentur omnes, quod debet fieri cum moderamine inculpatæ tutelæ, id est, vt tantum sibi assumat de nocendo proximo, quantum est necesse ad repellendam vim sibi
 337 illatam. Aliàs liuore vindictæ potius, quàm iure defensionis factum censetur, & reus homicidij dicitur, si aliter euadere potest. An verò si modicum excessit peccet, & restituere teneatur infra dicemus.

SECUNDO ergo docuerunt ex hac clara communiq; sententia nonnulli, obseruandum etiam esse, ne proximus ex intentione occidatur, sed inuoluntariè, & (vt illi dicunt per accidens.) Si enim per se, & ex intentione occideret, reus esset (inquiunt) homicidij. Sicque esse intelligendum D. Thom. & iura omnia docent. Sic profectò sentit Henric. cum Cordub. Abulens. & Victor. vbi supra. Sed id tantum dicunt licere iudici, imò neque iudici licere docuit Caietan, quæstione 67. articulo secundo vt supra vidimus, quando reus est scientia priuata innocens, probatus tamen noxius. Eo enim casu sequens communem opinionem D. Thom. & aliorum, quod licitè occiditur, explicat ille per accidens, non ita tamen, vt iudex occidere intendat, sed Republic. defendere, & iura conseruare. Sic ergo in nostro casu astruere conantur hi doctores, non esse licitum occidendo inuafores illius mortem intendere: sed debet seipsum defendere, licet per accidens sequatur mors, & præter eius intentionem. Et videtur etiam D. Tho. hæc doctrina.

HANC subtilem magis quàm veram, & ad mores accommodatam, distinctionem præcipuè in illo conflictu, merito reijcit Nauar. & Sot. vbi supra & artic. 2. ad principium versiculo, *Primum enim qui*, & Sylu. homicid. quæstione illa 5. Alexand. & Anton. loco citato, & 3. parte tit. 4. cap. 3. §. 1. contrarium censent, Mihique verum videtur. Quoniam ille occidit sciens, & volens. Non enim casu, & nescienter occidit, vt
 339 omnes fatentur. Ergo actus est humanus, & volitus. Procedit ergo ex intentione finis, sicut omnis electio mediorum oritur ex intentione finis. Fateor equidem, quod cum intentio sit de fine, non potest quis proximi mortem intendere, ita vt ibi, sicut in fine, sistat: sed intendere illam, vt medium electum ad finem propriæ defensionis licitum esse debet.

debet. Aliàs dicere oporteret, quod iudex nõ potest reum ex intentione occidere. Non enim vult illius mortem ibi sistendo. Esset enim crudelitatis, & odij, vt supra diximus. Sed vult mortem ob bonum pacis, & communis boni Reipub. Quod enim priuatus facit occidendo, vt se defendat, id facit iudex pro bono Reipublicæ. Vnde vel iudex non potest directè mortem intendere, vel si potest pro bono communi, æquè poterit priuatus pro bono propriæ personæ. Vnde impertinens est illa distinctio. Et id fortassè voluit Caietan, cum in summa, verbo homicidium, pagin. 2. dicit. *Qui se defendendo occidit reus est homicidij, hoc est, ideo se defendit, vt occidat, vel non est defensione contentus, nisi occidat. Cum solum in foro conscientia eis liceat occidere per accidens, hoc est, quia se defendunt. Quia aliter se defendere non possunt nisi occidant.* Quod certè vix diuersum à nostra sententia reperio. Quamuis in dicto articulo septimo dicta quæstione in secunda secundæ aliter rem explicet dicens: Quod non licet occisionem velle, vt medium ad finem vitæ suæ saluandæ, sed solum tanquam consequens defensionem. Sicut (inquit) medico non licet intendere debilitationem, licet sequenda sit ex medicina, sed solum intendere sanitatem, ex qua præter intentionem sequitur debilitatio. Sed profectò, id non est ad rem. Nam si debilitatio esset simpliciter necessaria, & naturaliter ordinata ad sanitatem, liceret illam velle, vt medium ad sanitatem, & ita de facto dari solent aliquæ medicinæ, quæ debilitent, vt eo medio salus acquiratur. Sicut sanguinis amissio à medico, & incisio, à chirurgo, & huiusmodi. Cum ergo occidere in nostro casu sit medium simpliciter necessarium. Repellere enim vim naturaliter est ordinatum ad propriam tutelam, sequitur, &c. Et ita tenet Cord. quæstione 38. libro primo qq. in solutio. ad quartum.

DICES, quid igitur distinxit D. Thom. Respon. quod vt Sot. explicauit: planus literæ sensus est, in D. Thom. quod non licet priuatæ personæ occidere per se, sed per accidens. Quia scilicet nisi inuadatur, non potest occidere, & ita non per se, sed vt effectus propriæ defensionis. At persona publica, etiam si non sit inuasa per se occidere, ad vlciscendam iniuriam, & puniendum crimen. Non tamen voluit negare D. Thom. quod inuafus possit aggressorem ex intentione occidere ordinando illud, vt medium propriæ tutelæ. Aliàs vt supra dicebam, & notauit Anto. quis has subtiles distinctiones in eo conflictu habere possit? Neque rationes Cordu. contra hæc Soti explicationem, & intellectum ad D. Thom. quidquam conuincunt. Imo neque quatuor aliæ satis prolixæ, quas ille aduersus hanc nostram sententiam conformat, vt legenti patebit, & ipse eas soluit, quasi nostræ sententiæ personam gerens. Quas lector aliter vno verbo eneruaret, si attenderet, eas rationes, aut nihil probare omnino, aut si probant, illud certè probabunt, quod etiam non ex intentione, illicitum est occidere, modò sciens, & prudens faciat. Id enim supponimus. Aliàs cæcus occideret, vel dormiens, vel ebrius, quod ridiculum est. Perpende igitur lector eas rationes, quas hic referre nolumus & inuenies illud probare, ne liceat villo

343 modo scienti, quod agit, occidere, vt se à morte defendat, quod nullus dixerit. Quocirca ipse Cordub. vna ex parte D. Thom. autoritate conuictus: ex alia, in nostram tractus sententiam, alium excogitauit dicendi modum his verbis scriptum. *Sed vt semel dicam, quod mihi magis placet, certè hac Diui Thomæ sententia* (existimat enim ille esse Diui Thomæ) *tutior, & probabilior videtur. Quo non obstante, dicerem licitum esse scienter occidere inuasorem, & id confuse velle, quomodo Deus scit illi licitum esse. Neque oportet in particulari considerare, qua intentione fiat.* Hæc ille. Ego sanè, si Theologus non essem idem consilium darem, vt scilicet vnusquisque ea intentione faceret hunc, & alios humanos actus, quomodo Deus scit sibi licere, sed quoniam existimo Theologi esse veritatem ac lucem, explicitè, & distinctè, omni confusione reiecta, tradere, quoad fieri possit, ideo, quòd de hac confusa voluntate, & intentione dicitur, mihi omnino non satisfacit, fugaque magis, quam solida & constans doctrina, alicui fortasse appareat. Maximè, quia si iam factum est, quid docebit Cord. vt, an peccatum fuerit mortale, & restituendi obligatio agnoscat? Siquidem ille iam ea intentione confusa non fecit, quomodo Deus scit sibi licere. Sed non oportet amplius in iis immorari.

344 Ex dictis colligo dupliciter posse excedi modum inculparæ turelæ. Primum si cum esset aliud diffugium euadendi occidit, ad quod probabilis coniectura sufficit. Neque enim esset satis tutum multum examinare, an alio modo euadere posset. Secundò si maiorem violentiã adhibuit, quam necesse erat ad defensionem, vt docuit Nauar.

345 SECUNDO colligo prædictam defensionem etiam esse de iure naturali, vt etiam clerico liceat contra laicum, & quod magis est, laico contra clericum. Neque eb hoc vlla excommunicatio incurritur, vt docent doctores prædicti, nec vlla irregularitas. Licet enim D. Tho. dicat sic occidentem esse irregularem secutus antiqua iura: tamen postea in Clem. Si furiosus, omnis irregularitatis nota aufertur, vt alibitius diximus.

346 TERTIO tandem colligo adeo esse licitam & permissam hanc defensionem, vt etiam circa bruta locum habeat. Si enim animal tuum, meum animal occidit inuasum à tuo, nullam tibi teneor facere restitutionem nec noxam dare pro noxa. Impunè enim erit animali inuasum, & sine sui domini dispendio. Ita docuit Gom. vbi supra & habetur in l. i. ff. si quod paup. seu di.

346 QUARTO colligo idem etiam licere ob vitandam mutilationem, vt omnes fatentur. Neque incurritur irregularitas, vt suo loco ostendi, licet aliqui oppositum dixerint. Quintò colligo eos minus verè sentire, qui doceant, occidentem, quo se defendat facere publica autoritate, non priuata. Id sanè supra falsum esse ostendimus, & rectè à Soto impugnarum, lib. 5. de Iust. q. 1. ar. 2. in princ. versic. *Primum enim*, & à Cordub. lib. 1. qq. quæst. 38. in 1. ratione 1. opinionis. Vt enim quis, cum extremè indiget, & panè vt suæ necessitati subueniat, accipit à diuite, non publica autoritate, sed priuato iure, quod habet se conseruandi, licet diuino

diuino illo & naturali, id facit: sic sanè qui, vt se defendat inuasorem necat. Quod ex eo etiam ostendo: quoniam si publica autoritate faceret (vt ipsi dicunt) quasi minister, & executor legis diuinæ & naturalis, iam ergo liceret animo vindictæ id efficere. Vt enim supra ostendimus, proprium est publicæ potestatis crimina vindicare: ita vt nõ solum iure defensionis, quod ex charitate oritur: sed iure potestatis publicæ, quod ex iustitia vindicatiua manat, occidere licet. Cum enim Dei locum teneant, cuius est punire, castigare, & animaduertere in peccata, ea intentione interficere possunt. At id concedere cuique priuato, cum se defendit, impium esset, & Euangelicæ legi inimicum, non ergo ille publica fungitur potestate, cum inuadentem se, internecat.

347 VLTIMO colligo licitum etiã esse occidere innocentè, si me inuadit, vt si puer aut freneticus, vel amens vel dormiens, me occisurus est, nec aliter saluus esse possum, nisi occidendo. Vim enim illam repellere licet, etsi non sit iniustè illata. In pari enim causa innocentie mihi magis teneor, ita docuit Cord. in d. q. 38. sub 4. ratione 2. opinionis versic. *Sed vt semel*, appellans illū iniustū inuasorē ex parte causæ, licet, non ex parte subiecti inuadentis. Inuadens enim nõ peccat, nec est iniustus: at causa iniusta est. Sine causa enim sum occidendus. Idemque sensit Sor. lib. 5. de Iust. q. 1. art. 7. in fine corporis de eo, qui irruentem in se militem occidit, etiam si sciat iustè bellare ex ignorantia inuincibili. Est enim eadem prorsus ratio. Non sic autem dicendum, si sit iudex, vel minister iustitiæ, qui secundum allegata & probata condemnat, vt supra ostensum est. 348

348 TERTIA dubitatio vtrum prædictam vim repellere liceat, ante aut post iniuriam. Ante, vt si quis machinantem mortem præueniat, vel post iniuriam acceptam liceat percutere? Videtur enim non licere: quia in c. Si verò, de Senten. excommunicationis ei dicitur. Quod percussio non imputatur, si incontinenti vim repellat. Igitur deficere illa conditione imputabitur. Et ita videtur quibusdam sensisse Cord. dubio illo 1. Quia (inquit) *ille nondum est inuasor.*

349 VERVNTAMEN doctores planè fatentur, quòd etiam si non sit prius offensus, neque læsus: sed tantum videat inimicum irruentem, vel arma parantem atque insidias, potest occidere, si aliud non restat remedium euadendi. Ira fateretur Sor. vbi supra Gom. c. illo 3. nu. 2. Sylu. homici. 1. q. 2. dict. 5. Et idem sensit Nauar. affertque exemplum de muliere, quæ inuenit pugionem sub cervicali, vt à marito dormiens occidatur. Arque idem sensit Cordub. dub. illo 1. licet pro opposita sententia referatur. Ille enim in hoc casu, Soti, Syluest. & aliorum opinionem sequitur, & refert. De insidiatore quidè per calumnias negat occidi posse, non de insidiatore iam attentante per vim, & aliquo modo incipiente. Imo id apertè confitetur, & in specie de muliere præsentiente gladium, id sensit. Et gloss. in cap. 3. de Homicidio, in verbo Secularibus. Bald. in l. multis. C. de liber. cau. & in l. Lege. ff. locat. Denique gloss. in l. 1. C. Vnde vi.

M. H. I. videtur, quod accepta iam iniuria non potest interimere

350 iure defendendæ vitæ, vt patet, cum iam vita non periclitetur. Si enim periclitaretur adhuc, non diceretur, præterita: sed impendens mors, de quo casu statim dicam. An verò ratione honoris liceat repercutere dicemus inferius.

S E C U N D O ergo videtur vera Gome. Sot. & Nauar. sententia. Quia reuera ille est inuasor, quidquid nonnulli dicant. Si enim insidias machinatur, & nullum est diffugium euadendi, quis non videat esse veram defensionem, se quacunq; via liberare à malo sibi per vim impendente? Si ergo est defensio, ergo ab altero est aggressio. Defensio namque est aggressionis relatiua. Quare si veneno perimere posset, licitè faceret. Vnde etiam Cordub. fatetur licere conuertere venenum in propinantem, cum aliud non est remedium. Vnde Cicero in prædicta oratione pro Milone, *non potest* (ait) *oblisci iudices insidiatorem iure interfici posse.* Nec dictum cap. est contra nos: quia in continenti est, dum alter aggreditur per insidias, & armorum apparatus. Maximè: quia vt reor, sensus illius capitis est, quod accepta iniuria nō licet. Quia non videtur facere in continenti. Secus antequam accipiatur: quia semper est vera defensio. Et sensit Couar. in §. vnico. nume. 3. Relectio. de Homicid. 3. parte. Qui bene animaduertit attendere debere periculum mortis ex insidiis imminenti. Vt enim à culpa & à tota pœna, tam irregularitatis, quàm aliis tēporalibus liber sit, debet esse prudens, & verisimile periculum mortis. Alioqui non dicitur omnino inculcata turella, sicut quicumq; alius occidens omisso debito moderamine: & ita pœna erit secundum quantitatem periculis imponenda.

S E D rogari potest. An liceat euntem ad testificandum contra me falsum, occidere? Sot. articulo illo 8. versiculo *Quid autem, docet non* 352 *licere. Quia* (inquit) *non licet inuasorem occidere, nisi in presenti aggressionem. Non autem in proximo.* Sed ratio friuola est. Cum non loquatur consequenter. Ipse enim fatetur, quod licet præuenire inuasorem insidiantem & arma parantem. Quia verè inuasor est, qui determinato animo à longè districto gladio ad me occidendum venit, & ita posset à longè funda, vel tormento igneo, aut plumbeo occidi, licet actu non inuadar aut percutiat. Aliàs quomodo liceret mulieri (vt fatetur Sotus) maritum dormientem occidere pugione ab eo sub cervicali seruato.

Q V A R E Caietan. 2. 2. quæstione 95. articulo 8. dubitatione vltima, causa 4. ad finem videtur, id ipsum docere: aliatamen ratione. *Quia* (inquit) *defensio armata non licet, nisi contra inuadentem armis, non tamen contra eum, qui in iudicio calumnia vititur.* Sed duellum (inquit ille) acceptare posset, si alia via non potest à calumnia liberari. Et hanc etiam 353 rationem reddere videtur Sotus vbi suprà, dicens: *Si autem Prætor, vel alij ministri iustitiæ vellent in me manus inycere, constaretque mihi per iniquitatem facere, possem, ac si esset priuata persona, &c.* Idem sensit Cordub. in dicta quæstione 38. dubitatione 1. eandem reddens rationem, quia (inquit) *non est inuasio, cum non sit vis corporalis, sed fraudulenta machinatio.*

Sed

Sed certè nō video quid differat armis, vel alia iniusta via, me inuadi, si certò scio gladio oris me fore iniquè damnandum. Hac enim ratione Iudæi Christum crucifixerunt, cum acuerunt linguas tanquam serpentes: *Filiij enim hominum dentes eorum arma & sagitta, & lingua eorum gladius acutus.* Vnde, vt benè August. ait Psal. 63. Pilatus & eius ministri, qui Christum armis inuasorunt, comparati Iudæis, multò innocentiores fuerunt: Iudæi enim acriùs, & veriùs crucifixerunt, cum clamantes dixerunt: *Crucifige, crucifige.* Vnde in dict. Psal. postquam dixit: *Exacue-* 354 *runt vt gladium linguas suas, intenderunt arcum,* rem amaram subdit statim: *Subitò sagittabunt eum, & non timebunt, firmauerunt sibi sermonem nequam.* Repetere sermonem, confirmare est. Cum ergo dixerunt semel & iterum: *Crucifige, crucifige,* planè firmauerunt sibi sermonem nequam. Tunc ergo illi verè crucifixerunt, & occiderunt gladio linguæ, & sermonis nequam. Vnde obiter animaduertes, non esse contrarios Evangelistas: Lucas enim (inquit) hora sexta esse crucifixum Dominum. Marcus autem: *Erat autem hora tertia, & crucifixerunt eum.* Cum enim Christus & armis gentium, & linguis Iudæorum sit crucifixus, Lucas narrans armatam inuasionem, ait fuisse hora sexta: Marcus verò attendens ad linguas Iudæorum, qui hora tertia clamauerunt: *Crucifige, crucifige* (inquit) *erat autem hora tertia.* Quamuis & alias expositiones alibi attu-

355 limus, hanc tamen, quia acutissimi illius est, summique Theologi, omniumque Theologorum, & virtute animi, & sapientia præstantissimi, acerrimi quondam, ne dicam vnici, suo tempore Ecclesiæ defensoris, sanctissimi Patris Augustini placuit modò afferre, vt intelligamus, non minùs impeti innocentem, & occidi lingua, quàm armis: si ergo miser innocens verè occiditur gladio linguæ, nec aliud est diffugium, quàm inuasorem occidere, nescio cur id ei non liceat, vim iniquissimam repellendo. Secundò, quia si acceptare duellum est licitum, vt se defendat ab iniusta morte, teste Caietano, & in duello ipso licet occidere talem calumniatorem, cur tandem absque illo non licebit? cum præsertim innocens est minùs potens, cumque pura defensio semper licita magis, quàm duellum apud sapientes sit habita: tum quia magis necessaria, magisque coacta: tum quia in duello cooperatur nouo peccato alterius, quo me alterius posset perimere, nō solum lingua, sed manu. Ad-

356 de, quòd, ex omnium sententia, vt infrà dicemus, licet contumeliosum hominè occidere, pro honore tuendo, at dedecus & contumelia, non gladio ferreo, sed lingua inuritur, non ergo est illa doctrina vera, quòd armata defensio non licet, nisi contra inuadentem armis.

I D E O alij dicunt talem testem non licere occidere, ea ratione: quia dicunt, ille non potest dici inuasor, licet contra ius faciat, falsum deponendo, sed non contra ordinem iuris. Est enim (dicunt isti) de ratione aggressionis, vt contra ordinem iuris, iniuriam inferat, id est, propria auctoritate. Isti autem non propria auctoritate, nec vt priuata persona, sed per iudicem, seruato iuris ordine, occidit, licet iniquè. Ego tamen 357 planè non assentior huic doctrinæ. Aliàs, nec Iudæi clamantes contra Christum, nec falsi testes, nec Iudas essent aggressores. Et ita nec Iudam

properante morte prohibere, si aliter non posset, liceret, & alios falsos testes, &c. Deinde, quia implicatio viderur, vt aliquis faciat contra ius, & iustitiam, & non faciat contra iuris, & iustitiæ ordinem: ius enim est ordo iuris, & ordo iuris est ius, cum ius ordinatum esse debeat. Quis enim est, non dico ius, sed iuris ordo, vt quis innocentem falso testimonio occidat? Licet enim iudex ordine iuris procedat, condemnando secundum ea, quæ in iudicio probantur, si de innocentia rei nullo modo illi constet, & consequenter nec contra ius agit, & ita respectu iudicis illa mors cum ordine iuris irrogetur, imò etiam iure, & iuste respectu illius, ac proinde tales iustitiæ ministros bona fide (licet re ipsa iniuste condemnaret) ex ignorantia, scilicet inuincibili, ob allegata & probata, non liceret vilo modo occidere, quòd sic opinantibus concedimus, vt
 358 concedit Sorus lib. 7. de Iust. q. 1. art. 8. versic. *Sic autem*. Tamen respectu deponentis non est facta ordine iuris, id est, ille non ordine iuris condemnat, cum nullus ordo iuris postulet, aut permittat, vt quis falsò accusetur ad mortem ab accusatore, vel teste, licet concedat, vt à iudice secundum probata (eo omnino nesciente) innocens condemnetur. Siue ergo testis falsò deponens, siue accusator falsò accusans, siue iudex iniuste condemnans, verè sunt aggressores, & contra communem iuris ordinem id efficiunt.

QVARE aliter finiendam ego putarem hanc controuersiam, hac distinctione. Occidere prædictas personas publicè non licet: priuatim atque occultè liceret: quod occultè liceat præter supra dicta. Ratio est, quia, vt Caiet. fatetur quæst. illa 95. nihil, refert an aliquem occidas proprio gladio, an gladio iudicis, vel carnificis: licet enim iudex, vel carnifex non me aggrediantur illo gladio, tamen testis illorum gladio me inuadit: quòd enim proprio, vel alieno inuadat, nihil refert. Vnde Natham dixit ad David: *Vriam interfecisti gladio filiorum Amon*. Quòd verò non liceat palam id efficere, ex eo patet: quia defensio solùm est licita ad euadendam mortem propriam, si autem palam occideret, maior suspicio generaretur contra ipsum, ad mortem eius. Sicut enim defensionis priuata morte finis est, priuatam mortem vitare, quæ si sequitur, non licet occidere: ita defensionis à publica morte, finis est publicam mortem vitare, qui tamen finis non sequitur, si palam occidat, vt dictum est, non ergo licet palam, sed occultè, talem vim repellere. Ea enim ratione repelli potest vis, qua ratione infertur. Manifestè ergo inuadentem manifesta vi licet occidere, occultè verò testificantem, vel condemnantem licet occidere. Fateor cogitanti mihi vnã rationem solere in mentem venire contra hanc nostram decisionem: non enim videtur verum id, quod nos, vt verum supponebamus, quod scilicet idem sit, aliquem lingua, seu gladio alieno occidere, ac si proprio faceret. Contra hoc enim est, quòd si testis, vel iudex, alitque ministri iustitiæ, me ad iniustam mortem condemnarent, ex ignorantia tamen inuincibili, fateri debemus, & in particulari Sorus adnotauit articulo illo octauo, non licere quemquam illorum occidere, ac si illi iidem per vim illatam me occidere vellent, etiam ex ignorantia inculpabili, liceret eos occidere, vt de

vt de dormiente, &c. supra diximus: non ergo idem est iudicium de ingressione armis, & de inferente iniuriam lingua, vel alieno gladio, vel etiam sententia. Quare ob id videtur esse prima sententia probabilior: sed nec improbabilem nostram putamus. Non enim eum auderemus condemnare, qui tali necessitate oppressus, iniquum testem vel iudicem occultè occideret. Sicut etiam licet, venenum in propinquantem occultè conuertere, vt supra diximus: maximè, quia nec eorum fundamentum est omnino verum, quòd inuadentem armis licet occidere: aliàs saltem carnificem liceret occidere, etiam quando inuincibiliter procederet, quod tamen non dicent ipsi.

QVARTA dubitatio, vtrum liceat occidere inuasorem, quando inuasus dedit causam: exemplum est de eo, qui alterum ignauit accusat, Hispanicè *couarde*, vel ad singularem pugnam prouocat opprobriis. Exemplum etiam est in adultero, si à marito inuadatur. Re ergo ita succedente, vt adulter & alter dans causam aggressioni possit occidere, & aliter euadere non possit, an ei liceat alterum occidere? Sunt qui dicant non esse ei licitum, quia cum ipse sit in culpa, sibi imputet, in tali esse periculo, nec innocens dici potest, sed potius alter, qui cum eo pugnat, iustior causam agere videtur, ac per consequens occidendus non est. Ita docuit Nauar. in Sum. Lat. c. 15. nu. 7. cum quadam tamen limitatione. Si talis causa natura sua tendebat in alterius, aduersus se irritandam aggressionem, & talem putat esse casum de adulterio, & à fortiori, cum ipse alium prouocat. Et in hanc sententiam citat Ant. 3. par. tit. 5. c. 8. §. 1. sed titulus ille quintus duo tantum habet capita, & in eis nihil dicit Ant. vocat etiam Caiet. in hanc sententiam, q. 64. ar. 8. sed longè aliud tenet, vt infra dicam.

MIHI ergo contraria sententia placet, quòd scilicet licitè possit occidere, etiam si causam alterius aggressioni dederit. Ita docuit Merca. tract. illo 6. c. 4. §. que diremos, Syl. dict. illo 3. Cuius ratio est, quòd cum iste iuste se defendat, & alter illicitè istum inuadat, quoad hoc innocens est, & potest repellere iniuriam quacunque via possit. Secus esset, si taliter dedisset causam, vt licitè impugnaretur, vt quia commisit crimen, & capitur à ministris iustitiæ. Tum enim, cum illicitè se defenderet, & alter licitè pugnet, non potest dici aggressor. Quod verò Caiet. docet vbi supra: solum est, quòd si quis dat causam rei illicitæ, quæ natura sua ordinatur ad homicidium, vt quia vulnerat aliquem, ex quo vulnerare alter moritur, non excusatur ab homicidio. Secus si illud opus illicitum, ex quo sequitur illud peccatum non ordinatur natura sua ad illud. Vnde si inebriatio Lethæ esset peccatum mortale, non propterea
 362 (inquit) Caiet. est puniendus propter incestum. Quia non ordinatur natura sua inebriatio ad incestum. Ex qua doctrina potius colligitur nostra sententia. Quia cum adulterium non ordinatur natura sua ad occisionem mariti, imò magis videtur ordinari ad occisionem adulteri, non erit imputanda mors mariti adultero. Esset autem imputanda, si adulter extra defensionem vulneraret, & inde sequeretur mors, & consequenter non est irregularis, vt Syluest. docuit. Sed antequam hinc
 363 discedo

discedo placet adnotare, quod attinet ad irregularitatem occidentis ad defensionem propriæ personæ. Quod D. Thom. 2. 2. quæstione 64. artic. 7. ad 3. Paludan. distinct. 25. quæst. 3. artic. 2. putant ex tali homicidio contrahi irregularitatem. Sed non mirum, cum ipsi iure antiquo niterentur. Ex quo non poterat clarè deduci immunitas ab irregularitate. Imo ex illo potius colligi videtur incurri, ut patet Extra. de his cler. 1. & 2. & c. Si viduam. 50. distin. Tamen contrarium docent hodie Doctores Sor. ar. 8. & 9. Caietanus in illum locum D. Thom. Couar. in cap. Alma mater, de sententia excommunicationis in 6. & in Clement. Si furiosus. de Homicid. 3. part. relect. cap. 2. Syluest. homi. 3. §. 4. Et excommunicat. 3. not. 4. dict. 9. & bellum 2. quæst. 7. & homicid. 1. q. 3. dict. 8. & quæst. 9. dict. 2. 3. & 4. Nauar. cap. 17. nume. 224. & 211. Et est expressa decisio in Clement. Si furiosus. de Homicidio, imo si rectè consideremus antiquo etiam iure videntur tales ab irregularitate immunes. In prædictis enim iuribus pro sententia Diui Thom. citatis planè sermo est, cum non est seruatum moderamen inculpatæ tutelæ. Dicit enim taliter occidens *aget penitentiam*. Quam certè facere non oporteret, si seruato debito moderamine defendendi, occidit, & ita in capite, Quia te, eadem distinctione apertè dicit Stephanus §. non esse irregularem. Vnde fit prædictam sententiam esse veram iure etiam antiquo, cum nullo iure antiquo reperitur expressè irregularis, qui ad propriæ personæ defensionem occidit. Est autem necessarium omnium sententia, ut irregularitas incurratur, quod fit in iure expressa.

366 Si ergo nullibi antiquitus est expressa irregularitas ob inculpatam sui tutelam, imo expressè habetur contrarium in dict. cap. Quia te, mirum certè mihi accidit Diuum Thom. & antiquos illius sententiæ fuisse.

VERVM contra prædicta objiciat forte, quispiã nobis Conc. Trid. Sess. 14. cap. 7. de Reformatione, vbi exigitur dispensatio in tali casu. Dicit enim: *Si verò homicidium non ex proposito sed casu, vel vim vi repellendo, ut quis se à morte defenderet fuisse commissum narretur. Quam ob causam ad sacrorum ordinum altaris ministrum & beneficia quacunque iure quomodo dispensatio debetur, & c.* Si ergo dispensatio debetur, incurritur irregularitas. Quæ quidem Concilij definitio nostris temporibus multorum mentes sollicitauit, ut eius veram expositionem darent. Cum & communi sententiæ iuxta prædicta, & Clementinæ illi videatur aduersa. Responderetur, tamen iudicio meo, quod cum Concilium eodem modo loquatur de homicidio prædicto, & de casuali, planè videtur loqui, vbi non est seruatus modus inculpatæ tutelæ, sed aliqualis culpa processit. Cõstat enim homicidiũ casuale, si nullam omnino contineat culpam latam aut leuem, non inducere irregularitatem. Cum ergo eodem modo de vtroque loquatur Concilium, consequens esse videtur non esse accipiendum de defendente se debita moderatione seruata. Secundò, responderi potest, nec puto esse alienum à mente Concilij sermonem ibi esse de irregularitate quo ad forum exterius, & propterea

propterea Concilium non dixit, Simpliciter deberi dispensationem: sed deberi quodammodo dispensationem. Cur ergo addit *quodammodo*: nisi, quia non reuera: sed secundum quid, & in foro exteriori debetur, vel si fuit excessus, ratione cuius quodammodo debetur. Quæ verò diximus de defensione ad vitam tuendam vera esse docent (& meritò) prædicti autores, de defensione membrorũ, & in specie Couar. 368 §. illo vnico, nume. 2. Card. in dict. Clement. Syluest. homicidium 3. quæst. illa 4. Licet oppositum docuerit Villadiego in cap. de percussore colum. 4. Vtrumque enim pertinet ad defensionem personæ. Maximè, quia defendere membrum est defendere vitam partialem illius membri. Vita enim totius nihil aliud est, quàm vita membrorum. Nihil ergo impedit, quod in dict. Clemen. tantum sit sermo de defensione vitæ. Maximè, quia ut suprà diximus, non solum virtute prædictæ Clementinæ: sed etiam iure antiquo nulla est irregularitas in eo, qui occidit defendens seipsum.

QUINTA dubitatio vtrum ad defensionem honoris liceat iniuriato aggressorem repercutere? Et quoniam id dupliciter fieri potest. Primum, ut occisio, vel percussio iniuria læsi, sit ante acceptam ab aggressore iniuriam, vel si accepta iam erat: tamen adhuc pendebat vltèrius iniuria. Secundo modo, ita ut iam sit accepta iniuria, & læsor velit desistere & fugere. Idcirco placet gratia claritatis paulatim veritatem explicare. In primo igitur casu Couar. 3. par. Relect. de homicid. §. vnico nume. 4. docet esse illicitum. Quia (inquit) *iniqua est commutatio vitæ proximi pro honore nostro*, quamuis statim subdit se dubium esse circa hoc. Verùm cæteri doctores planè fatentur esse licitum inuasorem, qui fuste, vel alapa minatur malum contra honorem, si alia non sit defendendi ratio, occidere. Quia inuasor est, cum conatur honorem auferre, qui plusquam pecunia meritò æstimatur, paruique habetur in populo, tanquam degeneris animi, qui talem iniuriam non propulsat. Ita docuit Syluest. homicidium 1. quæstione secunda dict. 5. & bellum 2. quæst. 2. Nauar. Sor. & Gom. vbi suprà. Si enim latronem (ut infrà dicemus) licet occidere ad conseruandum rem familiarem, multò magis proprii honoris ablatorem. Imo etiam docent præfati authores quod etiam si fugere posset, si tamè fuga illi dedecori datur, licitè potest prædictum aggressorem occidere. Fuga enim est iniuria, ut patet, ex l. Itē apud Labeonem de Iniur. Fuga eum reddit hominem viliorem, & ita ad eam repellendam & propulsandam percutere licebit. Ita sensit Barrol. Salicet. & Bald. in l. i. C. Vnde vi. Card. & Imol. in d. Clem. Si furiosus. Et fanè quoad peccatum attinet, non puto Couar. oppositæ fuisse sententiæ. Licet enim circa irregularitatem dubius sit, magisque in eam sententiam inclinet, quæ docet sic occidente irregularem fore, eo quòd aliqualem culpam, & immoderatam defensionem adhibuit sufficientem ad irregularitatem, videtur ex eo sensisse non peccasse mortaliter.

SED quid si causam dedit aggressionis Merca. cap. 14. putat non licere occidere, sed debere fugere, etiam cum ignominia. Quia (inquit) quando prouocat alium, vel aliud opus illicitum facit. Quod fit etiam

aggressionis, amittit omnia iura defensionis rerum, vel honoris, præter
 ius defendendi vitam. Quod verò simpliciter liceat docuit Nauar. &
 Anton. vbi suprâ. Quod certè in honore non irrationabile videtur.
 Et hæc sententia verior videtur, quàm Couar. Quamuis, si placet acci-
 pe distinctionem, qua fortasse vtraque sententia conciliari potest. Du-
 plex enim honor esse posse videtur in homine. Vnus, qui ex spiritua-
 li bono resultat, siue ex parte intellectus, vt sapientia, prudentia, scien-
 tia, &c. siue voluntatis, vt virtutes. Ratione enim horum homo hono-
 rabilis dicitur, & est. Non solum apud sapientes, sed apud omnes etiam
 372 insipientes. Alter, qui ex corporali bono procedit, vt ex viribus, vale-
 tudine, pulchritudine, &c. Posset ergo quis dicere, quod non licet in-
 differenter pro tuendo honore occidere. Sed pro primo tantum, qui
 verus honor est, & per se expetibilis. Secundus verò honor, non est per
 se, sed propter aliud expetibilis. Et ita tum tantum pro eo honore tuè-
 do licebit occidere, cum necessarius est, vel utilis ad alia bona conse-
 quenda. Fama enim, & nomine sanitatis, virium, pulchritudinis assequi
 potest officia, & alia necessaria bona, à quibus impediretur talis famæ
 proprijque honoris ablatione iniusta. Extra quem casum illicitum vide-
 tur. Est enim vanus honor, nec est verè dicendus honor, aut fama. Qui
 enim ex virtute non est, honor dici non potest. Vnde si homines viri-
 bus valentes magna rerum gestarum gloria in honore sunt habiti, id
 non tam ob vires, quàm ex magnitudine animi, quæ virtus est, prouenit.
 Sola enim corporis valetudo nõ facit hominem honorabilem, sicut nec
 corporis imbecillitas (in qua animi magnitudo esse potest) non facit
 373 dehonorum quempiam, de quibus c. sequenti agemus copiosè. De hoc
 igitur honore planè loquitur Couar. in d. Relect. §. vnico nu. 4. Cum
 dicit, non licere pro honore tuendo occidere. Si enim de honore primo
 loqueretur, vel secundo quidem modo, cum necessarius est ad alia bo-
 na consequenda, omnes, vt dixi, fatètur, licitam esse illius defensionem,
 cum inuasoris occisione. De illo enim honore scriptum est *curam habe
 de bono nomine, & melius est bonum nomen, quàm diuitia multa.* Si ergo vt
 dicemus, licitum est pro defensione temporalium bonorum inuasorem
 occidere, à fortiori licebit, pro dicto honore, qui non inanis, sed soli-
 dus, & necessarius est in populo. Et sanè ni fallor huius sententiæ fuit
 Syl. verb. illo homicid. 1. quæst. 2. dict. 6. dum dicit. Non licere occide-
 re pro honore. Esset enim aperta contradictio. Cum verb. illo excom-
 municatio, & verb. bellum oppositum dixerit. Interpretandus ergo est
 374 iuxta hanc rationem. Vnde in d. verb. homici. sic dicit: *Licet occidere, se-
 cundum aliquos pro honore personali consistente in turpi fuga, quod tamè Ar-
 chi. negat. Et hoc rationabilius. Maximè, vbi hæc turpitudine non est de malo
 culpa, sed de naturali timiditate.*

QVOD si quis curiosius inquiret. An pro tali vera, & necessaria glo-
 ria, quæ vt diximus, non inanis & adumbrata, arque imago gloriæ, sed
 solida, & expressa præmiumq; veræ honestatis & virtutis est. An inquæ
 pro hac conseruanda liceat inuadentem non armis, sed lingua, & de-
 tractione auferre molientem, occidere. V. g. habetur quis è populo in
 honore

honore & pretio. Tum ob sapientiam, prudentiam, vel aliam vtilem ar-
 tem. Tum ob bonam eius famam atque virtutem. Accedit detractor, &
 siue verè, siue fraude, & mendacio eius gloriam & honestam famam
 denigraturus. An liceat illius iniuriam præuenire occidendo, cum aliud
 non superest remedium. Videtur enim id non licere. Tum, quia non li-
 cet priuata autoritate arma sumere, nisi contra inuadentem armis: vt
 de falso teste, & iudice iniquè condemnante, diximus. Cum igitur in d.
 casu hic non imperat armis, non videtur posse contra illum armorum
 strepitu disceptare. Deinde, quia ille honor reparabilis est, vel per illius
 restitutionem, quam facere potest, vel alia via de veritate informando.
 Non igitur videtur æquum, tam magnum atque irreparabile damnum
 ob eam causam inferre.

VERVM ex alia parte est ratio à me suprâ facta, vt iuxta nostrâ, nõ
 opinionem, sed disputationem, liceret iniquum testem iudicemque oc-
 cidere occultè. Quoniam nihil videtur referre, an aliquem gladio lin-
 guæ, vel ferreo inuadas. Cum non minor iniuria, & damnum hoc, quàm
 illo modo inferatur. Ius autem defensionis non tam ob modum infe-
 rendi, quàm ob illatum damnum cõsurgere putandû est. Accedit, quòd
 honor non tã gladio, sicut corporalis vita aufertur, quã lingua, vel cer-
 tè minitantibus actibus. Vnde iam apud omnes etiam sapientes ea in-
 376 crebuit opinio, vt qui harudine cæditur in honore grauiter læsus dica-
 tur, nõ autem, qui vulnus accepit. Is enim qui gladio vulneratus est ho-
 noris nihil amisit. Si igitur honos magis ex verbis actibusque minan-
 tibus amittitur, quàm armis & gladiis. Non bene dicitur, nõ licere ho-
 norem tueri armis, nisi armis auferatur ab inuasore. Ad hæc obijcio vr-
 gens argumentum. Nam (vt infrâ latius dicemus) contumelia à detra-
 ctione in eo differt, quòd licet vtraque honorem proximi lædat: tamen
 contumelia in præsentia, & in faciem, detractio seu murmuratio oc-
 cultè, & in absentia læsi, fit. Sicut de rapina & furto dicunt doctores. Ra-
 pina enim coram læso, furtum fraudulèter committitur. Sed ex omniũ
 sententia, licet cõtumeliosum occidere, vt diximus. Cũ aliud nõ manet
 remediũ eam iniuriam arcendi, cũ tamen armis non inuadat. Igitur, qui
 murmuratione & detractioe iniuriã, maculãq; inferre conatur iniu-
 stè, licebit, si aliter infamiã & dedecus fugere non potest, occidere. Nec
 prima ratio in cõtrariũ valet. Cum longè sit dissimilis ratio de vita, quæ
 377 non adimitur, nisi armis: at in honore, percussus manet innocens, ver-
 bis, & actibus cõtumeliæ vel detractioe. Secunda etiã facilè soluitur:
 Nam etiam honor, contumelia ablatus restitui potest per veniæ peritio-
 nem & humiliationem. Et etiam bona temporalia reparabilia sunt, &
 tamen omnium sententia, licet aggressorem talium bonorum occidere.
 Nos verò dubitauimus hæctenus, nihil decernimus, doctior iudicet, vt
 enim dixi, disputare magis intendimus, quàm noua docere.

DE secundo verò membro, maior est doctorum decertatio. Cum sci
 licet iam accepta est iniuria, & contumelia, & non vltèrius impendet:
 Num liceat repercutere aggressorem? Sotus artic. illo 8. prope finem
 docet non esse licitum. Cum enim ille iam non inferat vim non potest

378 dici defensio: sed ultio, quam constat non esse licitam priuata auctoritate. Eiusdem sententiæ videtur Gom. Vnde licet in foro exteriori puniatur mitius ratione passionis, tamen reuera punitur. Idem docuit Richar. in 3. d. 37. vt refert Nauar. nume. 3. cap. 15. Idem sensit Ang. versi. defensio. in princip. Et sum. confels. præcepto 5. c. Quando liceat hominem occidere. Et apertè Armill. verb. moderamen, ob eandem Soti rationem, & Couarru. nume. illo 4. qui alia ratione id probat. Quia iniqua est commutatio, saltem (inquit) illa non est æqua. Vt pro meo honore seruando, à proximo, maximum vitæ bonum auferam. Nauar. verò num. illo 3. fatetur esse licitum repercutere, & læsores insequi, & tantum ei vulneris, & iniuriæ inferre, quantum necessarium sibi esse putabit, vt amissum honorem recuperet. Id ipsum docuit Merca. vbi suprâ, & Viçt. in Relect. de iure belli q. 2. nume. 5. & videtur eiusdem

379 Armil. defensio. §. 3. Anton. 3. par. tit. 4. cap. 3. §. 1. Ratio Nauarr. est quoniam faceret sui honoris iacturam non persequendo & vulnerando. Et addi potest, quòd latronem fugientem, cum rebus meis, licet insequi, & occidere, ergo & honorem auferentem, & fugientem.

Nos in hac controuersia sic existimamus. Primum, quòd animo vindictæ, non licet repercutere, & id est apud omnes in confesso. Tum autem fit libidine vindictæ, quando non puro animo conseruandi honorem proprium, sed talionem reddendi fit. Et sic est accipiendum cap. significasti, secundum, de Homicid. Vbi Innocent. 3. inquit. *Vim vi repellere omnia iura legesque permittunt, non ad vindictam sumendam, sed ad iniuriam propulsandam.* Et in hoc non est dubitatio, cum non solum Christiana lex: sed naturalis id doceat. Deo enim soli, & iudici eius locum tenenti, vt suprâ ostendimus relinquenda est.

380 SECUNDO videtur, quòd si iam aggressor ad alia negotia diuertit, aut est domi quietus, non liceret illum repercutere, & ita limitauit secundam sententiam Anto. vbi suprâ. Aliàs daretur via multis reipub. perturbationibus, scandalis, insidiis, & inimicitijs, paulatimque libido vindictæ Christianos animos possideret, quòd certè tam est à mansuetudine Christiana, & veritate Euangelij Christi abhorrens, quàm gentilium, & mundanorum legibus consonum.

381 TERTIO existimamus distinctione has duas opiniones in concordiam reduci posse. Si enim læsor pœnitentia motus satisfactionem facere esset paratus, vel veniam petendo, aut aliter se humiliando, non liceret illum repercutere. Et id ratio Soti maximè conuincit. Iam enim ille nullam vim infert, sicut neque ille, qui cum esset rem meam furatus, festinat eam reddere. Vt enim suprâ probatum est. Cum damnum futurum non imminet: sed de præterito agitur, illic defensio locum habere non potest: sed omnino ultio & vindicatio. Vnde licet ille satisfaciens veniamque petens aggressor dici non possit: tamen pro præterito peccato atque iniuria puniri potest, & debet ab eo, cui iniuriarum vindicatio est commissa, scilicet à iudice. Et hanc ultionem remittere non tenetur offensus: sed potest ultionem persequi in iudicio, non priuata tamen auctoritate, cum iam non de defendendo, vel recuperando honore,

nore, & de propulsanda iniuria, decertetur. Et certè in hoc casu non putarem doctores secundæ opinionis locutos fuisse. Esset enim Christi legibus, & doctrinæ maximè aduersus, locumque daremus innumerabilibus odijs, & inimicitijs, si inimicum à mala mente desistentem: & percutere, & ei aliud malum inferre licere, doceremus. Maximè, quia nullus honos ex non repercutiendo amittitur. Sed potius etiam in mundo summam nobilitatis gloriam sibi comparat, qui iniuria neglecta, inimicum satisfaciens recipit in gratiam, & ultione non persequitur. At vbi honos non periclitatur iuxta ipsorum & omnium sententiam, non licet repercutere. Quare proculdubio immoderata, libidinosa, atque inhumana illa defensio esset, Ethnicis digna magis hominibus, quàm in Christiana religione institutis, imò barbaris certè, magis quàm ratione præditis. Denique aggressio appellata magis, quàm defensio. Si autem inimicus irrogata iniuria, aut satisfacere negligat, aut quòd peius est, & sæpius contingit gloriosus se iactet. Denique si contumelia illata fugiat relicto iniuriato, non videtur omnino à ratione aliena secunda sententia. Nam primò, vt Soti aliorumque sententia, hæc doctrinam incusare posset, quòd mansuetudini Christi, & sinceræ charitati Evangelicæ legi quodammodo diuersa, & odijs atque inimicitijs corde retinendis, viam dare videatur: sic cõtra huius sententiæ Doctores dicerent, non immeritò ea ratione posse aliorum accusari sententiã, quòd viam, occasionemque præberet cuique, nobiles, atque illustres homines contumelijs onerandi, alijsque iniurijs turpiter de honestandi. A quibus certè abstinerent ij, qui eas inferre impudenter audent, si sentirèt cum fortibus & constantibus viris sibi esse pugnandum. Præterea, quia antequam sit accepta iniuria, potest quis obtutandum honorem ex omnium sententia percutere propulsando, ac præueniendo. Et eadem est ratio postquã accepta est. Imò maior videtur, vt recuperet honorem iniuste ablatum, quàm, vt non amittat à principio. Si enim ille non repercutit parui habetur à populo, non minus, quàm si à principio non impediret, & veluti pusillanimis, & inhabilis iudicatur ad officia aliisque similia. Deinde quia latronem fugientem licet sagitta confodere, vt infrâ dicemus, igitur & honoris iniustum ablatorem.

382 SED respondet Sot. esse rationem disparem. Nam latro bona secum defert, & ita est actualis inuasor rerum, sicut qui eas iniuste possidet. Verum sit ita. Nunquid etiam ille, qui iniuria illata relinquit de honestatum offensum, & satisfactionem, quam facere tenetur præstare negligit, non proximi sui honoris iniustus detentor dicitur? Honor enim non est corporale aliquid, quòd in bursa, vel arca retineri possit, vt pecunia, & alia temporalia bona: sed est clara cum laude notitia, quæ de insignibus viris habetur. Ille autem qui facit iniuriam causa fuit, vt de me eam opinionem alij non habeant, & tamdiu auferre, & detinere eam est dicendus, quamdiu satisfactionem facere contemnit. Aliàs diceremus detractores non possidere, & iniuste retinere honorem, nec restitutionem illius facere debere, cum non habeant apud se vt fur habet pecuniam. Quamdiu ergo non satisfacit iniuriam, in-

fatisfacit iniuriam, iniuste detinet honorem proximi, quem ipse eius humiliatione recuperauisset. Et ita inuasor est, & damnum ex futuro pendet. Ac per consequens propria est defensio. Sicut ergo genus est defensionis rerum, eas non solum praeferuare, ne pereant, vel auferantur: sed etiam ablatas recuperare, si possis: ita genus est honoris defendendi, non modò curare, ne recipias iniuriam: sed etiam cum percussus est ac laceratus eam à te repellere, honorémque recuperare, etiam percutiendo, si possis: cum aliud non superest remedium, aut est tibi ignominiosè viuendum. Nec mirum, quòd cum damno alterius recuperem, quod ipse à me iniuste, abstulit. Si enim ego non possem recuperare honorem perditum, nisi auferendo ab eo pecuniam, proculdubio iure defensionis possem accipere. Sicut possem accipere eandem pecuniam pro recuperatione rei familiaris. Cur ergo quando iniuria aestimari non potest pecunia, non potero alio medio æquali honorem, & aestimationem perditam recuperare, etiam cum damno aggressoris, animo tamen vindictæ secluso? Hæc verò quæ diximus hoc exemplo videntur posse explicari. Si Petrus suaderet meo debitori, vt mihi non solueret debitum: sum autem certus, quòd nulla alia via recuperare possum, nisi Petrum de medio auferendo, quo sublato scio recuperaturum, nunquid non liceret Petrum occidere si bis, tæque monuissem vt ab ea mente desisteret? Sane videtur, quòd possem non minus quàm latronem. Sicut si suaderet, vt me occideret, & tamen Petrus non aufert rem meam, neque portat. Dices in effectu deportat. Quoniam est causa iniustæ detentionis. Sic alter, licet honorem secum non asportet, est tamen causa malæ meæ existimationis, & ita in effectu semper manet iniusta honoris mei detentio. Licebit ergo occidere. Si eo medio, & nullo alio possum iniuriam vitare, ac recuperare honorem.

D I C E S, Licebit ergo non solum insequi fugientem, & tunc in continente repercutere, sed & cum domi est, vel nocte, vel alia negotia gerentem, occidere. Sed id supra diximus dict. 2. huius dubij. Sicque Antoninus hanc sententiam limitauit, quòd magis dubio sequenti explicabimus, cum de latrone rem domi pacificè possidente, dicemus. An eum liceat occidere. Est enim eadem prorsus ratio. Vrgeas forsan, ergo teneretur aggressor repercussionem sustinere patienter, & mori se sinere. Si enim iuste percutitur, non potest resistere & se defendere. Aliàs daretur bellum vtraque parte iustum, seclusa ignorantia. Sed id concessu indignum est, consequitur ergo, non licere repercutere. Respondetur tamen, quòd non tenetur permittere se occidi. Quia potest veniam petendo, vel aliter, satisfacere, & ad id tenetur. Quòd si faciat iam iniuste inuaditur, & se defendere etiam offendendo, potest. Si verò nolit non mirum, quòd careat iure se defendendi. Sicut de latrone dicendum est, quòd non tenetur se occidi sinere à persequente iniuste, quia potest res dimittere, & tunc iniuste persequeretur alter. Si verò rem furtiuam reddere nolit, non mirum, cum iniuste imperatur, iure careat resistendi. Sicut etiam, quia à ministro iustitiæ capitur

pitur ratione delicti: quia iuste impeditur, non potest illi resistere. Quauis in vtroque casu, sine iniuria licitè irruentis in se, potest fugere, & se liberare.

D E clericis autem specialis est difficultas. An eis liceat honoris aggressorem interficere, siue ante, siue post acceptam iniuriam? ³⁸⁹ Dominicus à Soto articulo illo 8. Nauarrus, & Mercado locis citatis, Didacus Couarruias vbi supra, numero quarto, Syluester verbo excommunicatio, 6. quæstione 9. Glossa in dicta Clementina Si furiosus, Glossa in dicto capite Suscepimus, Abbas Panormitanus in capite Significasti, el. 2. eodem titulo, & in capite secundo de vita & honestate clericorum, fatentur illis non esse concessum, nec vllus negat, sed mortaliter peccare, non tantum contra religionem sui status: sed etiam contra iustitiam, & teneri ad restitutionem, sicut veros homicidas. Et mihi ita videtur. In his enim locum non habet defensio honoris. Cum enim humilitatem, modestiam, ac mansuetudinem profiteantur, nullum eis dedecus accrescit ex aliorum contumelijs aut eo quòd fugiant. Sed potius summa gloria, & bonum nomen. Neque parui habentur: sed magni potius. Cum non bellatores, sed Dei & humi- ³⁹⁰ litatis cultores, & Christi patientiæ imitatores habeantur à populo. Vnde potius eis vituperio datur, etiam apud vulgus, quòd iniurias ac contumelias realiter tentent. Si ergo nullus amittitur honos ex patientia, & tolerantia iniuriæ illatæ, nullo pacto eis licebit repercutere. Ex quo enim honos non defenditur, qui nullus est, non tam propellere, quàm vindicare iniuriam censendi sunt. Cui decisioni egregiè fauere videtur Innocentius. III. in capite Significasti, el. 2. de Homicidio, vbi loquens de presbitero sic ait: *Si verò quemadmodum perhibetur sacerdos iste prius ab illo percussus, mox eum ligone in capite repercutit, quamuis vim vi repellere liceat cum moderatione inculcata tutela, non ad sumendam vindictam, sed ad iniuriam propulsandam, non videtur ab homicidio excusari, &c.* ³⁹¹

S E D an liceat illis occultos detractores, & bonæ suæ famæ iniquos aggressores, occultè occidere ex supra dictis de laicis constat resolutio. Si enim laicis licet quòd supra explicatum gratia disputationis reliqui, licebit etiam clericis, qui honoris & bonæ famæ curam habere possunt, & debent. Sic enim honos non ex viribus, sed ex literis, & virtute nascitur. Qui certè cum omnibus sit necessarius: rum maximè sacerdotibus & religiosis, qui debent esse & sapientiæ & virtutis exempla, quem honestissimum, & honorem, & bonum nomen tueri, non illis vitio dari debet. Et sanè idem iudicium de secularibus esse deberet, si ad veritatem Euangelij ambularemus, & Christi domini exèplum & Apostolorum vestigia, primitiuæque Ecclesiæ feruorè haberemus. Quis enim ³⁹² Christianus dedecori dandum putaret, quòd percutiètem se non percuteret, cum Christus percutienti alteram maxillam præbendam censeat? Et Apostolus, non esse malum pro malo reddendum: sed id potius honori habendum esset non solum religiosis & clericis: sed omnino cuilibet Christiano dicentem domino: *Beati mites quoniam ipsi possidebunt*

sdebunt terram. Et, discite à me, quia mitis sum, &c. Idem est dicendum de secularibus, quibus non esset dedecus fugere, & non repercutere, ut si esset inuasor longè præstantior, ut Syluest. notauit Bellum. 2. q. 2. Ex quibus facillè est colligere, quid dicendum sit de restitutione ex sapius dictis. Adnotat autem Couarruias prædicta intelligenda fore quando fuga periculosa vitæ clerico non foret, alioqui fugam arripere non teneretur, cum iam non de ignominia, sed de vita decertatio sit, quale esset si inimici instarent à tergo, vel si aggressor facilius fugientem securus ex fuga maiorem capiens audaciam, & animum ipsum occideret.

393 **S E X T A** dubitatio sit utrum pro defensione castitatis liceat interficere inuasorem? Responderetur ex omnium sententia licitum esse. Ita docuit Merca. c. 5. Syluest. homicid. 2. quæst. 5. Nauar. vbi supra. Et ratio est plana, quia vim arceat & propulsat in re magni momenti, & reducitur, ad occidentem pro vitanda mutilatione, vel propter honorem. Et ita ad restitutionem non teneretur, sicut nec occidens, vel percutiens ad vitam, membrum, vel honorem tuendum. Atque idem tenet Merc. de quocunque opem ferente, modo in auxilium sit vocatus à muliere. Si enim ipsa nollit iuuari, quia vel non resistit, vel tepidè se habet, non liceret occidere, ut ipse docet. Et ratio esse potest: quia tum licet peccet accedens ad illam, sed non peccat contra iustitiam. Ex quo illa inuoluntarium non patitur, & ira aggressor dici non debet.

349 Cui ego adderem, quod si ipsa taceret, aut non resisteret timens, ne res manifestetur, aliàs omnino abhorrens concubitum, liceret scienti rem ita se habere, illam iuuando, occidere. Iam enim inuasor est, iniuriam vimque irrogans, idem censet, & bene, esse dicendum de quacunque muliere honesta etiam si virgo non esset. Atque idem est dicendum de viro, cum occidit, ne patiatur Sodomiam, ut in specie docet Caiet. articulo illo 7. ad finem. Vnde Cicer. in oratione pro Milone, laudat militem adolescentem, qui ne turpiter pateretur à Tribuno militari propinquo Caieranus Maurij, ipsum interfecit. Quod etiam docuit Sotus art. 8. & Syluest. homicid. 1. quæst. 5.

S E P T I M A dub. an pro defensione rei familiaris liceat inuasorem occidere? Non desunt, qui doceant non licere ob rerum temporalium defensionem inuasorem interimere. Et id docuisse viderur Pannormitanus in cap. 2. & in cap. Suscepimus. De Homicid. Et glos. 23. in princip. Et Innocen. quos refert Syluest. excommu. 6. casu 9. not. 4. & homicid. 1. q. 4. Et videtur Scot. in 4. dist. 15. quæst. 3. versicul. *Sed quis est iniustus?* Dicit enim, quod non licet occidere furem, nisi sit inuasor. *Quia* (inquit) *presumitur velle occidere*, &c. Huius sententiæ planè est Couar. in Clement. Si furiosus. 3. part. relect. 5. vnico numer. 6. Qui cum hanc disputaret q. satis copiosè, in eam tandem deflexit sententiam, ut numquam existimet ob puram rerum defensionem licitum esse occidere, nisi cum simul admiscetur personæ periculum, & damnum, ut patet præcipuè ex puncto seu conclusione 8. & 9. Quale est si dubitat, an ad occidendum, vel ad furandum, veniat: & non potest parcere, sine personæ periculo. Vel quando raptor res ablatas defendit,

dit, ne pereant. Præsertim, si telo id faciat. Iam enim personæ periculum intercedit, &c. Quæ Couarr. refert vsque ad casum 7. Et hic modus dicendi Couar. maximè conformis viderur decisioni dict. cap. 2. de Homicid. Quo in loco solum probatur occisio, ut te tuâque defendas. Quasi personæ periculum misceri rerum iacturæ, debeat. Quod ipsum affirmat Fortunius in d. l. ut vim col. 3. Et probari potest hæc sententia. Primum, quia lege & ordine charitatis tenetur, quis vitam proximi ob tutandas res, ergo, &c. Secundò, quia in cap. Interfecisti, de Homicidio, præcipitur taliter occidens agere pœnitentiam, quamdiu vixerit, ac per consequens deliquisse est putatus. Et eiusdem sententiæ viderur August. de Liber. arbit. cap. illo 5. & est text. in l. furem ff. ad l. Cornel. de Sicar. & in l. 4. ff. ad l. Aquiliam. Quæ desumptæ sunt ex l. duodecim tabularum. Cuius meminit Cicero pro Milone: *Quod si* (inquit) *duodecim tabula, nocturnum furem quoquo modo: diurnum autem, si se telo defenderit, interfici impunè voluerunt.* Quam etiam commemorat Quintilianus lib. 5. de oratore cap. 12. Tertiò, quia ille est irregularis, at irregularitas, pro homicidio priuatæ personæ semper est ex delicto, igitur, &c.

V E R V M T A M E N in dubio tenendum putamus, integrum esse, cuique rem familiarem, modo sit magni alicuius momenti, defendere ab inuasore, & si eas aliter saluas habere non potest, occidere. Sic profecto visum est omnibus præfatis auctoribus. Et Med. q. 4. §. est autem. Et est aperta decisio c. Olim. de Rest. spol. 1. Vbi Innoc. 3. ait. Cum quidam domino ignorate illius possessionem esset ingressus, cum præsertim statim ac vobis innotuit, vim vi dixeritis repellendam. Et quod ille sua temeritate præter conscientiam vestram possessionem est ingressus, non potest (inquit) à vobis perere satisfactionem, nisi defendendo ius vestrum in offensa ipsius, modum forsitan excessistis. Et apertius in cap. dilect. de Sentent. excommunicationis, in sexto. Vbi 398 Innoc. 4. probat factum Decani Aurelian. quod licuit (ait) ipsi Decano, si Balius, eum iniurio à bonis suis spoliare intendebat vim vi repellendo se tueri, &c. Idem decernitur in l. Furem. ff. ad legem Corneliam de Sicar. refert etiam Syluest. Archidiaconum pro hac sententia, verbo illo homicidium.

I D Q U E etiam ratione probatur, quia sicut vitam licet tueri ac membra, ita & res, quæ ad vitam conseruandam, & vitæ naufragia vitanda sunt necessaria, eodem profus iure tueri licebit. Neque verò solum eas res, quæ ad præcisam vitæ conseruationem: sed quæ ad statum, & decentem vitæ cursum agendum, sunt necessaria. Res enim propriæ ait Caiet. pertinent ad vitam & virtutem, & foelicitatem con- 399 sequendam, quæ hominis curæ sunt commissæ, at vita inuasoris in eo casu, cum non sit in articulo necessitatis, non est curæ proximi commissa. Constat autem, quod plus tenetur homo ijs, qui eius sunt curæ, &c. Denique vbicumque res non fuerit parui momenti. In his enim casibus alter iniuriam, & vim iniustam infert, & ita licebit alia vi iuste

eam abigere. Aliàs euidenter daretur occasio implendæ reipublic. iniquissimis latronibus, nullusque securus, aut domi, aut in agro uiueret, si oporteret ipsum tacitum, dictam iniuriam tollerare.

Ad rationes verò factas facile respondeas. Ad primam: lege charitatis esse proximi vitam corporalem rei meæ familiari præferendam, ubi ille in necessitate est constitutus. Nec in sua est potestate periculum euadere. Secus quando voluntaria quadam iniquitate, & malitia in eo est periculo. Ad cap. Interfecisti. Respondeo illud esse consilium, 400 vt statim dicam, cum de clericis agitur. Erat enim ille presbyter. Ad argumentum verò, & dictas leges. Respon. loqui quando erat aliud remedium illas recuperandi, & propterea dicunt furem diurnum non esse licitum occidere: sed nocturnum. Quoniam præsumitur rationaliter posse aliter recuperare furem capiendo. Et hæc est ratio, quare per leges licitum est diurnum furem occidere, si se telo defenderit, non modo, quia cum ille se telo defendit ut interpretatur Couar. iam nõ de rebus, sed de persona offensa damnòque certetur: verum etiam, quia quando non se telo defendit est verisimile quod capi possit, ac proinde aliter, quàm occidendo res ablata recuperari poterat: nocte verò non posse, vt explicat Ioan. Med. C. de Restit. quæst. 4. versic. est autem. Quod si dicas in dict. cap. Si perfodiens, eam reddi rationem ab Augustino, quod ideo licet occidere nocturnum latronem: non diurnum. 401 Quia inquit *diurnus poterat discerni, an ad furandum veniret, vel occidendum, & ideo (inquit) non debet occidi.* Quasi patenter dicat August. quod si discerni potest ad furandum venire, non ad occidendum, occidi non posset. Vnde subdit August. *Hoc etiam in antiquis legibus secularibus quibus lex Dei Exod. 23. est antiquior, inuenitur, impune videlicet occidi nocturnum furem quoquo modo, diurnum autem, si se telo defenderit. Iam enim plus est quam fur.* Ex quibus verbis videtur August. primæ sententiæ planè fuisse. Cum dicat ex eo diurnum furem occidi non posse. Primum, quia discerni potest ad furandum venire, non ad occidendum. Secundò, quia nisi se telo defendat occidi non potest. Tertio, quia (inquit) iam plus est, quàm fur. Planè ergo sentit, quod si discernitur ad furandum tantum venire, & telo non se defendat, denique si 402 non sit plusquam fur, non posse occidi. Respondetur tamen fateri me imprimis vehementer August. hanc insinuare sententiam. Adeo, vt Sot. in illo articulo octauo versus finem, dici posse opinetur August. eius fuisse sententiæ, vt non liceat pro bonis temporalibus defendendis, occidere. Sed non omnino planè id docet. Nam licet dictarum legum rationes, ac motiua ea videantur, quæ ab August. proponuntur. Præcipua tamen ratio iudicio nostro ea est. Quoniam dum fur diurnus est, iure præsumunt leges, aliud remedium saluandi, vel recuperandi res sublatas, quàm occidendi, fuisse. Quod non ita est de nocturno. Et propterea, quia occisio die facta non omnino necessaria, & inculpatum habere moderamen intelligitur, ideo leges id docuerunt. Et ita explicuit Sot. in d. artic. 8. in 2. sol. Item vt Caiet. ad dd. leges respondendo dicit in d. artic. 7. Quod cum sint præcepta iudicialia

lia in foro iudiciali sunt intelligenda, in quo non intelligitur, an defensor occiderit pro rebus saluandis. Secundò ait Caiet. leges illæ absolute loquuntur: non in casu, quo non potest aliter eas saluare. Et sane nostra expositio satis apertè habetur in l. d. furem. ff. ad l. Corneliã, & in l. etsi. ff. ad l. Aquiliam, cum dicunt. *Si quis furem occiderit, cum comprehendere posset, iniuriam fecisse videtur.* Syluest. etiam respondet. Primum d. verba cap. Si perfodiens, posita esse tantum recitatiuè ex iure ciuili. Secundò respondet, quod verbum *defenderit* sumitur pro armorum sumptione, & pugna, & ita iam dubitari potest de salute personæ. Tertio respondet, quod si non dubitat de persona absolute, tamen dubitatur de illa præsupposita voluntate defendendi res, & ita respondet Sot. artic. illo 8.

NOSTR A ergo communisque sententia satis rationibus, supra factis probata videtur. Cui accedunt etiam iura ipsa: Nam in c. interfecisti de Homicid. imponitur, pœna occidenti latronem, cum poterat aliter liberari res. Si verò aliter liberari non poterat, nulla pœna imponitur. Et ita dicitur. *Interfecisti latronem aut furem, ubi comprehendere poterat absque occisione, quadraginta dies non intres Ecclesiam, &c. Si autem sine odij meditatione te tuaq; liberando huiusmodi diaboli membra interfecisti, &c.* Idem habetur i. q. 2. c. fin. Vbi aduerte in hoc can. qui in editione Gregoriana correctissimus est (vt ibidem dicitur) ex quo d. c. Interfecisti. est desumptum, addita esse illa verba *& capi poterat*: quæ verba dimisit prædicta decretalis, & pœnitentiale Rom. Quo satis datur intelligi Concilium Aurelianense, ex quo est acceptus ille canon, & prædictum cap. Interfecisti, solum iudicare homicidam, quando eum occidit, qui capi poterat. Nec refert dictum can. paleam appellari. Est autem palea 405 capitulum iuris canonici, quod certæ fidei non est, vt docet Alciat. lib. ii. Parergum. Cum enim palea propriè significet pabulum bestiarum, per metaphoram autem quæuis res tenuis & vilis palea dicatur, vt testatur, illud quod de Conrad. imperare legimus. Cum regni Italici coronam non Mediolani, secundum veterem morem suscepisset, sed alibi, vulgo circumferre batur corona paleæ redimitus. Licet ergo, vt dixi, illud capitulum palea dicatur: tamen iam reuera post Gregori. editionem fidem habet, ubi correctores dicunt, esse ex illa multa emendata, & magni ponderis, & habetur à Burchardo in decreto lib. ii. cap. 60. & lib. 19. cap. 5. & ab Inno. par. 13. cap. 46.

S E D respondet, quod coniunctim dicitur, *te tuaque*, quasi alterum non sufficiat. Hæc tamen expositio mihi non placet, nec Caiet. in d. artic. 7. Aliud enim est copulatiuè accipere, aliud copulatiuè. Copulatiuè accipitur nomen, cum non vnumquodque per se, sed simul cum 406 alio verificatur, vt cum dico, *omnes Apostoli Dei sunt duodecim.* Non enim isti sunt duodecim, & isti sunt duodecim, sed omnes simul. At cum copulatiuè accipitur de singulis prædicatum verificatur, cum coniunctione tamen, vt cum dico, *omnis homo est animal*, sensus est, quod hic est animal, & hic est animal, & vnusquisq; est animal. Sic ergo illa coniunctio copulatiuè est accipienda, ita, vt cum dicit, *te, & tua*

liberando, sensus sit, si interfecisti te liberando, non peccasti, & si interfecisti tua liberando non peccasti. Coniungit enim propositiones, non terminos tantum. Alias si terminos tantum coniungeret, & in sensu copulato accipienda esset, sequeretur quod ob solam vitam tuendam non liceret occidere, nisi etiã simul res, cum vita defenderetur. Quod est ab omni ratione alienum. Vnde ipsemet Couar. num. illo 6. sub 7. ratione prædictum text. infirmum putauit argumentũ exhibere. Tan-
 407 tũque alternatiuè intelligendum fore, vt Felinus intelligit. Idque ex ratione illius decisionis, non incongruè colligit. Et idem, etiam probatur ex cap. Significasti 2. de Homicid. Vbi sacerdos percutiens latronem res Ecclesiæ asportantem, non censetur ab homicidio liber. Quia non seruauit moderamen inculpatæ tutelæ. Si ergo seruasset, non illi imputaretur.

S E D obijcies cap. Suscepimus, eodem tit. Vbi censetur peccasse, & irregularitatem incurrisse, qui causa fuit homicidij ob cõseruationem rerum, & ait Pontifex: *Quoniam expediebat post tunicam relinquere pallium, & rerum sustinere iacturam, quam pro cõseruandis vilibus rebus & transitorijs tam acriter in latrones exardescere.* Sed respondeo, ita esse:
 408 quoniam latrones fugere volebant, & ab aggressione desistere. Et ita, cum esset aliud remedium meritò reprehenduntur: quod latronem ligauerint, quasi esset manifestè vindictam sumere. Et id etiam denotat verbum *exardescere*, quod ultionem significat. Et vt dixi, satis apertè id habetur in d. cap. Olim, de Restitutione spoliat. & in cap. dilecto de Sentent. excommunicationis in 6. Sed quid dicendum, si dubium existat, de recuperandis rebus ablati, via iuridica, vel aliter? Sotus in d. articulo octauo ad finem resp. quod quamuis dubius sit, potest occidere modò certus non sit. Ad vltimum de irregularitate iam dicere pergimus.

S E D de tempore quo liceat talem interficere, dubitant doctores. Nam Couar. in dict. Clement. Si furiosus. Merca. vbi suprã. Anton. 3. part. tit. 4. cap. 3. tantum licitum esse docent in continenti vel cum fur parum distat à loco aggressionis, longè tamen fugientem, non licet,
 409 vel persequi, vel tormento, aut sagitta transfigere. Ratio Merca. est, quia cum longè abest, non est probabile, quod ille rem meam acceperit, essetque occasio, vt vnusquisque proximum spoliaret, & occideret, dicens se id facere ad suam rem defendendam. Ratio Couar. est: quia secundum iura, tantum rem meam defendere licet, cum proximi occisione, quando & latro diurnus non est, sed nocturnus, & se telo defendit. Ille verò, qui longè fugit, non se telo defendit. Vel denique quando persona periclitatur, vt ex eius sententia rerulimus.

V E R V M melius docet Sot. art. illo 8. & Syluest. verb. excommunicatio 6. not. 4. casu 9. §. Ista tamen intellige. Et bellum 2. q. 1. in fine, quod potest spoliatus insequi latronem, & à longè si potest occidere, antequam rem occultet, cum semper duret inuasio: licet non personæ: at rerum. Maior tamen dubitatio esse posset, an cum iam latronem occultauit intra domum, & velut pacificè possidet, liceat occidere?

Sotus

Sotus enim, Syluest. & Anton. negatiuè respondent. Probat Syluest. verbo illo excommunicatio 6. not. 4. casu 9. Quia iam est adeptus possessionem perfectam. Contra quod tamen est: quia reuera semper est
 410 aggressor rerum, & personæ ratione rerum vim continuam infert iniuste. Non enim aggressor eo solum dicitur, quod secundum locum moueatur, cum rem aufert, vt in flagranti delicto: sed ideo, quia iniuste rem meam contrectare præsumit, in quo damnum, & iniuriam irrogat. Cum ergo ille quamdiu rem illam detinet continuè inferat iniuriam, semper est in statu aggressoris. Neque tamen inde sequitur, quod debitorem ex contractu licito, vel illicito liceat interficere. Hic enim quanquam iniuste retineat: tamen non est iniustitia aggressiua. Cum nec in se, nec in principio, ille actus vnquam fuerit aggressio, ac proinde continuatus aggressio esse non potest. At hic actus est idem
 411 prorsus, non solum realiter: sed etiam moraliter continuatus, ac proinde est durans aggressio. Adde, quod in cap. Olim, 1. de Restit. spol. videtur id approbari satis apertè. Dicit enim Innocent. 3. Quod si quis meam possessionem me ignorante accepit, possum statim ac mihi innotescat vim vi repellendo recuperare. Sed non ob hanc rationem recedendum arbitramur à doctorũ sententia. Nõ enim videtur ea vis ac violentia rebus inferri, licet iniustitia in retinendo cõmittatur, vt liceat iure defensionis vtentem occidere iniustum detentorem, qui domum iam est pacificus, vel ad alia negotia diuertit, nec occasionem iurgij & rixis præbeamus. Sat esse putamus, si interficere possit fugientem antequam rem occultare possit. Atque idem omnino putamus esse dicendum de honoris defensione, vt ex Anton. suprã docuimus.

A R G V M E N T V M verò Merca. facile soluitur. Probaret enim,
 412 quod nec in actuali aggressione liceret, si testes forte non adessent, occidere. Tum enim probabile non est, quod iste occiderit. Nec in hoc casu vlla occasio datur vnique prætextu defensionis captandi mortem alterius. Respon. ergo, quod si sermo est in foro animæ, tum siue multis, siue nullo vidente, licet, secluso scandalo. Si in exteriori foro, nisi probabile fuerit illum inuasorem fuisse, punietur. Maximè si fur erat diurnus. Sed in hoc vnusquisque sibi consulat. Nam etiam si pro vita defendenda occiderit, nisi id aliqua ratione probet, non erit à iudicio exteriori, immunis. Vnde in d. cap. fin. 13. quæst. 2. dicitur, si testes adsint, quod sine odij præmeditatione, &c. Argumentum verò Couar. ex suprã dictis est explicatum. Nam si latro diurnus erat vel certè nocturnus si non se telo defendebat, præsumit lex, quod erat aliud remedium defendendi res. Quis enim ab hoste non armato, non
 413 defendat rem suam aliter, quàm illum occidendo? Et propterea haud impunè illi foret. Ex quibus infero, quod si ablatum esset recuperabile per iudicem, non liceret occidere. Tum enim cum reuera non sit res amittenda, iniuste occideret. Et ita docuit Bart. in l. furem. ff. de Sicar. & Syluest. excomm. 6. not. 4. casu 9. §. Ista tamen intelligi. Cum enim aliud remedium, non potest dici inculpata tutela. Et idem docuit Sot. quando res esset dubia, an posset recuperari. Contra quam sententiam

videtur esse Caiet. in d. art. 7. Vbi cum hanc sententiam, quorundam nomine retulisset, ipse aliter sibi esse dicendum resp. & velle se ostendit, quòd etiam si possint recuperari, potest vti iure suo defendendi, vt patet legenti, quod ex dictis conuinci potest, non esse verum.

P O R R O quanquam prædicta vera esse fateantur doctores de secularibus, de clericis tamen, ac religiosis nonnulla est dubitatio. *Quidam* enim existimant illis non licere ob rerum defensionem occidere: sic visum est Merca. vbi supra, & Rosell. ex Panor. verb. homicid. §. 3. glo. 23. q. 3. in princip. Vultq; hæc sententia saltem esse peccatum mortale sacrilegij, ratione Ecclesiasticæ prohibitionis, licet non esset contra iustitiam, vt annexam haberet restitutionis obligationem. Hæc sententia non probatur à Merc. c. illo 4. Quod ipsum sensit Nicola. Plou. de irregul. regula 37. & Villadiego de irreg. c. de percussore, fol. 14. Probari tamen potest ex cap. Interfecisti. de Homicid. Vbi presbyter præcipitur toto vitæ suæ tempore pœnitentiam agere: ex & c. Suscepimus eod. tit. vbi planè dicuntur peccasse monachi ob rerum defensionem occidentes. Deinde quia, in iure sunt irregulares, at irregularitas ex homicidio priuatæ personæ semper est ob delictum & crimen. Eandem sententiam tenuit Anton. quoad religiosos tantum 3. p. tit. 4. cap. 3. §. 2. Alia tamen ratione. *Quia* (inquit) *non possunt habere proprium, & ita non possunt gaudere iure defensionis rerum.* Et ita consequenter docet seruos non posse pro rerum defensione occidere. Quia pariter dominium habere non possunt. Sed verius docuit Syluest. verb. bellum 2. quæst. 7. ad fin. & excommunic. 6. §. 4. dict. 9. Couarr. in Clement. Si furiosus. de Homicid. 3. p. Et Anto. quoad clericos seculares, sum. confess. cap. Quando liceat hominem occidere, præcept. 5. Hoc enim ius naturale est, vt vim vi arceamus, naturaliter omnibus, æqualiterque concessum. Et ita saltem id certissimum esse debet, quod non est peccatum contra ius naturæ, aut iniustitiæ, & per consequens non habere vllam restitutionis obligationem. Nec etiam est contra iura positiua de religione & honestate sacerdotum seruanda. Nec cap. illud Interfecisti. aliud vult, quàm cõsiliu dare, vt si occidit furem, vbi comprehendendi poterat, si laicus est 40. dies pœnitentiam agat, si sacerdos tota

416 vita. Quia non seruauit moderamen inculpatæ tutelæ. Si verò se liberando, ac etiam sua, ex consilio vterque pœniteat, vt intuenti text. parebit. Ad cap. Suscepimus, respon. planè peccasse monachos eos. Quia non seruauerunt moderamen, vt ibi dicitur, quod latrones se soluere à ligatura volebant, ac desistere. Et ita non erant inuafores, ob quod ab altaris ministerio prohibentur, tanquam verè irregulares. Et quod hic sit dict. cap. sensus ex eo constat. Quia alias non liceret pro damno personæ vitando, occidere. Dicitur enim in d. c. quod latrones volebant eos in personis affligere turpiter, & denudare vestimentis propriis, & tamen adhuc peccauerunt, & sunt irregulares iudicati, quia cessante aggressione, occiderunt.

417 Ad illud de irregularitate breuiter. Respond. Quod instituti nostri non est fufius examinare, fuisse multos, etiam ex nostra sententia, qui doceant

doceant esse irregularem occiforem ob rerum suarum inculpatum tutelam. Ita docuit Syluest. verb. illo bellum 2. §. 7. & excommunicatio. 6. §. 4. casu 9. & Homicid. 3. q. 2. Anton. §. illo 2. cap. 3. tit. 4. par. 3. Ang. homicid. 1. §. 3. & 5. & defensio. §. 3. & clericus 10. §. vlt. Margarita seu Sum. confess. præcept. 5. Nauarr. c. 15. num. 2. & 3. & cap. 27. num. 209. 218. 211. 213. & 215. Ledes. 2. 4. quæst. 26. artic. 2. fol. 364. Cordu. lib. 1. qq. quæst. 26. §. Nec mirum. Armill. verb. irregularitas §. 41. Imo idem docent prædicti authores de iusta defensione omnium aliarum rerum, excepta vita, vel membro, vt honoris proprii, vitæ proximi innocentis, imo & reipub.

M I N I verò placet sententia Couar. 3. p. relect. §. & num. vlt. Sor. lib. 5. de Iust. q. 1. artic. 8. in fine corporis. Nunquam enim in iure occidentem vim vi abigendo, siue ob vitam, siue ob aliam rem iustè tamen, & seruato moderamine inculpatæ tutelæ, esse irregularè. Et ad cap. interfecisti, & suscepimus iam est satis responsum esse sermonem cum peccatum interuenit, & excessus in debita tutela, qua ratione intelligere etiam oportet c. Significasti 2. eodem tit. & cap. de ijs cleri. 1. & 2. §. 50. distin. Et ita ibi etiam est sermo de defendente se, & imponitur pœnitentia. Eodem pacto intelligitur c. Si viduam, eadem d. Idem censent doctores esse dicendum, cum quis occidit, ne patiat Sodomiam vel stuprum, &c.

O C T A V A dubitatio, An pro saluanda vita, honore, rebûsque proximi innocentis ac reipub. liceat occidere. Et quando homo id efficere teneatur, vt sit ab iniustitia, & restitutione immunis? In quo ex omnium sententia breuiter est dicendum, quod occidens inuaforem proximi innocentis, nec peccat, nec restituere quicquam tenetur. Sicut enim propriam, ita & innocentis proximi, qui charitatis vnione nobiscum vnum est, vim depellere licebit. Si enim ille iustum bellum habet contra aggressorem, illud iuuare & exequi licitum & charitatis officium esse debet. Et multo plus, cum respub. & bonum commune inuaderetur vt de se constat. Nec irregularitas incurritur, ex tali homicidio, vt modò dicebam. Limitat tamen id Merc. c. 5. quando essent in actuali conflictu, & probabiliter crederetur innocetem occidendum. Aliàs non liceret, vel conflictu transacto, etiam si esset noxius contra innocentem, vel si essent æqualiter pugnantes in conflictu. Tum enim pax esset componenda: neuterque occidendus. Si tamen innocens iamiam vinceretur, liceret iniustum, aut proteruum inuaforem occidere. Quis autem sit innocens, iam supra diximus. Quod ipsum docet Merc. c. 5. imo & cap. 4. Est enim innocens etiam si aggressor fuerit in principio, & causam dederit aggressioni: si modò iam desistere vult. Is inquam tanquã innocens est iudicandus, contra alterum, qui est verè aggressor. Idem docet Merc. vt supra dixi, pro defendenda honestate virginis, vel alterius publicæ mulieris, si tamen ipsa se defendere, aut defendi vellet, & omnes ita fatentur. Sicut etiam pro defensione alterius in honore & rebus.

E X P L I C A V I M V S aut omnino, aut magna ex parte rationem homicidij

homicidij tam publicæ, quàm priuatæ personæ, quod directè, & positivè efficitur. Quia tamen proximus indirectè, aut negativè solet occidi, quando scilicet negligentia aut omissione tua frater perit. Iuxta illud Ambr. *si non pavisti occidisti*. Æquum erit, vt de hoc occidendi genere pauca dicamus.

421 **P O S T R E M A** igitur dubitatio sit. Vtrum non defendens à morte proximum, cum id facere possit, sit homicida, & ad restitutionem obligatus? **Q U A** in re, quia non magna est doctorum controuersia, breuiter per punctum veritatem explico. Primum, quicumque sciens proximum esse in mortis articulo, vel scire debens, quem nullo negotio, vel certè paruo labore & incommodo posset ab ea necessitate eripere, tenetur sub mortali opem ferre, siue pecunia, siue pane, siue consilio, auxilio, fauore, testimonio, &c. Id enim præceptum est eleemosynæ, & charitatis, quo tenemur proximum, sicut & nos diligere. Vnde vnicuique mandauit Dominus de proximo suo. Et hinc est illud vulgatissimum Ambrosii, axioma, *si non pavisti, occidisti*. *Qui videt proximum egere* (ait Apost. Ioan.) *& clausit viscera sua, quomodo charitas Dei manet in illo?* Siue igitur armis, siue consilio, siue testimonio, aut eleemosyna, præceptum est diuinum, & naturale, proximi vitam conseruandi.

422 **S E C V N D V M** assertum sit. Non semper esse obligationem iustitiæ, ac per consequens nec restitutionis. Nisi quando is, qui non succurrit ex officio, facere tenebatur. Quales sunt principes & alij superiores, qui ex officio positi sunt ad obuiandum malis, & cōseruandum bona ciuium. Qualis etiam est testis in iudicium vocatus, custos prædij, & huiusmodi, vt latius dicemus infra cap. 6. Et eadem ratione censet Naua, cap. 24. num. 20. inferiores teneri ad defendendum superiores ex officio. Atque ita homicidium ex eorum omissione secutum illis imputari, non solum ad peccatum, sed ad restitutionem. Imo, vt nonnulli volunt excommunicationem incurrere, si clericus esset occisus, & ad irregularitatem. Horum autem ratio est: quia, quando ex officio facere tenetur, lege iustitiæ ad id obligatur: vt autem supra docuimus omnis illator damni etiam negativè se habens, ex transgressione legis iustitiæ, tenetur de damno secuto. Secus esset, si ex charitate tantum teneretur, vt testis antequam esset in iudicium productus.

423 **E T** non dans eleemosynam grauiter indigenti, &c. Vnde constat, verum nos docuisse supra, de iudice cōdemnante aliquem, aliàs dignum morte, sine sufficienti probatione, esse homicidam: & ad restitutionem teneri vitæ, & damnorum. Cum ex officio teneatur, secundum allegata & probata, & non aliter iudicare. Id verò, quod de defendenda proximi vita diximus, proportionabiliter & generaliter est accipiendum de omni damno in honore, & bonis proximi dato, ex eo quod illi non obuietur, cui ex obligatione officij est obuiandum, de quo supra latè, cum de culpa leui, & leuissima ageremus.

T E R T I O arbitramur de lege charitatis disputari posse, an cum detrimento proprio teneatur quis proximum à morte vel ab alio dam-

no,

no, eripere. Et quidè, iam docuimus, quod si parua esset iactura vel labor, teneretur sub mortali, lege charitatis succurrere. Dubitatio ergo est, quando magnum esset detrimentum subeundum ex ope ferenda. Et sanè, si detrimentum esset propriæ amittendæ vitæ, manifestum est apud omnes, quod nullus tenetur, nec iustitiæ, nec charitatis lege. Cæteris 424 enim paribus vnusquisq; sibi magis, quàm alteri tenetur, & potest succurrere. Vnde supra docuimus peccare eum, & sui esse homicidam, qui pro salute cognati, vel amici, vitam effundit suam. Charitas enim ordinata est à se incipiens. Licet oppositum senserit Sylu. homic. 1. q. 5. de habente publicam potestatem, vt statim dicā. Et eadem est ratio de bonis temporalibus, quæ sunt necessaria simpliciter ad vitam. Illam enim eodè iure seruare possumus, & debemus, ac ipsam vitam. Nā vbi vnū propter aliud (teste Philosopho) ibi est tantū vnū. De superfluis ergo naturæ, necessariis tamen ad statum, docet Naua. in sum. c. 24. nu. 14. Quod tenetur quis, cum illorū detrimento proximi vitæ succurrere. Oppositum autè tenet Caiet. 2. 2. q. 64. ar. 8. Cuius ea ratio est: quia non imputatur mihi, quod dare non debeo. Verum hæc ratio planè petit principium.

I D E O mihi videtur, quod si in potestate occidendi est, se à morte liberare, non autem vult, nisi pecunia accepta, non tenetur alter illi dare. 425 Vt si quis dicat sibi mortem fore illaturum suspendeo vel præfocatione, &c. nisi ei detur pecunia. Ille enim ex malitia peccat, & in necessitate non est constrictus, ac propterea eo casu vera est Caiet. sententia. Inde est, quod, si aliqua mulier nollet à mala se vita reuocare, nisi ei detur certa quantitas, non tenetur aliquis dare. Tale enim peccatum vel damnum non imputatur alteri. Cum ipse possit se ab eo damno liberare. Atque ita sensit Dominicus de Soto articulo 8. ad medium versiculo. *Est verbi gratia*. Fortasse tamen, si non ex malitia: sed magna quadam passione, vel ignorantia, aliquem se suspensurum viderem, vel aliquod aliud malum in se perpetraturum, quem tamen scirem, oblata notabili pecunia, vel aliquo alio, non esse facturum, dici posse teneri lege charitatis, illi damno obuiare. Quia quamuis ille semper voluntariè committat, & ita simpliciter non sit in articulo necessitatis, tamen, quia vehemens passio, minus liberum facit actum, & moraliter est difficile ob passionem, 426 vel ignorantiam, frangere sese, & ea ferre patienter, ac tolleranter, quæ premūt, videtur esse necessitatis articulus & Christianæ veræque charitatis lex ad id obligare. Et ita sensit Syluest. homicid. 1. quæst. 4. Eius sententiam vt intelligas coniungas oportet versiculum *Et similiter*. cum versiculo finali & adde. Si verò mors in eius nō est potestate: quia scio. v. g. Ioannem occidere Petrum, nisi ei pecuniam offeram, quo ab ea mēte desistat, quidquid Caiet. dicat, putarem teneri sub mortali pecuniam offerre, etiam si ex malitia peccet occisor. Ita docuit glossa in princip. dist. 88. Nauar. cap. 24. num. 9. Armill. homicid. ad finem, Syluest. homicid. 1. q. 6. Ratio est meo iudicio: quoniam ille innocens est, at pro vita innocentis seruandā tenetur quis lege charitatis rem familiarē postponere, cum frater extrema necessitate laboret, vt infra cap. 5. dicemus latius. Et videretur sententia Ambrosij in cap. Non satis. 86. distin. Vbi 427

Tom. I. P

fic ait: *Grandis culpa, &c.* & infra. *Si tempore afflictionis sua à te nihil impetrat. Si tempore periculi, quo rapitur ad mortem, plus apud te pecunia tua valet, quam vita morituri, non est leue peccatum.* Delumpta sunt hæc verba ex lib. 1. Officiorum cap. 31. Et eadem verba habentur in l. Si ob turpem. ff. de Conditio. ob tur. causam. Et in l. 1. §. Ex pluribus. ff. de Acquirenda possessione. Caiet. autem opinionem putarem veram, quando ille, qui petit pecuniam, non habet animum firmum occidendi: sed minatur, vt pecuniam extorqueat. Nos siquidem loquimur, cum certo credit innocentem occidendum fore, nisi eius vita pecunia redimatur. Et eadem est ratio, de aliquo malo alio corporali, quæ dicitur grauis necessitas. Vt est captiuitas, carcer, morbus, vulneratio, aut mutilatio, graue dedecus, calumnia, &c. Vnde Ambros. in d. cap. Grandis culpa: *si sciente te proximus egeat. Si causa ceciderit captiuitatis, vel calumnia. Si sit in carcere positus, &c.* Vnde Dominus Matth. 26. ob id condemnandos fore multos pronunciauit, quia egenti non subuenerunt cibo & potu. Existenti in carcere, infirmo, &c. Non enim si ista facere merum esset consilij opus, damnari deberent, igitur in eo, præceptum transgressi sunt. Tandem generalis regula esse debet. Si in similia mala ex tali ope incurrere debet, non tenetur. Sicut enim vitam alterius, cum propriæ periculo conseruare non tenetur: sic nec honorem, aut rem familiarem alterius, cum simili iactura, vt latius dicemus. capit. 4. Quamuis Syluest. homicid. 1. quæst. 6. docere videatur, quod si ex officio tenetur defendere, quia publicam habet potestatem: tenetur etiam cum periculo vitæ defendere: quod non placet. Officium enim non ad tantum sui dispendium obligare fas est. De superfluis autem naturæ tenetur vitæ proximi tueri, & de superfluis status alterius, graui necessitati subuenire, vt infra in d. c. 5. latè agetur, & docet Sylu. in d. q. 6. Sūt autem graues necessitates, quæ ab Ambr. in d. cap. sunt annumeratæ, imò quæ à Christo R. N. Matth. 26. explicantur. Ex his ergo constat quis teneatur restituere homicidium negatiuè commissum ex eo, quod non defendat, vel conseruet, cum debebat, de quibus latius infra cap. 6.

HACTENVS loquuti sumus de damnificante per homicidium. Oportebat de mutilatione disputare. Et quidem, quoniã, quod ad peccatum, & restituendi obligationem atinet satis dictum esse arbitramur supra. Et cum proportione quadam eadem sit ratio quoad iniuriam & restitutionem de vitæ & membri ablatione. Cumque etiam de irregularitate ex membri truncatione, plura erāt à nobis læpius cogitata, quæ non aliena à delectatione & fructu existerent. Quia tamen veremur, ne opus plus fortasse crescat, quàm vellemus, ab hac modo disputatione abstinendum duximus. Quare de aliis corporalibus iniuriis agamus.

QUARTA PARS DE LAEDENTE in ceteris corporalibus bonis.

CÆTERAS corporales iniurias videntur inferre eripiēs virginitatem, ad Sodomiam cogens, vulnerās, vel alapa percutiēs, verberator, incarcerator, torror, &c. Quare ordine, breuiter dicamus de singulis.

A c Pri

A c Prima dubitatio sit de stupro. In quo, quoniam ad restitutionis naturam probè intelligendam, necessarium est nosse, an stuprum in sua ratione addat malitiam specie distinctam supra simplicem fornicationem operæpretium erit strictim declarare. Sane D. Thom. 2. 2. q. 154. ar. 6. & Caiet. ibidem Nauar. in sum. c. 16. nu. 3. Angel. verb. luxur. §. 1. & verb. Stuprum in prin. Vignet. in sum. c. §. 4. vers. 4. Syluest. luxur. & stuprum q. 1. Anto. 2. par. tit. 5. §. 1. Armill. ver. stuprum, Cord. lib. 1. qq. 431 quæst. 13. puncto 6. ad argum. Omnes in eo consentiunt, quod stuprum addit malitiam specie diuersam à fornicatione. Rationem ex omnibus melius reddit Caiet. ex D. Thom. elicitam. Quoniam licet ipsa & parentes consentiant: tamen ex natura facti fit illis iniuria, cui iniuriæ pater & ipsa renuntiare non possunt. Est enim illi à natura tributum sigillum virginale, vt esset illam naturaliter conseruans, & habilans ad matrimonium sub cura & custodia parentum. Vnde, qui illum frangit, & qui in se frangi permittit, specialiter delinquit, contra naturalem custodiam tali signaculo debitam, natura sic ordinante.

CONTRARIAM sententiã astruere cõtendit Dominicus de Soto in 4. dist. 18. q. 2. art. 4. versic. *de simplici natura. Saltem* (ait ille) *quando puella non est sub cura parentum*, quod consequenter diceret si esset existens sub eorum cura, illi tamen consentiunt. *Quia* (inquit) *puella est domina sui corporis in illo vsu.* Quia licet peccet peccato luxuriæ, tamen nemini facit iniuriam. Mihi videtur primùm, quod si puella est violenter oppressa, vel extracta de domo parentum etiam voluntariè, planè est species distincta, quæ raptus dicitur. Fit enim patri manifesta iniuria, illam de domo eius educendo etiam consentientem, vel ipsam renitentem in domo violando, aut extrahendo. Neque in hoc vllus dubitat. Ita Sotus, Syluest. vbi supra, & D. Thom. articulo 7. & à fortiori, si est sanctimonialis, & vt Syluest. notauit in vtroque casu, est speciale peccatum raptus & iniustitiæ, etiam si non esset virgo, sed corrupta.

SECUNDO mihi videtur, quod in iuvene nūquam est speciale peccatum. Non enim est naturaliter sub custodia parentum, vt habilis seruetur matrimonio, quod omnes fatentur.

TERCIO igitur mihi videtur prædictos doctores cõciliari posse. Nã si sermo sit de speciali iustitia cõmutatiua. Verissima mihi videtur Sotus sententia. Licet enim peccet, tamen non facit vlli iniuriam. Cum ipsa sit domina sui corporis, sicut posset nolle perpetuò matrimonio iūgi: & ita nulla erit restituendi obligatio, si ipsa consentiente fiat stuprū. Si verò sermo sit largè de iustitia. Qua ratione multi fatentur mutilantē se, peccare cõtra iustitiã, aut se occidentē, vt supra retulimus. Quia nõ nullam facit reipublicæ iniuriã, concedi posset id, quod Caiet. docet. At hæc nõ est iniustitia ad restitutionē obligans. Cum nulli in particulari fiat iniuria: sed tantum cõmuni ordini naturæ & reipublicæ. Neque est circumstantia mutans speciẽ necessariò cõsitenda, vt bene Sotus docuit. Vnū tamen placet hic animaduertere, ne lector confundatur. Quòd stuprum variè solet sumi à doctoribus. Quandoque enim adulteriū: quãdoque omnè luxuriã significat: quandoque virginis violationē, vt ex D. Tho.

434 articulo 6. constat. Hic plures disputari possunt quæstiones de stupro factò prætextu matrimonij. Vt si quis fictè promisit, sine intentione promittendi: sed fallendi potiùs. Item si eam promisit se ducturum, quæ erat opinione virgo & tamen re ipsa non erat, &c. Quæ cum de matrimonio disputabitur, commodius explicabuntur, cum de sponsalium obligatione agitur. Quare hoc loco ea tantummodo explicare tentabimus, quæ ad stuprum attinent sine ordine ad matrimonium, quando scilicet virgo cognita est, sine promissione matrimonij. Id enim ad restitutionis naturam magis spectat.

435 **S** I T ergo secunda dubitatio. Ad quid teneatur, qui virginem violauit? Et quidem si ipsa liberè consentiat, manifestum est ei nullã deberi restitutionem. Scienti enim & volenti non fit iniuria. Vnde falsa est prorsus illa sententia, quam primus inuenisse videtur Barthol. Medin. in sum. lib. 1. cap. 14. fol. 160. Qui non modo restituendum in hoc casu damnum existimat: sed etiam teneri stupratorem eam accipere uxorem, etiam si liberè omnino & ea rogante, secutum sit stuprum. Probat duabus rationibus. Primo: quia, stuprator etiam, si absoluitur, & liber declaretur, non manet quietus: sed scrupulo conscientie pulsatur. Secundò, quia virgo, non est domina suæ integritatis, vnde sicut non potest in membri abscissionem concedere: ita neque in fractionem sigilli.

436 **F** A L S A igitur est omnibus modis ista, leuibusque rationibus instituta sententia. Nam quamuis daremus illum teneri ad restitutionem (quod non est verum) tamen, quod eam ducere teneatur, omnes rationis metas excedit, nec ipse vlla ratione probat. Nam (omissa illa leuissima ratione sua de scrupulis, ex quibus argumentum ab aliquibus doctoribus in hoc opere desumptum sæpe disieci, vt friuolum & omnino infirmum: maximè quia rari sunt, qui ita scrupulosè agant, postquam à confessore, vel Theologo liberi sunt redditi) secunda illa, ratio minimè vrget. Quia, vt infra probabimus puella domina est suæ virginitalis. Non ita, vt licitè possit eam amittere extra matrimonium: sed quia nullam facit iniuriam amittendo. Quod si quæ à stuprante iniuria fieret, patri certè, & non puellæ fieret, vt statim dicemus, quod nec etiã verum est. Deinde: quia esto non esset domina & ei, & patri fieret iniuria. Vnde argumentum ducitur, quod eam ducere teneatur, & non potius damna secuta reparando, satisfacere? Vel enim teneretur eam ducere ex contractu, vel ex delicto. Non est tertium. Ex contractu minimè: cum nulla promissio matrimonij præcesserit, vt supponimus vera, vel ficta. Ex delicto minus: quia delictum, non est contra iustitiam, cum ipsa libera rogansque consenserit, vt ipse etiam Medina supponit. Tum quia esto sit delictum contra iustitiam, solum nascitur ex delicto obligatio restituendi damna, vt æqualitas, & iustitia seruetur, nec aliud lex 437 iustitiæ requirit. Tandem, quia si ea sententia esset vera, vix tandem esset iuuenis, qui non teneretur ducere aliquam, quam sponte vitiauerat, quod est ab omni ratione alienum.

A N autem patri restitutio debeat, maior dubitatio est: quando est sub eorù cura. Si enim grãdæua est, nulli debetur. Cord. ergo in lib. qq. quæstio

quæstione 13. dict. 5. docet, quòd si puellæ secutum est detrimentum in nuptijs, tenetur restituere, etiam si illa remittat. Quia in stupro fit iniuria parentibus & puellæ, licet ergo non teneatur ratione iniuriæ factæ puellæ: tamen tenebitur ratione iniuriæ parentibus, vel tutoribus factæ. Secus ait. Cord. quando nullum est datum detrimentum in nuptijs, vel infamia. Pro hoc sententia citat Caietanù & D. Thomam in dicta quæstione 13. articulo 6.

438 **M** I N T aliter videtur, quod scilicet, si illa leuiter consensit, nulla restitutio vlli debetur. Vt enim dubitatione præcedenti diximus, licet fiat aliquando iniuria parenti: tamen nõ est specialis iniustitia, cum ipsa sit vera domina sui corporis, & nuptiarum iacturam pati possit, si velit. Nulla ergo est restitutionis obligatio. Et ita cum solù Diuus Thomas & Caiet. nihil de restitutione sint loquuti, sed tantum dixerint fieri parenti, vel curatori iniuriam immeritò à Cordub. pro sua citantur sententia. Nobiscum sentit Sorus lib. 4. de Iust. quæst. 7. artic. 1. ad 2. & Speculum con iug. 2. par. artic. 19. ad finem, quid quid etiam prædictus Medina contra docere conetur.

439 **S** I autem violenter, sit habita, maior dubitatio est. Et quidem vis in puella potest fieri, vel absoluta vi, sub qua dolum & ignorantiam intelligo, vel metu mortis, vel importunis precibus. Si primo modo fiat, docet Angel. stuprum §. 1. quod non solùm tenetur eam dotare, sed etiam ducere uxorem. Atque idem censet, si eam seduxit, vel decepit. Et pro ea sententia refert Panorm. in cap. 1. de adulterijs. Eam planè docuit Bartholomæus Med. loco citato. Et probari posse videtur satis apertè ex cap. 1. & 2. de adulterijs. Nam in cap. 1. sic scribitur, *Si quis se duxerit virginem, nondum desponsatam, dormieritque cum ea dotabit eam, & habebit eam uxorem. Si verò pater virginis dare noluerit, reddet pecuniam iuxta modum dotis.* Et in cap. 2. ait Grego. *Papa disponimus, vt quam stuprauerit uxorem habeat, ac si renuendum putauerit, corporaliter castigatus, & excommunicatus retrudatur in monasterium.*

440 **S** E O verius docet Cord. quæst. 13. dict. lib. 1. quæst. Antonin. 2. p. titulo 5. cap. 6. §. 1. Veracruz in speculo coniugiorum 3. par. art. 9. Nauar. cap. 16. num. 16. dictam dispositionem esse accipiendam in foro exteriori, in conscientia enim solum tenetur ante sententiam damnum refarcire, eique satisfacere, vel eam ducendo, vel dotando. Imo docent Naua. & Cordu. non teneri ante sententiam ad dotandam totaliter, sed ad reparandum damnum omne, quod illi euenit iuxta boni viri arbitrium, siue sit pecuniam dando, vt cum suo patrimonio honestè viuat, vel vt in loco honesto reponatur. Dare enim totam dotem tantum est pœna post sententiam. Syluest. verò huius est sententiæ, qui seclusa promissione de ducenda fatetur, solum teneri in conscientia ad reparanda damna, ex violentia vel seductione incurta. Et ad idem teneretur, si est clericus, vt Syluest. docet, & ratio iustitiæ postulat. Quamuis cõtra sentiat Iosephus Angles in Floribus Theolog. 4. sent. q. de Rest. 441 bonorum corpo. dub. 7. concl. 1. 5. & Angel. vt ipse refert.

S E D quæ sit dicenda vis in hoc casu, non est facile explicare. Pri-

mum ex omnium sententia, si corporalis vis est illata, non dubiū, quin teneatur ad supradicta. Secundò, si metu graui id faceret, vt patet. Tertiò, si mendaciis & falsis promissionibus: tum enim non liberè consentit. Atque idem est, si vanis & impossibilibus, quod intelligo, si illa crediderit. Si enim ipsa sciebat esse impossibilem, vel certè non condacentem & iustam, non potest dici decepta. Quo fit, vt improprie censeam elocutum Ioseph. Angl. conclusiōe. 2. mulieri seductæ falsissimis precibus (sic ille loquitur) nihil esse restituendum, dummodo (inquit) falsæ promissiones non adsint. Impropria est enim ista locutio. Preces enim veritatem, aut falsitatē non continent, cum non fiant verbo indicatiuo, nec sunt propositiones, vt logici dicunt, sed quædā obsecrationes modo imperandi effectæ, quibus dicere non possumus, verum vel falsum dicis, sed id Dialecticis dimittamus. Quartò, si promissio fuit de matrimonio, animo promittendi: licet non implendi: tum non solū dotare, sed eam ducere teneatur ratione promissionis, & quia illa aliàs non consentirent. Si verò fictè promisit sine animo promittendi, fatentur omnes teneri ad restitutionem. An verò teneatur eam ducere, doctorum cōcertatio est. De quo infra c. 5. latius agemus. Quāuis omnes in eo conueniant, quòd si vir erat longè nobilioris cōditionis, satis erit damna reparare. Quia vt dicebam, non præsumitur seducta. Quòd limirandum putarem, si puella id intelligebat. Posset enim esse ita inuincibiliter ignorans, vt reuera crederet ab eo ducendam fore, & aliàs non consensisset. Tum enim licet in foro exteriori liberaretur nobilis propter disparitatem, quia præsumeretur mulier non fuisse seducta, tamen in conscientia non putarem esse liberum à dānorū restitutione, quia, vt dixi reuera illa, non nisi in matrimonium consentit. Quintò existimamus, quòd si promissiones erant, putà de pecunia, fauore, &c. Quidam dicunt, quòd teneatur, quia excæcant, & per consequens inferunt vim leuibus mulierculis: sed non putarem. Si enim ille implet, nullam vim intulisse video, & ita docuit Sotus li. 4. de Iust. q. 7. ar. 1. ad 2. Sextò tandem si copula est consecuta precibus importunis, & suasionibus vehementibus, vel muneribus, docent quidam teneri ad restitutionem. Quoniam illæ respectu leuium puellarum coactionis rationem habent. Sic sensit Nauar. num. illo 16. & Cord. vbi supra dic. 4. & maximè dict. 7. Ioseph Angles, vbi supra conc. 4. Barth. Medin. §. præallegato. In quam sententiam Cord. citat Abulens. super Exod. 22. quæst. 12. Nicol. de Lyra ibidem Ang. & Anto. Syluest. luxuria q. 5. Cai. 2. 2. q. 154. ar. 6. Et probari potest per. l. C. de Rapt. virg. Et glo. in c. Scienti de Regul. iur. in 6.

444

Ego verò quæ vis esse possit in eo, quòd precibus, & persuasionibus fit, numquam potui deprehendere, omni secluso metu etiam reuerentiali, minis, & huiusmodi. Aliàs, qui assiduis precibus, ac muneribus officium, vel quid simile obtineret, iniustitiam cōmitteret, & restituere sic acquisitum teneretur. Quòd ab omni veritate est seiunctum. Et licet puellæ sint leuiore, & procliuēs ad sui copiam faciendam, solūm efficit illarum consensum esse faciliore, non, vt liber non sit, vel vt ei fiat.

ei fiat iniuria. Preces enim ac suasionēs potiùs augent, quàm minuunt volūtarium, teste D. Th. 2. 2. q. 6. quando omnis dolus, ac metus abest. Et ita planè sensit Syluest. quæst. illa 5. & Ledes. 24. q. 18. ar. 2. immeritò à Cord. pro sua sententia citatus. Cùm apertè dicat, quòd si quis volentem puellam corrumpit, non vi, metu, vel mendacibus promissionibus, non teneatur, &c. qui in eandem sententiam refert Archidia. In eo casu hanc sententiam veram putarem, quando dictæ assiduæ preces essent hominis, à quo illa dissentire sine incommodo nō posset, vt si esset eius dominus à quo beneficia sperat, vel princeps à quo fauorem, & huiusmodi. Is enim metus quidam reuerentialis dicitur, causatque inuolūtarium, ob idque dici solet, Preces principum iussa sunt, & vim inferunt. Ad argumenta Cord. & Nauar. respon. falsum esse, quòd eo solo, quòd quis persuasionē trahatur, nisi alia fraus, vel metus intercedat sit obligatio restituendi, de quo infra latius. Sed, ais, illa non aliter consentiret. Fateor. Sed sponte consentit. Multi enim multa non facerent, nisi rogati, & tamen non ob id dicemus iniuriosè ab eis esse extortum actum. Quæ enim mulier nisi rogata consentiret etiam iam corrupta? Sed non ob id dicemus illi esse vim illatam. Ex quo colligo sententiam Bartho. Med. qui in loco citato putat in hoc casu vitiatorem teneri eam matrimonio sibi iungere, falsam esse omnino, & contra communem Doctorum consensum. Si enim quando eam coëgit simpliciter, ad id non teneatur, vt supra ostendi, multò minus tenebitur, cùm precibus & muneribus assiduis eius consensum adeptus est. Et quando ad restitutionem teneretur, id est, siue damna reparando, siue eam dotando, tamen eam ducendo omnino est à ratione alienum.

445

446

ARGUMENTA igitur Cord. resoluamus isto modo. Fundamētum siquidem ipsius ex dictis non verum esse videbitur. Ad singulos autem casus dicendum est, falsum supponere, mulierem per blanditias, & preces excipientem aliquid à suo fornicatore, teneri ad restituendum accepta. Id enim inferius libro 3. in ea specie carere firma ratione, & veritate declarabo. Secundum argumentum certè difficultatem facit. Video enim plerisque in eam ingressos sententiam, vt arbitrentur, eum qui precibus, & persuasionibus vehementibus alium ad ludendum traxit, teneri ad restitutionem. Eius profecto sententiæ planè sunt nobiles doctores. Sic sensit Cordub. vbi supra Ioan. Med. quæst. illa 22. versus finem, in quem sensum Adria. in 4. q. de ludo. D. Thomæ est interpretatus, eamque falsam esse censet. Verum non iustè. Adrian. Diui Thomæ sententiam intellexit in sensu prædicto. Siquidem doctissime fatentur plerique eius sectatores aliter intelligendum fore, quando scilicet tales preces importunæ adhibentur, vt pudore, aut conuitijs, & huiusmodi quis omnino nolēs trahatur ad ludū, vti explicat tibi Caier. & Couar. in reg. peccatum 2. p. §. nu. 7. Sotus 4. de Iust. q. 5. ar. versus finem, versic. de illo autem. Syluest. ludus quæst. 11. dict. 3. Ij sic Diui Thomæ declarant, vt tum demum censet restitutionem faciendam eius, quòd attractor lucratus est, quando ita traxit, vt vi vel importunis precibus

447

448 precibus ruborem causantibus, ne si non luderet inurbanus & ignobilis haberetur. Tum enim meo iudicio metus intercedit, ad modum metus reuerentialis, quem nullum reddere contractum, cum causa illius est, infra dicemus, & ita dicemus nos libenter, cum is metus ex parte puellæ adest esse illi restituendum damnum.

449 TERTIA dubitatio sit. An is, qui ad eam accessit, quæ in populo virgo habebatur, sed reuera non erat, teneatur ad restitutionem? Respondetur omnium sententia, quod si occultè fecit, & omni fraude seclusa, nihil restituere tenetur, ut ex supra dictis satis constat. Quod verissimum puto. Si verò fama eis læsa est, tenetur de damno arbitrio boni viri. Ita docuit Nauar. cap. illo 16. numero 19. Mai. in 4. distin. 37. q. 33. Cord. quæst. illa 13. dic. 5. Probat Cord. Quia ipse fuit causa illius damni infamia. Sed certè si ipsa voluntariè consensit, vel se obrulit, non video, cur teneatur ex iustitia. Cum famam, vel matrimonium futurum iniuste non abstulerit, vel sub falsa promissione. Ipsa sibi imputare debet tale damnum. Secus esset, si culpa viri ipsa patitur infamiam, ut quia illa occultè, & in loco tuto consensit, alter verò se iactans, vel alia via rem manifestans infamiae causa fuit. Tum enim iniustus est damnificator, & tenetur prouidere de dote, vel alia via satisfacere, ad quod alius quicumque proditor teneretur. Verum si illa famam amisit, vel sua culpa, quoniã ipsa, vel dixit, vel occasionem, ut diceretur, præbuit, vel alia quavis ratione sine culpa stupratoris, res venit in publicum, non inuenio, quam iniuriam ille fecerit, ut restituere teneatur. Non enim fecit iniuriam ea fruendo. Cum ipsa sponte consenserit, nec infamando, vel occasionem dando, aut culpa sua lata non obuiando damno, igitur, &c. Vnde patet friuolam esse rationem Corduba.

450 QVARTA dubitatio, vtrum stuprator iniustus teneatur ad restitutionem. Si virgo nupsit æque benè, ac si non esset deflorata? Et sanè non ob id excusari à restitutione docuit Barth. non Med. fo. illo 160. & Gom. num. 11. & potest probari hæc sententia. Quia quod illa matrimonium inuenerit per accidens est, & suæ fortunæ tribuendum, cum ipsa reuera fuerit damnificata in sua virginitate, sicut si quis aliquem membro truncaret, qui tamen fortè inuenit, qui sibi sine vlllo labore, & expensis mederetur, sanumque redderet, non ob id damnificator erit à restitutione immunis. Cum damni efficax causa fuerit, non salutis, aut prosperi euentus. Secundò, quia licet actu non fuerit damnificata, tamen in probabili periculo posita est amittendi matrimonium, quod periculum actu incurrit, etiamsi matrimonium postea inuenerit. Poterat enim non inuenire, idque magis erat probabile, at illud periculum est pretio æstimabile, saltem ergo tenebitur arbitrio boni viri. Alio qui, si prædicta virgo ante iam recepisset pretium damni, teneretur, si postea matrimonium inuenit, vel continentiam seruare veller, restituere acceptum, si quidem re ipsa non est detrimentum passa. Verù Corduba. q. illa 13. dicto 4. Didacus Perez super tit. 15. lib. 8. Ordi. Nau. c. 6. num. 19. contra sentiunt, nullam esse restituendi obligationem. Et mihi maxime

452 ximè placet hæc sententia. Quam hac ratione probo, quia, ut infra dicemus lib. 3. cap. 1. damnum corporale ex fractione signaculi virginalis, sicut nec homicidium, vel aliud damnum corporale non exigit de rigore iustitiæ pecuniariam restitutionem, licet bene iniuriæ illatæ satisfactionem. Hæc enim pretio æstimabilia non sunt: sed solum restituendum est in his omnibus damnum, quod ex talibus iniuriis consecutum est. Cum igitur nullum in hoc casu damnum fuerit efficaciter illatum, cum illa æque benè, atque antea nupsit, nullum profecto damnum est passa, consequens est, ut nulla ei debeat restituio. Adde, quod ut infra capite 4. ostendemus, infamator nihil restituere tenetur, si iam infamatus suis optimis factis, vel alia via suam bonam famam est adeptus. Est enim eadem profus ratio, ut sibi latius dicemus.

453 VERVM est sanè, quod si maritus cognito vitio eam malè postea tractaret, vel deserat, teneretur restituere arbitrio prudentis, ut Cord. docuit. Et per hæc patet ad primum. Non enim est verum, quod fuerit in effectu damnificata in eo, quod restitutionem pecuniariam postulat, sed in eo solum, quod satisfactionem iniuriæ corporalis requirit. Et ita illa est necessario facienda. Ad secundum respondeo, quod periculum, licet sit pretio æstimabile, tamen si non deducitur in pactum, ut dicemus c. 5. non necessario exigit restitutionem re salua existente. Aliàs, qui furatus est pecuniam, ob quod dominus periculo magni damni, expositus remansit, post damni euasione tenetur restituere, quod nullus dixerit. Alioqui sequitur, quod si ipsa obiret antequam matrimonio iungeretur, teneretur restituere hæredibus pretium ratione periculi, & damni dari, quod dicendum non est.

454 TERTIVM verò argumentum, quod nos in hanc nostram sententiam instituebamus, iudicio nostro probabilem reddit præfatam sententiam. Non enim video, qua ratione possit acceptum pro virginitate retineri, si reuera nullum est passa detrimentum. Sic enim efficio argumentationem utroque latere coarctantem. Nam si pro periculo nihil potest recipere. Quomodo ergo iuste accepit, cum reuera certum nõ esset detrimentum, nisi ratione periculi, cui erat exposita? Quod si malè accepit, malè retinebit. Si autè accipere potest ob periculum. Et propterea iuste accepit, & retinet, planè erit consequens, ut etiam post inuentum maritum, illi sit debita restitutio. Accipe simile: vulnerasti proximum, ob quod nullam restitutionem temporalis rei debes, ut infra dicemus, nisi ratione expensarum, aut ob lucrum vulnerato cessans, & huiusmodi. At ita res accidit, ut nullum penitus damnum patiatur vulneratus, siue quia miraculosè, siue, quia alio inopinato casu, sanus est factus. Certum esse videtur nullam illi deberi restitutionem, & si quid accepit, retineri non posse. Datum enim ob causam, illa cessante retineri non potest. Sic igitur in proposito, cum illi non debeat restituio, nisi ob damnum nuptiarum, cum illud non sit subsecutum, nec accipere, nec acceptum, ob illam causam retinere poterit. Sanè argumentum est difficile, quantumque conijcere possum opinionem probabilem efficiens. Sed responderi potest. Primum, quod pecunia illa accepta, quæ fuit vel

455 dos, vel pars dotis, ipsa est affecuta maritum illum ignorantem defectū, cum fortasse nō inuenisset talem, nisi ea pecunia. Sed demus, quod ipsa, pecuniam abscondēs dixit se tantum habere dotis, seruans dictam pecuniam pro bonis paraphernalibus, vel vt alteri donaret, nec propterea amisit idoneum coniugem sua parua dote. Tum enim difficultas argumenti restat. Verūm respon. quod inuenisse postea maritum talem suæ vel industriæ, vel fortunæ est tribuendum, nec ob id priuanda est pretio accepto, vel promisso, postea recepto. Sicut si accepto, vel promisso pretio illa vellet, vel monasterium ingredi, vel viuere continenter, non propterea diceremus teneri ad restituendum acceptum, vel non recipiendum promissum. Id enim illius voluntatis fuit, non ex parte damnificatoris. Ita sanè, quod maritum inuenit, suę industriæ fuit, vel fortunæ, non causa alterius, ac proinde illi nihil debetur. Maximè, quia periculum perseuerat, ne postea maritus intelligat, & ob id asperè tractetur, cui semper est exposita vxor.

VNUM ad extremum addam pro dicti argum. solutione eorūque omnium, quæ diximus in hac difficultate, quod à quibusdam animaduerti audiui, sicque planius intelligere licebit, quo pacto illa possit promissum accipere ante matrimoniū & stuprator teneatur dare, post maritum verò inuentum, nec ipsa possit exigere, nec alter dare teneatur. Est enim duplex obligatio iustitiæ ad proximū, vt infra cap. 5. latius erit à nobis tradendum. Altera, quæ dicitur absoluta, vt quæ ex contractu, vel alio debito ortum habet. Et hæc semper manet mortuo creditore, & ad hæredes trāsīt, vt soluere mutuum, vel depositum, aliāque debita, seu damna data reparare. Quædam verò dicitur iustitia seu obligatio 457 subsidiaria, id est, pro instanti aliqua necessitate. Et hæc non semper manet, sed ad diem tantum, & necessitatem instantem, qua transacta obligatio nulla superest. Vt dum quis tenetur proximo extremè indigenti subuenire, siue illa sit obligatio iustitiæ, vt nos infra probaturi sumus cap. 5. siue tantum charitatis, vt aliis placet. Durante enim prædicto necessitatis tempore dare tenetur. At verò ea necessitate transacta, siue quia aliter est prouisum, siue quia obiit ille, nulla est restituendi obligatio, vel ei, vel hæredibus eo emortuo. Item quandoque contingit quempiam alicui teneri alimenta dare etiam ex iustitia, quod si illa non dederit (dicunt isti) hæredibus restituere nihil tenetur. Erat enim debitum personale, & subsidiariū ac proinde neque hæredibus neque eadem elapso necessitatis tempore restituendum est. Et tamen in vtroque casu, si esset iam acceptū, vel promissum retineri atque accipi posset, etiā si necessitas, non subsequeretur, vel alia via ei esset remedium adhibitum.

458 Sic igitur in præsentī: stuprator ille tenetur ex iustitia subsidiaria, ac proinde si ille, antequam reddat pretium illa, vel nupsit conuenienter, vel obiit, vel monasterium, aut continentem statum est amplexa, nō tenetur quidquam restituere. Cūm tēpus necessitatis sit delapsū, quod si antè illa accepisset, iustè retinebit acceptum, vel accipiet tum antea promissum, quod ei tēpore illo necessitatis, damni que probabilis, erat debitum. Neque verò nos hunc modum dicendi omnino improbamus.

Is igitur

Is igitur omnibus propositis eruditus lector, quæ sibi meliora videbuntur amplectetur. Atque hæc de stupro satis hoc loco dicta sint.

QUINTA difficultas erit de cæteris corporalibus iniuriis: verbi gratia de vulnere, verberatione, incarceratione &c. Et primum certum est, quod publicæ potestati licitum est has omnes corporales pœnas, & nocumenta infligere. Si enim mortem & mutilationem inferre potest, 459 vt supra ostensum est, multò magis poterit has, quæ reparabiles sunt. Quamuis percussio, aut vulneratio non ita sunt in vsu, sicut verberatio, incarcerationio, exilium, missio ad triremes, &c.

SECUNDO certum est, quod sicut nec mutilationem licet priuata autoritate inferre, etiam ob delictum: ita nec verberare, vulnerare, aut ligare, aut denique violentas manus injicere, nisi habenti iurisdictionē iure naturæ, vel positiuo, vel ex delegatione superioris. Et ratio est plana. Tum, quia fit iniuria ei qui cæditur, quod est contra charitatē & iustitiam. Tum ei, qui publica fungitur potestate, cuius iurisdictione vsurpatur, & ita in foro exteriori taliter percutientes & iniuriantes grauius puniuntur. Tertio igitur D. Tho. quæst. 65. art. 2. Sot. 5. de Iust. q. 2. art. 2. Syluest. verb. verberatio, & verb. percussio, Caiet. in sum. verb. percussio, docent, quod pater licitè potest filium verberare & ligare, & dominus seruum, Magister, ac pedagogus suæ curæ cōmissos. Cū enim prædicta non sint pœnæ, maximè irreparabiles, meritò debet eis commissa esse dicta punitio, & correctio. Aliàs domus bene institui, & gubernari non posset. Tres tamen limitationes huic conclusioni adhibent doctores. Prima, quod occidere, & mutilare, aut irreparabile aliquod nocumentum inferre non possunt. Non enim id patriæ & œconomice potestatis est, sed publicæ, & politicæ. Maiores enim causæ & pœnæ ad communitatem, quæ perfecta potestas est, pertinere oportet. Vnde solū est illis licitum ea nocumenta inferre, quæ reparabilia sunt. Secundo, vt moderatè fiant dictæ correctiones. Aliàs essent iniustæ, & peccatū morale in re notabili, vt Syluest. fatetur. Tertia, vt fiant bono fine ac zelo, non ex ira. Et ita intelligitur Paul. ad Ephes. *Patres (inquit) nolite ad iracundiam prouocare filios vestros, & infra. Et vos domini eadem facite illis.* Ex quo colligitur, non modo eos peccare ob iram & passionem: sed etiam, quia sunt occasiones peccatorum filiorum in ipsos. Hoc enim est prouocare illos ad iracundiam. Quod animaduertere deberent patres & 460 mariti. Re enim vera, vt Sotus, & prædicti fatentur mortaliter peccare possunt, siue ob præcipitatum correctionem, siue ob iram & passionem vehementem, siue quia peccatorum filiorum occasionem præbent insipienter ac temerè.

SED rogas, An præfatæ personæ possint exequi talem correctionem ad vindictam & pœnam inferendam, an tantum ad emendam? Et secundo, vtrum in prædictis personis sint annumerandi alij cognati, vt fratres, maximè respectu fororum, auus, & patruus, &c. Refert enim multum id docere, non solum ad cognoscendum peccatum in iis actibus, qui frequenter esse solent inter homines: sed etiam ad excōmunicationem. Si enim illicita est manus iniectio non excusabitur

462 ab excommunicatione, si clericus sit is, qui ceditur, aut verberatur. Tertio tandem de viro respectu vxoris explicare expediet. Quarto, an clericis liceat alium verberare, aut percutere. Quinto quomodo clericum verberare liceat.

Ad primum respondet Sot. vbi supra solum licere ad emendam. Sed certe etiam ad punitionem, & vindictam licitum putamus: Tum, quia sicut iudex se habet reip. ciuitatis quæ est perfecta communitas in ordine ad enormia delicta, & pœnas pro eis imponendas, ita pater ac dominus, &c. respectu leuium causarum & pœnarum, qui est naturaliter iudex æconomicus, respectu suorum subditorum. Alias non liceret, si iam esset emendatum delictum animaduertere, quod dici non debet. Tum, quia prædicta potestas non esset iudicialis: sed tantum fraternæ correctionis, cum tamen reuera sit iudicis & superioris fundata in naturali dominio & subiectione. Non nego, quin emendam etiam prætere-
463 dere debeat in ipsa punitione. Sicut iudex, qui intulit, vel alias graues pœnas infligit, id etiam prætere-
dere debet. Tandem D. Tho. huius est sententiæ, qui art. illo 2. in corpore sic ait: *Nocuumtum inferre alicui, non licet, nisi per modum pœnæ, propter iniustitiam.* Suprà autem docuimus, quod inferre malum per modum pœnæ solius est iudicis. Singulariter autem D. Thom. ait, *propter iniustitiam.* Quia non solum prædicti exhibent correctionem, & disciplinam ad emendam: sed etiam ad iustitiam. Et in solutione ad secundum comparando ait: *Sicut autem ciuitas est perfecta communitas: ita princeps ciuitatis habet perfectam potestatem coercendi, & ideo potest inferre pœnas irreparabiles.* Pater autem & Dominus, qui præfunt familiæ domesticæ, quæ est imperfecta communitas, habet imperfectam potestatem coercendi secundum leuiiores pœnas. Et hæc videtur
464 sententia Syluest. verb. vxor. q. 3. & Panormi. in cap. Cum contingat. de For. comp. dum asserunt, quod pater habet in filium potestatem ordinariam, licet non in vxorem: & ita potest eum verberare, vinculare, punire, &c. sed id intelligendum est, vt dixi de leuibus punitionibus, non de grauibus, & seuerioribus. Ad has enim superior non est, vt dixi in secunda limitatione. Et multo minus maritus respectu vxoris & similiter dominus respectu serui. Sed iudicibus ciuitatis sunt committendi vt grauius castigentur etiam verberibus, vt idem docuit Syluest. dic. 3. Alias esset aperta contradictio.

De materia secundi argumen. nihil legi apud aliquem. De auo tamen id fatetur Sotus quod de patre. De fratre verò maximè respectu sororis, de patruo, & aliis valde propinquis, si in eadē domo habitet vel specialiter eius curæ, aut custodiæ sint commissi manifestum est coercendi potestatem habere non minus ac pedagogi. Si verò nec eorū curæ
465 sint specialiter commissi, nec in eadē domo habitent (in quo tacita quædā cura commissā videtur) non video quo iure id facere possit. Cū nō sint veri superiores, & ita per modū castigationis & pœnæ, nō possunt in eos manus injicere. Secus per modū correctionis ad vitanda eorū maiora damna. Vt si frater sororem leuiorē coerceret domi, vel flagello afficeret vt à malo exemplo, scandaloque desisteret. Cū ob ipsius puellæ bonum:

bonum: Tum etiam non tam superioris, quàm fraternæ correctionis, & defensionis suæ, & suorum dignitatis, munus exerceret. Alioquin, vt dixi, non putarem licere, quo fit, vt si iam destitisset non posset, vt pater poterat ob patratum crimen castigare, quod magno argumento est non esse potestatem superioris, aut coerciuam: sed fraternæ tantum charitatis, vt fratrem lucretur. Vnde Syluest. verbo percussio. *Percussio (inquit) omnis corporalis, manu vel flagello, est illicita, vel alio instrumento, non habenti auctoritatem super verberandum, & peccatum mortale, nisi excuset facti moditicas.* Correctionis tamē causa leuiter percutere licebit, Nam & id respectu clericorum permittitur sine excommunicatione: vnde Gregorius IX. in cap. Cum voluntate. §. Si quis verò, ita scribit: *Ij non incurrunt excommunicationem, qui aliquos de familia sua, vel propinquis inferiorum graduum simili modo, idest, leuiter percutiunt, vt cohibeantur à suis insolentijs, scientia, & bonis moribus informentur, duxerint corrigendos.*

Ad tertium docet Syluest. d. illo primo, & Panorm. in d. cap. Cum contingat. Maritum non habere in vxorem potestatem ordinariam: sicut habet pater in filium, ex l. si vxor. C. de Con. infem. Docet tamen quod potest eam castigare & verberare moderatè, & id ex magna causa. Vnde verberare sine causa, vel grauius, esset peccatum mortale, & condemnabitur ad dandum ei tertiam partem donationis propter nuptias, vt habetur in Auth. vt lice. ma. & au. §. Si quis autem. Et C. de
467 Repu. auth. Sed nouo iure. Et idem dicerem de omni alio nocuumto notabili, quo ad peccatum attinet. Quamuis non video quo pacto sibi concordet Syluester. In primo enim dicto docet, vxorem non esse in potestate viri, quo ad hoc, sicut est filius in potestate patris, & tamen de vtroque fatetur leuiter castigari, & verbari posse, non grauius. Et ita non video differentiam in eius doctrina: nisi quod vxorem non potest nisi de aliqua magna causa verberare, vt si eam habet suspectam de adulterio, vel de aliquo alio pertinente ad gubernationem domus, nolletque admonita se emendare, vt Sot. docet ar. 2. in fine. Sunt enim ait Sot. barbari, quidam, qui teste Arist. vxores velut mancipia tractant indignè, filium verò non ita ex magna causa. In ijs igitur omnibus quando iniuste tale nocuumto inferitur necessaria est restitutio & satisfactio. Cū sint corporales iniuriæ, Sicut de occisione, mutilatione atque stupro docuimus: quid autem pro his restituendum sit, infra lib. 3.
471 Quamuis si esset superior, siue iudex, siue pater, siue dominus, non tantam satisfactionem facere debet, si iniustus contumeliosior existat, propter concurrentem in eo dignitatem, vt infra cap. 4. latius dicemus.

Ad quartum dicendum est, clericis etiam superioribus non esse licitum percutere, aut vulnerare, propter delicta subditorum, tam longè abesse debet, vt ira, impatientiæve perturbetur. Vnde Apostolus (inquit) *non percussorem.* Quare Grego. lib. 2. Epist. Epist. 52. ad Ioannem Episc. Cōstan. aliàs c. 91. vt refert 45. d. c. 1. Sic ait, *Quid autem de Episcopis, qui verberibus timeri volunt, canones dicant, bene fraternitas vestra nouit. Pastores enim sumus facti, non percussores.* Vnde Paulus: *Argue, obse-*

cra, increpa, in omni patientia, & doctrina. Noua verò ista, & inaudit a præ-
 472 *dicatio, quæ verberibus exigit fidem, &c.* Et in cap. Episcopum, eadem 45.
d. Episcopum, aut presbyterum, aut Diaconum percutientem fideles delinquentes,
aut infideles iniquè agentes, & per huiusmodi volentè timeri, deijci ob offi-
cio suo præcipimus. Et est doctrina desumpta ex can. Apostolorum cap.
 26. iuxta præscam versionem. Et ita cum sit pœna depositionis, erit pec-
 catum mortale, quod longè esset verius, si esset in non subditum, etiam
 si bona intentione fieret, vt Syluest. adnotauit. Est enim contra iu-
 stitiam ex parte percussi & superioris, cuius iurisdictio vsurpatur, &
 contra religionem sui status. Et in cap. Cùm beatus. ex Concilio Bra-
 charen. 3. cap. 6. *Non est dignum, vt presbyter honorabilia membra sua*
verberibus subijciat, & dolori, necdum incautè subdita percutiat membra,
 473 *ipse quoque debita sibi reuerentia subtrahit, iuxta id quod quidam Sapiens*
dixit. Leuiter castigatus reuerentiam exhibet castiganti, asperitas autem
nimia increpationis, nec increpationem recipit, nec salutem: Vnde taliter ver-
berans excommunicationis & exilij sententiam sustinebit. Et in c. 1. de clerico
 percussore dicitur, *Si quis ex aliquo gradu percussor extiterit, corripatur.*
 Et si non emendauerit deponatur. Et in c. 2. suspenditur Episcopus per
 duos menses, qui verberibus subiecit mulierem, etiam si ex inde non
 fuerit defuncta, vt ibidem dicitur, *Quia ad ordinem noluit habere*
respectum.

Hæc tamen intelligerem esse limitanda, si fiant in non subditum.
 Est enim in Ecclesia consuetum prælatum subditum etiam sacerdotem
 468 verberare posse, vt Sot. docet. Vnde in cap. ex renore de Sentent. ex-
 com. non censetur excommunicatus, qui in clericum etiam subditum
 manus violentas iniicit, vel se defendendo, vel de mandato Prælati,
 vel si ipse prælatus est. Secundò, si in subditum, tamen non procedendo
 iuris ordine: sed ex ira aut subita passione, arrepto fuste, vt Sotus docet
 e illicitum, putare, cum non tam castigatio, quàm iniuriosa læsio vi-
 deatur, & ita intelligit Grati. dicta patrum testimonia. Et in c. Duæ sunt,
 eadem d. sic ait: *Percussores ergo, qui præmissis authoritatibus ob officio remo-*
uentur, non quilibet corporaliter flagellantes, sed prætermissa mansuetudine ad
verbera sæper sunt parati, intelligenda sunt. Qui per flagella non vitia cor-
 rigere, sed timeri appetunt, quibus Petrus scribit, *Ne sitis dominantes*
in clerum, quod Hispanicè dicitur, *hazerse muy senores.* Tertio etiam si in
 subditum specialiter, tamen immediatè & propria manu ob indecen-
 469 tiam status clericalis, & ita planè dicta iura loquuta videntur, & Paul.
 cum dixit, *non percussorem.* Sicque videntur declarata per Concilium
 Agath. relatum in cap. Non licet 86. d. *Non liceat Episcopo manibus suis*
aliquem flagellare. Hoc enim alienum à sacerdote esse debet. Bene tamen
 putarem per sententiam iudicalem, aliūque executorem facere posse,
 idque apud Inquisitores ad flagella, & alia similia condemnantes
 receptum, videmus. Episcopum etiam seu eius vicarium publicè ver-
 berare delinquentes vsitarum videmus. Et Prou. 23. dicitur: *Percute*
filium, & animam eius ab inferno liberabis, & Gregorius libro secundo
 decalogi capite 4. scribit B. Benedictum quemdam monachum virga
 percutiendo

percutiendo, sanasse, quem crebra monitione curare non poterat.
 Quem ordinem hodie in religionibus vsitatissimum cernimus. Hinc
 dominus malè se gerentes in templo flagellauit, vt de orationis domo
 eijceret. Hinc Apostolus fornicatorem illum Sathanæ corporaliter
 vexandum tradidit, & Magum illum corporali cæcitate damnauit.
 Denique Moses, aliàs mansuetissimus, post acceptam à Deo veniam
 populo Israelis, amantissimis ex vna parte, & ex alia tremendis verbis.
Aut dimitte noxam populi, aut dele me de libro vita, iussit, vt vnusquisque
 470 occideret proximum: & Exod. 22. latè prosequitur Greg. lib. 20. ad c.
 29. Job c. 7. Vbi nota quod Moses non manu propria, sed commissio-
 nē occidendi dedit ei. Quomodo bene potest Episcopus, vel alius cleri-
 cus habens iurisdictionem temporalem officiali committere, vt agat
 iustitiam etiam ad mortem: vt habetur in c. Episcopus ne cleri. vel mo.
 lib. 6. vbi dicitur: *Clerici habentes iurisdictionem temporalem causam san-*
guinis illicitè agitant: sed non illicitè committunt, & ita docuit Syluest. ho-
 mic. 1. q. 7. correctionis verò & disciplinæ causa, non putarem peccare
 eos, qui percutiunt, modo percussio leuis sit, quamuis reuera melius
 esset vt id per alios seculares efficerent, eis hoc munus committendo,
 vt religionum quarundam hoc tempore, mos tenet: vbi Magistri cor-
 471 rectorum habent, qui disciplinæ & correctionis causa, sibi commissos
 puniant propter grauitatem & decentiam status, vt suprà ex iuribus di-
 cebam. Decet enim iudicio meo clericos eos saltem, qui sunt in sacris,
 mites esse, & manus abstinere habere.

Ad vltimum de clericis percussis. Primum est certum, quod eos
 verberare & quoquo modo in eos manus iniicere violentas sine de-
 bita iurisdictione etiam si clericus sit percussor, peccatum esset morta-
 le in re notabili, & excommunicationem incurreret, vt habetur in illo
 celebri canone, *Si quis suadente 17. quæst. 4. & in cap. Neminem 45.*
dist. & fere per totum titulum, de Sententia excommunicationis.

Secundo certum est, quod ab executore seculari, aut iudice laico
 non potest verberari, vel aliter puniri propter dignitatem ordinis, nisi
 forsan essent degradati, vel incorrigibiles, vt Syluest. docet in d. ver-
 bo percussio, & ob id religiosi, & alij clerici flagellantur in triremibus
 sine peccato & excommunicatione. Tertio Magister causa disciplinæ,
 472 & pater causa correptionis, licitè potest, vt Syluest. docet verb. per-
 cussio, & Sotus artic. illo 2. & glos. in c. 1. 23. quæst. 5. & habetur super
 eo de Sententia excommunicationis, & ff. ad legem Aquil. l. præcep-
 toris. Limitat tamen glossa, dummodo non nimis sæuiant in eos, vt in
 d. l. dicitur. Quæ etiam docet maiorem esse potestatem magistri ad
 discipulum quàm patris ad filium, quo ad castigationem. Nam pater
 solum habet eam potestatem, quousque filius sacrum ordinem recipi-
 at, at magister etiam post ordinem sacrum receptum id facere potest,
 vt patet ex d. capite super eo, & Sotus docuit vbi suprà. Quæ omnia
 non placet fusius examinare.

Vltima difficultas est de tortura: an licita sit, & de incarceratione,
 473 & ligatura, & quando liceant. Videtur enim non esse licita, quo-
 niam est

niam est proxima occasio, ut totius sibi, & alij falsa testimonia imponat metuellorum confitendo, quæ non commiserit, ut experientia testatur. Præcipuè quia crudelitatis genus quoddam videretur, & à Christiana mansuetudine alienum. Nihilominus tamen leges, & consuetudo huiusmodi genus veritatis indagandæ probant, & apertius ostenditur ex Eusebio Papa Epist. 1. ad Epist. Gallia *Vetita est* (inquit) *diuersis cruciatis è latebris suis religiosus tortor, alias rigorosus tortor, exigere debet, ut dum pœnis corpora subijciuntur, quæ gesta sunt fideliter, & veraciter exquirantur,* Et apertè glossa in c. cum tu, de Vsu. in verb. *euidenter*. Vnde ad argumentum respon. esse occasionem, sed remotam, cum ex natura rei ad veritatem agnoscendam sint inducta. Ita, modò iudex requisita seruet non peccat, nec restituere tenetur ob tale nocumentum, vel dolorem illatum. Quæ verò sint hæc requisita? Respon. Primū ut inditia præcedant competentia, vel semi plena probatio. Aliàs esset mortale, ut Syluest. docet verb. tortura. Et cum obligatione restituendi, non solum iniuriam, sed omnia damna sequuta. Vnde confessio sine inditijs sufficientibus facta ipso iure est nulla. Deinde si aliter per cruciatus potest veritatem cognoscere, peccat mortaliter iudex torquendo, etiam contra iustitiam. Sicut si aliam corporalem iniuriam sine iuris ordine irrogaret, & ita restituere tenetur. Tertio peccat immoderata & crudelia tormenta adhibendo maximè Christiano homini. Maximè etiam si iudex est Ecclesiasticus, iuxta id, quod scribit August. ad Marcellinum. Epist. 159 & refertur in c. 1. 23. q. 5. *Noli* (inquit) *perdere paternam diligentiam, quam in ipsa inquisitione seruasti, quando tantorum scelerum confessionem, non extendente equuleo, non sulcantibus vngulis, non vrenibus flammis: sed virgarum verberibus eruisti, qui modus coercionis, & à Magistris artium liberalium, & ab ipsis parentibus, & saepe etiam in iudicijs solet ab Episcopis adhiberi. Noli ergo atrocius vindicare &c.* & per hoc patet ad secundam rationem. Immoderatas enim torturas non probamus. Maximè Christiano homini illatas, & à Christiano Ecclesiastico iudice.

Caput quartum de ladente in bonis, quæ sunt honoris & fama.

CAPVT IIII.

HACTENVS de læsione data in bonis corporalibus sermonem fecimus. Proximè sequitur disputemus de dano & læsione famæ atque honoris. Quomodo in his homines peccare soleant. Quomodo denigratæ famæ restitutio ac reparatio facièda sit. Res sanè tā difficilis est, quàm necessaria. Percrebruit enim his calamitosi temporibus perniciosissimum hoc detractionis ac murmurationis vitium: ut vix tandem sanctissimus locus sit: quem non retigerit, atque infecerit ista labes. Cum igitur & bonorum virorum fama, etiam ad conscientia bonæ conseruationem, & Dei laudem sit pernecessaria: eaque simul gemma per se, sit pretiosissima: idcirco perutile fuerit peracta de restit. bonorū corporaliū disput. de famæ honorisq; cōseruatione ac restitutione sermonem instituere. FAMA igitur à fando dicitur, ut linguæ tradunt periti, ex quo deducitur.

ducitur famam non esse, nisi vbi est locutio, licet sit credulitas, vel locutio interior de aliquo, quæ præsupposita est ad famam. Vnde fama & nomen de aliquo idem est. Deinde cum de aliquo malum & bonum homines loqui & fari possint, consequens est famam se habere posse ad bonum & malum. Quidquid enim de aliquo diuulgatur, fama est: Communius tamen fama sumitur in bonam partem. Vnde ff. de Var. & 2 extra ord. cog. l. cognitionum. §. Existimatio, dicitur: *Fama est illa se dignitatis status, vita, & moribus comprobatus, & in nullo diminutus.* Et ita sentit glossa in cap. Vestra de Cohab. cleric. Quam minus verè Cordub. retulit tract. de detract. quæst. 1. in principio, dicens gloss. prædictam famam bonam definiisse. Fallitur enim. Siquidem gloss. de fama absolute loquitur, & id, Quia, ut dixi fama frequentius in bonam partem accipitur. Minus etiam bene idem Cordub. definitionem prædicti §. æstimatio tanquam distinctam affert à definitione gloss. Est enim sensu eadem, imo fere verbis. *Fama* (inquit) *est æstimatio dignitatis, & status illa se legibus ac moribus comprobatus, quæ ex nostro delicto legum auctoritate consumitur, ac minuitur.* Hinc illud Virgilij.

Sum pius Aeneas fama super aëra notus.

Hinc fama Scipionum, fama Camilli, id est, laus & celebritas ex virtute orta. Infamia verò dicitur fama non bona alicuius. Fama verò dici solet, *clara cum laude notitia.* Quæ definitio tantum est de bona fama. Et valde concordat prædictæ definitioni siue d. §. æstimatio, siue ex d. glossa allata.

Quam definitionem non omnino probat Corduba: Quia (inquit) stat aliquem famam, imo bonam famam habere, qui non est honestæ vitæ. Et contra contingit esse infamatum infamia iuris. Quia vel per confessionem, vel sententiam est diffamatus, qui tamen nunquam perdidit famam facti integritatis, & virtutis re ipsa. Ideo ait Corduba aliter magis ad rem definienda est fama ex Adrian. Quodlib. 11. in 1. supposito. *Fama est æstimatio dignitatis seu honestæ vitæ in toto, vel in parte.* Dicunt notanter hi authores, *in parte.* Quia sunt adulteri aut ebriosi, qui tamen quoad integritatem iustitiæ, & fidei, sunt bonæ famæ. Verum ego non video quomodo differat à prædicti §. & glossæ definitione, nisi quia addit *in parte*, quod satis erat intellectum: si enim fama est illa se dignitatis status, &c. qui talem statum habeat in parte, & non in toto, consequens erat famam habiturum in parte, licet nō omnino. Maximè, quia rationes Cordub. militant contra hanc definitionem. Nam fieri potest, ut quis habeat integritatem iustitiæ, & fidei verbi gratia, ut eorum exemplo vtar, & tantum laboret infamia iuris, adhuc in ea parte, ut si innocens sit condemnatus. Et contra fieri potest, ut sit iniustus, & infidelis: habeat autem famam fidei & iustitiæ. Quare duplici ratione mihi nō placent hæ definitiones. Primum, quia fama non solum ex virtute, & honestate consurgit: verum etiam ex alia præstantia. Et excellentia artis, scilicet industriæ, doctrinæ, &c. Vnde famatissimū Theologū, medicum, iurisperitum, artis ve alterius appellamus. Quæ tamen cōstat legibus, ac moribus nō esse probatum.

5 SECUNDO, quoniam prædictæ definitiones tantum conueniunt bonæ, & honestæ famæ, in communi, vt patet. Denique specialiter contra definitionem glossæ est, quod fama non est status ipse bonus, sed opinio atque æstimatio, quæ de aliquo habetur. Vnde fama non est in ipso, de quo habetur, sed in aliis qui benè, aut malè de eo existimant. Vnde honor (teste Aristotele,) non est in honorabili, sed in honorante. Contra definitionem verò Adriani, & Cordubæ est. Quod etiam si eam per æstimationem, & opinionem aliorum definiant, tamen sola æstimatio non facit famam.

6 QVARE generalior meo iudicio & prior est definitio. *Fama est communis opinio voce manifestata.* Dicitur *communis*. Quia dicta paucorum, nec bonam, nec malam famam efficiunt. Dicitur *voce manifestata*. Nam interior notitia & opinio, æstimatio dici potest, magis quàm fama. Rumor autem est parua quædam fama, & est velut genus. Omnis enim fama est rumor. Non e contra. Cùm enim minor pars ciuitatis, vel vicinæ, opinionem de aliquo eloquitur, rumor dicitur. Cùm verò maior pars ciuitatis, vel vicinæ, dicitur fama. Vnde impertinens est, quod sit ab incerto authore, vt aliqui voluerunt. Quandoque enim fama, & rumor à certo authore proueniunt. Nos igitur in præsentibus de bona fama præcipuè loquimur. Et quamuis honor, & bona fama idem videantur: tamen honor addit aliquid ad bonam famam, vt scilicet sit de excellenti virtute, aut bono alicuius. Tum etiam, quia bona fama magis consistit in bonis verbis, quæ de aliquo effamur: honor verò in verbis, & actibus, quibus honorem exhibemus. Vnde merito dicitur honor testimonium excellentiæ, quæ est in homine, maximè secundum

7 virtutem, cuius præmium est, vt Diuus Thom. docet 2.2. quæst. 103, artic. 1. & Corduba de detractioe quæst. 1. in princ. Gloria verò idem videtur esse, quod honos, quamuis ex honore videatur ortum habere. Est enim fructus ipsius honoris. Vnde honor non est in honorato sed in honorante, in quo cum fama conuenit, sed gloria est in ipso, qui bonam famam & honorem assequitur.

8 SECUNDO est animaduertendum famam, honorem, & gloriam esse inter bona exteriora maximum omnium. Tria enim bonorum genera ab antiquis tradita, & distincta accepimus. Primum genus bonorum animi, vt scientiæ, virtutis, &c. de quibus supra egimus latè, cap. 2. Alterum est bonorum corporis, vt vitæ, membrorum, sanitatis, &c. De quibus cap. 3. disputatum est. Tertium est bonorum, quæ externa dicuntur, vt famæ, honoris, & gloriæ ex vna parte, ex alia verò rei familiaris, & aliarum vtilium, atque ad vitæ naufragia necessariarum. Licet ergo primum & secundum bonorum genus nobilius sit, & omnino bonorum externorum genere præstantius: tamen omnium in hoc tertio genere contentorum maximum est, & excellentissimum honor, & bonum nomen. Adeo vt nonnulli ob honorem vitam ipsam contempserint, eligentes, vt melius, gloriosè & fortiter occubere, quàm ignominiam inferre gloriæ & famæ. De quo dubitatione sequenti fortasse redibit sermo. Modo id stet, bonam famam & gloriam omnium bonorum

rum exteriorum esse præstantissimum. Ita sanè docuit D. Thom. 2.2. q. 103. & cæteri, qui rectè senserunt. Vnde Prouerb. 22. *Melius est bonum nomen quàm diuitia multa.* Et Ecclesiastici 41. *Curam habe de bono nomine, quia melius est bonum nomen, &c.* Quare Cicer. in Orat. perf. *Rumoris publici auctoritas instar oraculi est,* & Publ. Mino. *Honestus rumor* (inquit) *alterum patrimonium est.* Nec minus pulchrè Liuius Dec. 1. lib. 3. *Fama damna maiora sunt, quàm vt æstimari possint.* Quod duplici ratione potest ostendi. Quoniam ipsa externa bona, vt potentatus, & diuitiæ propter honores appetuntur, sicut propter finem, teste Arist. 4. Eth. Vnde merito sapientes honorem vtilitati prætulerunt. Secundò, quoniam est præmium virtutis, & eius indiuiduus comes, vt D. Thom. docet in d. loco & Arist. 4. Eth. & experientia constat eos, qui virtutem colunt ab omnibus tam sapientibus, quàm insipientibus honorari. Quod si aliquibus potentioribus, & diuitibus honorem deferri videmus, non tam est ob potentiam & diuitias. Illis enim timor magis, quàm honor debetur: quàm propter virtutem in illis fulgentem, vel qua illa bona sunt consecuti, vel qua rempublicam, & cætera administrant, & rebus bene vtuntur, vel vti debebant. Vt enim bene notauit Merca. tract. de

10 Restit. cap. 8. Quoniam status & dignitates antiquitus similibus virtute fulgentibus dari solebant, cæperunt homines magistratus in honore habere, quasi in hominibus excellentissimis. Vnde iam miseris his temporibus status sine re, id est, sine virtute quandoque honoratur. Homines enim quod interius est prospicere non possunt: merita tamen & virtutes in talibus, vt debemus, præsumentes veneramur. Is enim demum mihi verus honos semper videri solet, qui non propter diuitias aut magna imperia, aut denique propter spem futuri beneficii. Ob hanc enim spem multi multos (licet immeritos) laudare, vel adulari solent) sed propter claras virtutes, & magna in rempublicam merita claris viris defertur. Vnde præclarè quidam sapiens amico suo

11 scripsit. Ea quæ habent speciem gloriæ collecta ex inanissimis splendoris insignibus contemne, breuia, fugacia, caduca existima. Verum decus in virtute positum est, quæ maximè illustratur magnis in Rempublicam meritis.

PRIMA PARS DE HONORE.

PRIMA dubitatio sit, vtrum peccet mortaliter, qui propter honorem vitam periculo exponit. Ex vna parte licitum esse videtur exemplo clarissimorum virorum, quos omnis laudat antiquitas, qui ne ignominiosè viuerent, mortem subire maluerunt, vt legimus apud Machab. Vnde est illud prouerbium Hispan. *mas vale morir con honra, que deshonorados viuir.* Quod Italus dixit: *vn bel morir tuta la vitta honora.* Ex alia parte est quod vita & membra sunt excellentiora bona ho-

12 minis. Tum, quia magis intrinseca, quàm honos, qui ad externa bona pertinet, Tum quia, vt dicemus infra, homo sui honoris dominus est, non vita. Vnde sanctissimi viri Christianitatis nostræ, ignominiam vo-

luntariam eligunt exemplo Christi R. N. qui *cum in forma Dei esset, &c.* Quod tamen respectu vitæ non liceret. Demum sine vita nullum est bonum. Est enim omnium bonorum fundamentum. Quid enim honos post mortem valet? At sine honore vita & alia bona esse possunt. Igitur vita præferri debet dedecori, atque ignominia. De hac re Gab. in 4. d. 15. quæst. 16. sic ait. *Vtrum autem fama præferenda sit bonis corporis? videtur nonnullis, quod præferatur. Alij vero præferunt corporis bona, quod videtur verius.* Hæc ille. Eandem etiam rem sub dubio reliquit idem Gab. paulò latius in can. lect. 74. lit. P. Richar. verò & Lyra in c. 18. Matth. vt refert Gab. idem, licitum putant pro honore tuendo mortem subire voluntariè, & videtur Armil. verb. detract. §. vlt.

M I N I verò in hac re videtur distinguendum esse. Aut enim ignominia, & turpitudine pro qua vitanda moriendum est, oritur ex vitio admittendo, quæ vera ignominia est: sicut contra verus honos, qui ex virtute est. Et tunc licitum est, & laudabile mortem obire, ne turpe quidpiam tale admittamus. Vt si quis mihi mortem minaretur, nisi essem adulter, homicida, vel aliud quod dedecori mihi esset futurum. Cuius quidem ratio est, quia iste talis non tam pro honore tuendo, quàm pro vitio non admittendo mortem subit, quod facere potest & debet. Bona enim animi in omni sententia maiora sunt bonis corporis. Si verò dedecus absque vitio subiri posset, non putarem licere vitam pro tali ignominia vitanda periculo exponere. Ita docuit Nauar. cap. 18. num. 47. & c. inter verba. conc. 4. num. 217. S. Thom. 2. 2. quæst. 73. artic. 3. in corp. Ex quo optimam ad hoc rationem licet colligere. Quia homicidium est grauius peccatum quàm detractio. Cuius certè non est alia ratio, quàm ea quæ à D. Thom. & doctoribus assignatur. Quia per illud maius bonum demitur proximo scilicet vita. Sic etiam Sot. in 4. de Iust. q. 6. artic. 2. in solutione 4. Et de sigillo memb. 1. q. 2. conclus. 3. Adrian. Quodlib. 11. Cordub. in annotat. in tract. de secret. Magistri, Sot. membr. 1. quæst. 1. conc. 3. in quam sententiam magis inclinat Gab. vbi suprà Merca. cap. 8. Vnde sine dubio peccat mortaliter, si quis ad duellum exiret, quia prouocatus est, ad turpitudinem vitandam, vel si quis potens fugere, cum dedecore mallet manere cum certo vitæ periculo, vt sæpiùs duces in bello facere solent. Cuiusmodi etiam fuit Lucretia & Cato, qui, vt ignominiam vitarent, mortem elegerunt, cum reuera illorum vitio non contingeret, sed alieno. Quod egregiè prosequitur August. 1. de Ciuit. cap. 20. Huius ratio, meo iudicio est, quam August. tangit vbi suprà. Quoniam hi licet specie quadam virtutis fecisse videantur: tamen reuera non ex fortitudine, aut virtute aliqua: sed ex infirmitate quadam fecerunt: qua non valebant inculpabilem ignominiam perferre. Non enim fuit pudicitia charitas (ait August.) sed pudoris infirmitas. Vnde Ouid. in Fastis.

Succubuit fama victa puella metu.

Non sic profecto sancti primitiæ nostræ Ecclesiæ fecerunt, qui passi ignominiam vixerunt. Habent quippe intus gloriam castitatis testimonium cōscientiæ. Habent coram oculis Dei sui, nec requirunt amplius,

ne

ne deuiant à lege diuina, cum male deuiant suspicionem offensionis humanæ. Et de Catone idipsum docet August. egregiè cap. 23. De cuius facto, quid potissimum dicam? Nisi quod amici eius docti quidam viri, qui hoc fieri prudentius dissuadebant imbecillioris, quam fortioris animi esse censuerunt, quo demonstraretur, non honestas turpia præcauens: sed infirmitas aduersa non sustinens. Alias, si turpe ducebat, id est, contra virtutem se facere putabat. Cur author fuit huius turpitudinis, dum filium viuere præcepit sub Cæsaris benignitate. Quid est, nisi quòd filium, quantum amabat, cui parci à Cæsare sperauit, & voluit: tantum gloriæ ipsius Cæsaris, ne ab eo sibi parceretur, inuidit: vt Cæsar dixisse fertur, aut, vt aliquid nos mitius dicamus, erubuit. Quod verè esse ab August. dictum probat illa nota omnibus Cæsaris sententia ad nuntium mortis Catonis. *Inuideo (inquit) gloria tua Cato. Nam & tu inuidisti mea: ne inter cetera mea præclare facta numeraretur, & illud me Catonem seruasse.* Hinc est illa præclara Plutarchi sententia. *Non est magnanimi dicere. Non patiar hoc: sed dicere. Non faciam hoc.* Hinc martyres, non quia passi sunt turpia fuerunt minus fortes, imo eo magis, quòd cum iniuriam non fecissent, pertulerunt. His igitur & aliis, quæ in dubitando dixi, planè conuincitur non licere, sed peccatum esse mortale vitæ periculo exponere pro ignominia vitanda, quæ ex alieno peccato, non ex meo prouenit. In quo sensu Gab. & cæteri Theologi verius putarunt, non licere honorem corporalibus bonis anteferre. Et hæc ipsa magis cōfirmantur. Quia nullus tenetur famam proximo restituere cum detrimento propriæ vitæ, vt infrà dicemus, ex omnium sententia. Quorum ratio est: quia rem inferioris ordinis alienam non tenetur quis restituere, cum iactura suorum bonorum superioris ordinis: vnde relinquitur eorum iudicio vitam esse superioris ordinis respectu famæ.

V N V M tamen concedi fortasse posset. Si damnum corporale non esset irreparabile, vt est mors & mutilatio: sed reparabile, vt leue vulnus, &c. non esset illicitum id ad vitandam ignominiam perferre. Cum vtilius sit homini honorè illū conseruare, & non parui fieri à populo, quàm vulnus, vel aliud reparabile nocumentū corporale vitare.

E x quibus colligo, vt notabiles doctores tradiderunt, & D. Tho. quæst. citat. Quod sicut verus honos solum est ex virtute. Ex aliis verò, vt ex diuitijs, temporalibus bonis, non nisi imago quædam honoris, & secundum vulgi æstimationem: ita dedecus verum est ortum ex vitio hominis. Ex paupertate verò, & huiusmodi, imago quædam dedecoris. Quid igitur stultius ac magis illicitum, quàm pro imagine honoris vitam ipsam veram perdere, non dico spiritalem verum corporalem. Nam neque etiam pro vera ignominia vitanda liceret. Sic fecit Iudas, qui vt ignominiam verissimumque dedecus vitaret, se occidit, vtranque vitam infortunatè amittens. Solum igitur tum demum licet, quando ne facias rem vero dedecore dignam mortem subis. Id enim est & laudabile & gloriosum, & fortitudine plenum & apud Deum, & homines sapientes gloria. Nam gloria & honos qui non est

apud Deum, gloria dici non debet, iuxta id quod Apost. ait, *Habet gloriam, sed non apud Deum.*

19 Ad argum. quod in oppositum fecimus respon. Quod ut Aug. docet 1. de Ciuit. Dei. Sana ratio exemplis anteponenda est: & specialiter ad eos, qui in lib. Machab. laudantur de fortitudine. Quia occubuerunt, ne ignominiam inferrent gloriae suae. Respon. id eos non fecisse ob proprium, sed ob Dei honorem & religionis. Quia ratione fatendum est Christianos quotidie ob Dei honorem & religionis, ne detur gentibus in opprobrium, licitum esse mortis periculo se obijcere. De Razia verò, & similibus est animaduertendum, ut S. Thom. docet 2. 2. q. 64. art. 5. non tam veræ virtutis laudari, quam cuiusdam speciei, & imaginis virtutis.

20 SECUNDA dubitatio vtrum sit licitum honores appetere in Ecclesia, & in republica? Multi sanè fuerunt, quibus absolutè videatur esse peccatum mortale, & specialiter de Episcopatu. Cùm id superbiae sit, & praesumptionis. Nam si indignum se iudicat ea dignitate vel officio eo ipso, quòd appetit, peccat mortaliter. Cùm officij obligationi non possit satisfacere. Si verò se dignum reputat superbiae peccatum est, & temeritatis. Cùm enim honor sit testimonium excellentiae quæ est secundum virtutem, eo ipso, quòd de se tale quidpiam credit, contra humilitatem delinquit, & modestiam, & ita indignum se facit, ut habetur 1. quæst. 6. cap. Sicut is. Vbi Gregor. sic ait. *Sicut is, qui inuitatus tenuit, quasi refugit, sacris altaribus est admonendus: ita qui vltro ambit, vel importunè se ingerit, est repellendus, &c.* Maximè in episcopatu vbi perfectum se esse iudicare debet. Non autem negat hæc opinio licitum esse procurare: docet autem peccatum mortale esse fauore & aliis humanis mediis procurare, ita docet Barthol. Med. in sum. ca. 16. §. 1. maximè autem arbitratur esse mortale quando habens vnum Episcopatum alterum procurat, præcipuè mediis (ut ille dicit) humanis.

21 Alij verò contra ut Syluest. verb. Episcopus, quæst. 3. fatentur licitum esse appetere in certis casibus, procurare verò nunquam quouis medio fiat. Primum autem, quod nullo fine aut necessitate quantumcunque urgente procurare liceat, docet Syluest. sed non probat. Secundò docet, quod tempore necessitatis liceret appetere. Quando scilicet quis non videt, vnde de bono pastore prouideatur, & tunc non absolutè, sed ut à Deo: non ut præsit, sed ut prosit. Sine his tamen conditionibus tale desiderium (inquit) non esset illicitum. Quia esset minus bonum præferre meliori. Melius enim est vacare Deo, quam proximo, extra tempus necessitatis. An verò sit ita illicitum, ut sit mortale. Respondet esse mortale in multis casibus tale desiderium, sed specialiter si appetatur prælatura, & omne beneficium cum cura propter

22 ambitionem, vel cupiditatem principaliter. Quia est ambitio periculosa, & repugnans cõmuni bono. Quia nescit se idoneum ad illud opus. Cùm sine Dei gratia præstare nequeat, quam nescit se habere, & ita exponitur periculo malè administrandi. Terriò, quia ordinaret bonum commune ad suum priuatum, quod secundum rectam rationem debet

debet esse econtra. Nam pastor est propter gregem. Quartò docet esse mortale recusare prælaturam, cum quis probabiliter credit se idoneum, vel saltem dubitat, & ad suscipiendum astringitur præcepto superioris. In dubijs enim tenetur obedire. Et idem putat, si non astringatur præcepto, sed consilio, & probabiliter credit per alium prouideri non posse.

MIRI sane non omnino vera videntur ista. Primū non placet, quod dicitur in nullo casu etiā necessitatis esse licitū procurare dignitatem. Licebit siquidem etiam Episcopalem, modo tamen id fiat medijs honestis, & sine scandalo, quod non esset scandalum nisi Pharisaorum. Si enim necessitatis instat articulus, quia scilicet quis certo, vel probabiliter credit, non esse vnde conuenienter Ecclesiae prouideatur, reuera nõ modo licere: sed teneri ad procurandum putarem. Si enim salutem temporalem proximi & multò magis boni cõmunis tenetur quis, non solum desiderare, sed quærere, & procurare, si potest, quomodo non magis licebit & tenebitur spiritualem & cõmunem Ecclesiae, vel congregationis procurare, quando non nisi per ipsum potest commodè obtineri? Quod præcipuè verum putarem in particularibus congregationibus maximè monialium, vbi tantum vnam aut alteram reperias, quæ officium dignè exequi possit, & cum ædificatione, quam certè teneri putarem omni secluso scandalo, omnique adhibita discretionem, ut sic peccata & scandala vitarentur. Præterea illud est verum, & fatetur 24 ipse Syluest. ut ex eius 4. d. à me relato, patet. Si quis se probabiliter credit idoneum, & per alium prouideri animarum saluti non ita posse, potest imò tenetur acceptare non solum, quando à superiore præcipitur, verumetiam ad consiliū alterius, igitur ob eandem animarum salutem, quam non solum appetere, sed procurare tenetur, poterit ac debet non tantum velle, sed procurare dictum officium præcipuè cùm tenues, vel nullos habet redditus, sine vlllo peccato, vel iniustitiæ, vel praesumptionis. Sed neque seclusa necessitate auderem peccati mortalis condemnare, secluso scandalo pecunia, & alijs medijs illicitis, si alias ipse est idoneus, modo bono aliquo fine faciat, ut scilicet proficit, & alias honestas functiones perficiat. Quod ex eo probo, quia non video, quæ specialis deformitas sit petendo & procurando, quæ non sit in desiderando. Si enim bono fine desiderare licet, cur tale desiderium opere complere nõ licebit? Quod enim sine peccato desideramus, sine peccato etiam operamur, nisi in operatione aliqua specialis malitia admisceatur, quæ certè hic non apparet. Est tamè nonnulla species ambitionis, & gloriae inanis, qua tamen carere potest, qui bono fine præterit secluso semper, ut dixi scandalo. Ego igitur nõ procurarem, nec ut quis procuraret, consulere propter hanc mali speciem, & alia nonnulla pericula, & obligationes in eo officio requisitas. In quo casu Gregor. potius iudicat esse repellendum. Et ita iudicant non immeritò his temporibus prudètes prælati, qui eo ipso, quòd impudenter, & ambitiosè aliqui se ingerunt, eos repellunt. Sed non damnarem ad mortale qui alias idoneum se iudicat probabiliter, & bono fine, procurat.

Si

Si autem non bono fine procuret : tum vel ociosus actus erit, vel malus, secundum malitiam finis, & circumstantiæ. Qui malus finis, vel circumstantia, quando sit, in sequenti puncto, cū de desiderio agemus explicabitur. Aliàs mortaliter peccarent, qui se opponunt ad beneficia curata, imo ad non curata, vt Canonatus, &. Imo si Episcopatus concursu daretur peccaret mortaliter pretendens Episcopatum. Tunc enim etiam diceretur præsumptuosus, ac temerarius, quòd nullus dixerit.

SECVNDO igitur videtur, quod appetere prælaturam, vel aliud officium honorificum in republ. licitum est, nisi aliqua praua circumstantia admisceatur. Ex obiecto enim illicitum non est. Sicut nec procurare, iuxta illud Pauli: *Qui Episcopatum desiderat bonum opus desiderat.* Ac proinde solum potest vitari ob malam circumstantiam. Et sanè ea circumstantia, quod scilicet non appetatur, pro tempore necessitatis, mihi non videtur sufficiens, vt planè docet Caiet. 2.2. quæst. 185. art. 1. in 4. conclus. & Sotus infra citandus. Quidquid Syluest. dicat. Licet enim alij sint, qui æquè benè possent præfici, non ob id desiderium meum vitiosum est. Cū sit de obiecto non malo, & hæc circumstantia, vt de se patet non sit mala. Aliàs quis esset hodie, qui posset vllò pacto beneficium desiderare? Cū tot sint alij bene meriti. Non ergo necessitatis articulus expectandus est, vt licitè appeti possit. Is quippe non facit, vt licitè possimus appetere, sed vt teneamur non solum appetere, sed etiam procurare lege charitatis, vt dictum est. Neque verò ea circumstantia, quam etiam damnat Syluest. quod scilicet propter aliquam vtilitatem propriam, vel aliorum faciat, mihi videtur vitare. Id enim non est bonum commune ad priuatum ordinare, vt Syluest. putat, & Sotus explicat lib. 10. de Iustit. quæst. 2. artic. 1. versic. *Secundo autem*, & in solut. argumentorum dicemus. Neque etiam illa circumstantia adducta à Med. obest, quod scilicet fiat fauore, & mediis humanis, vt ipse loquitur. Si enim media alioquæ illicita non sunt, vt, quia vel pecunia assequi dignus, vel fauore indignus intendit, non debet damnari. Si enim alias est dignus & aliæ debitæ circumstantiæ appetendi, & procurandi adsint, fauor humanus, aut humana media nihil oberunt. Vt enim debitum recuperare fauore humano illicitum non est. Quia ad id, quod est aliàs iustum non nocet humanum auxilium sic sanè, &c. nam si mediis humanis non appetat, aut expectat, nescio, quomodo, nisi miraculo intercedente expectare possit? Neque verò alia eiusdem Med. circumstantia vitiat, quod scilicet est iam Episcopus. Episcoporum enim trāslatio vtilis ac necessaria esse potest. Pone enim quòd ex pingui beneficio transferri procuret ad tenue, vbi maior est labor & animarum necessitas, quis hoc damnaret? Aliunde ergo damnari debet. His ergo circumstantijs concurrentibus putarem esse peccatum mortale.

PRIMUM, si cum alij sint digniores, ipse sibi appeteret. Esset enim iniustitiam desiderare. Tum in conferente: tum in se. Quod vt supra latè ostendimus est peccatum mortale, & cum onere restitutionis.

Quod

Quod restringo ad ea beneficia, & dignitates, quæ concursu, & edicto dari solent: non verò de iis, quæ conferri possunt, vt supra explicauimus cap. 2. Et expressè docet Cordub. in summa, quæstion. 31. imo in hac specie episcopatus apertè docet Med. vbi supra.

SECVNDO, si sit indignus, & id notum est omnium sententia.

TERCIO, si Episcopatum ordinet ad redditus, imo etiam ad honorem, quæ temporalia sunt, vt Syluest. docuit, & in specie Sotus explicuit & Caiet. Quarto, si non à Deo, vt Syluester ait. Quæ etiam manifesta est. Nam, nec obtinere, nec gerere dignè posset sine gratia. Quintò, vt profit: tum spiritualiter sibi subiectis: tum etiam temporaliter, secundum exigentiam debiti officij. Si enim faceret, solum, vt præsit, superbix esset, & libidinis dominandi, quod Beatus Petrus reprehendit, cū dicit: *Ne sint Episcopi dominantes in clerum.* Sunt enim Ecclesiastici nonnulli, qui cū eum honorem in Ecclesia sunt assecuti, inflata quadam præsumptione cæteros dedignantur, & contemnunt. Quod ab Ecclesiasticis personis alienissimum esse deberet.

AN verò hic intercedat peccatum mortale, sicut in tribus prioribus, non est facilè assignare. Nam si tantum sit quædam præsumptio, & inanis gloria nulli nocens, non videtur esse mortale, vt Caiet. adnotauit in quarta conclusio. Secus si proximo, vel officij obligationi deesse, vel sibi: dico sibi. Quia sunt nonnulli ita infirmi, vt cū eam dignitatem sunt assecuti, velut in alios viros mutati à prima humilitate, & virtute desciscunt, quam profitebantur: & alios asperè, & superbè contemnunt, & delitiis seruiunt, non sine magno suarum animarum malo, & scandalo, ac tristitia pusillorum, ac propterea viri sanctissimi, tum olim: tum etiam his nostris temporibus, de seipsis parum confidentes, ne se in id periculum conjiciant, salubriter, ista fugiunt, nō ita vt has dignitates, & præfulatus nō modò ambiant & procurent, sed neque etiam acceptare velint, cum magna populorum testificatione suæ religionis ac virtutis. Adeo, vt tantum de horum præclarissimo exemplo, & virtute ædificentur, quantum de aliorum in talibus se ingerentium ambitione, & malè administrantium insolentia scandalizantur. Pro ratione igitur periculi, cui se quisque ista appetendo & procurando exponit, censeri debet, an sit mortale peccatum.

Ex dictis patet solutio ad argum. Syluest. Ad illud, quod objicit, quòd velle beneficium propter priuatum commodum est bonū commune ad priuatum ordinare. Respon. id non necessarium esse, vt supra dicebam. Velle enim episcopatum, vel aliud beneficium ad honorem, & temporalium sufficiētiam habendam, vel ad paupertatem suam, vel aliorum subleuandam, non est bonum commune ad priuatum referre: sed honestum habere finem, nō. qui sit finis ad quem dirigit episcopatum: sed est finis intendendi episcopatum. Sicut enim de voto viri docti distinguere solent, quod aliud sit finis voti, aliud applicationis ad vouendum: sic sanè alius est finis Episcopatus, & hic est bonum

commune Ecclesiarum, & honor Dei: alius est finis applicationis ad Episcopatum. Vt Caiet. obscuris licet verbis, verè tamè, & doctè in hac specie tradit. 2. 2. q. 185. ar. 1. Et hic potest esse bonum priuatum. At id rarè contingere existimo. Quis enim ita sit desipiens, vt episcopalem dignitatem, & spiritualem statum ordinet ad temporales vel prouentus, vel honores sicut ad finem? Qui enim id faceret certè mortaliter peccaret. Si enim peccatum graue grauitè que mortale simonia à sapiètibz merito pronunciat, ea profectò ratione, quia spiritali rei grauis irrogatur iniuria, eam pretio vel rei temporali comparando. Cum omne pretium excedat. Certè idem, imò maius crimen esse debet, cum nò modo Episcopatus spiritalis iure que diuino institutus rei tēporali æquatur: verùm illi posthabetur minoris que æstimatur, quod planè facit, qui illum, sicut ad finem ordinat ad prouentus & honores, quæ temporalia sunt. Si ergo rari sunt, qui ita affectu peruerso Episcopatum appetant, quomodo dicitur à Soto vbi suprà eum, quem prouentus monent esse in periculo peccati mortalis ordinandi scilicet dignitatem ad temporales res? cum vt dixi non Episcopatus, finem constituat temporalium, sed suæ applicationis ad Episcopatum. Alioquì ille, qui Deo seruit propter retributionem, vt David concupiebat mortalis peccati periculo esset expositus ordinandi, scilicet Deum, ad prædicta creata bona. Peccaret etiam mortaliter qui vel canit in choro, vel Missam dicit propter pithantiam, & temporalia. Esset enim in periculo prædicto vt dictum est. Adde, quòd tum demum reprehensibile esset, & lethale crimè, ita proprium commodum, & vtilitatem intendere ex Episcopatu, vt principaliter vellet bonum proprium præferendo etiam bono omnium: vt cum necesse esset bono aliorum tam spiritali, quàm temporali subuenire desineret. Id enim sæpius à sapientissimis atque optimis de Ecclesia viris iure reprehenditur. Id siquidem est bonum priuatum communi bono anteferre, & nolle oues seruare & pascere: sed se ex illis. Cum in concurrentia suorum commodorum & ouium, sibi suisque delitiis atque intentionibus magis indulgendum atque inserviendum putant. De quibus dixit Ezech. *Va pastoribus Israel. Nonne pascebant semetipso: Quæ verba exponens Chrysostom. sic ait: Nonne greges pasceuntur à pastoribus? Sed illi contrarium faciebant.* Vnde Paul. *omnes, quæ sua sunt quarunt.* Et sic intellectus secundus ille modus, quem Soto probat, admittendus erit, dum ait veriore & certiore regulam in iis appetitionibus esse, vt si quis ita appetat Episcopatum ob bona temporalia, vt nullum ob illa crimen in officio sit admissurus, extra metum est peccati mortalis. Vnde si rectè perpenderet Soto, non deberet, vt distinctos hos duos modos discernere, vt vnum probaret, alterum refutare. Imo certè maximè consentiunt, vnusque ex alio nascitur. Si enim status altitudo, quod præsumptionis est, si honor ipse, quòd ambitionis est, si temporales prouentus, quòd auaritiæ est ita appetantur, vt efficiantur fines episcopatus, & non solum appetentis: consequens est, quòd vt principaliora illa appetantur, ac proinde posthabeat animarum curam, & bonorum debitam distributionem præ bonorum circumstan-

cunstantium episcopatum, fruitione. Quod constat esse mortale & iniustum, cum desit functionibus, & obligationibus officij, propter quæ Episcopatus appeti debet, vt docet D. Tho. in d. q. 185. Teste enim Arist. vnunquodque est propter suam operationem. Vnde bene Caiet. probat non esse mortale, nisi quando isto modo appetitur, tum ob suprà dicta: tum etiam, quia præsumptio, ambitio, & auaritia, quæ hic intercedere possunt, non sunt peccatum mortale suo genere, nisi quando materia iniustitiæ admiscetur.

Ad illud de gratia fatemur esse necessariam: sed tamen probabiliter credere potest, imò certissimè sibi à Deo præsto esse, vt conferatur, si ipse cooperari velit. Facienti enim quod est in se, in omni statu Deus non denegat gratiam & auxilium sufficiens. Nam & ad curatum, & ad alia beneficia Ecclesiastica etiam simplicia, & ad seculares magistratus, & officia necessaria est Dei gratia: & tamen non ob id dicemus illicitum esse ea appetere, & se periculo exponere. Quia nescimus an gratiam habeamus. Periculosior tamen est Episcopalis status & dignitas. Tum ob maiorem dignitatem, qua infirmi ad superbiam abuti solent: tum ob maiores prouentus temporales, quos nonnulli malè ad auaritiam conuertunt, non distribuendo, vt debent. Tum ob maiores obligationes, & ampliolem animarum curam, & vigiliam requisitam, cui rari sunt, qui plenè satisfaciunt. Tandem ob maius vitæ exemplum & sanctitatis. Est enim status perfectorum, quam perfectionem vtinam in omnibus perspicere liceret. Ob hæc igitur & alia huiusmodi cordati & sapientes viri ista fugerunt, *Ne, vt ait Pau. in superbiam inciderent, & laqueum diaboli,* tanto profecto digniores, quanto in sua opinione miseres, & diuitiarum spiritualium indigentiores se reputarent. Quare sapientissima est ea constitutio quarundam congregationum à summisque Pontificibus merito probata, vt nemo præsulatū, non solū ambiat, sed ne acceptare quidè possit, nisi præcepto ad mortale peccatū obligante astringatur. Quauis eas dignitates, & prælationes, quæ simul sunt cum animarum summa necessitate, vt sunt apud Indos, & nullos habent prouentus sed maximos labores, & Dei gloriam, celeriter acceptant, & gloriosè gerunt, & administrant. Quando verò peccet quis mortaliter recusando, placet quod ex Syl. supra attulimus scilicet necessitatis tempore. Cum intelligit Ecclesiæ, vel congregationi prouideri non posse de bono pastore siue ad præceptum, siue ad consilium superioris, vel alterius sapientis fiat. Vt apertè docuerat D. Tho. in dict. q. 185. ar. 3. & ibi Caiet. Sot. vbi suprà ar. 2. Qui plura de hac re conferunt à nostra disputatione aliena.

TERCIA difficultas, an appetere cætera Ecclesiastica beneficia sit licitum? Et sanè certum est, quod ex obiecto non est illicita talis appetitio, vt de Episcopatu diximus. Quod satis ex se patet. Ratione ergo circumstantiæ illicitum esse potest. Ex quibus ea communior apparet. Cum scilicet appetitur propter honorem, & prouentuū temporalium sufficientiam. In quo Caiet. 2. 2. quæst. 185. ar. 1. distinguendo respon. Quod clerico non est illicitū appetere: at laico licitum non est. In

neutro autem casu putat esse mortale. Rationem discriminis assignat
 40 Caiet. Quoniam beneficium Ecclesiasticum in communi habet hono-
 rem, & sufficientiam temporalium propter vitam decem clericorum,
 qui deputati sunt cultui diuino: ac per hoc, sicut iam habet statum, cui
 debetur beneficium ita ei debentur honor & temporalia prædicta. Vn-
 de non mutat ordinem, quem appetibilia in beneficio inuenta habent
 inter se. At laicus appetens clericatum propter temporalia bona, planè
 peruertit in suo appetitu ordinem, quem habent inter se appetibilia.
 Constat enim redditus temporales, & honorem esse propter diuinum
 ministerium, & animarum curam. Vt igitur appetès episcopatum etiam
 clericus, peccat saltem venialiter, vt supra dictum est, quia ordinem ap-
 petibilem in sua saltem appetitione, inuertit, sic, &c. Et sicut supra dixi-
 mus, esse mortale peccatum peruertere ordinem episcopatus ad tēpo-
 ralia circumstantia ex parte rerum appetitarum, vt quando temporalia
 efficiuntur finis episcopatus: ita certè, cum laicus ita appeteret clerica-
 tum propter temporalia, quòd ordinaret clericatum ad bona tempora-
 lia, vt ad finem clericatus proculdubio peccaret mortaliter.

41 **M I N I** in hac re videtur. Primum esse verū, quod Caiet. docet siue
 à clerico siue à laico apperatur beneficium propter temporalia non esse
 peccatum mortale, modò temporalia non constituantur finis beneficij,
 aut clericatus, sed tantum ipsius appetentis, vt cum de episcopatu agere-
 mus, satis explicatum est. Secundò non placet id, quòd de clerico appe-
 tente episcopatum distinguit, ab appetente aliud beneficium. Non enim
 video quomodo à venialis ordinis que peruersione excusetur clericus
 appetens beneficium propter redditus temporales, eodem prorsus mo-
 do atque appetens episcopatum propter honorem ac redditus. Constat
 enim talem clericum, licet non beneficij diuini que ministerij: at suæ
 appetitionis finem constituere rem temporalem, à qua sicut à fine mo-
 uetur ad appetendum beneficium, sicut id, quo dictam temporalem rem
 est assecuturus, atque ita ordinem, quem res habent inter se, inuertit ille
 in sua appetitione, vt manifestè constat, & de episcopatu ipse, & omnes
 42 fatemur. Præterea, quia si, vt ipse Caiet. fatetur eo ipso, quòd est cleri-
 cus debetur sibi beneficiū, ac proinde licet sibi apperere honorè, & tē-
 poralia, cum constet episcopatū etiā esse beneficiū Ecclesiasticū, sicut Cu-
 ratū, Canonicatū, &c. licebit etiā ex eiusdem ratione episcopatū propter
 honorè ac tēporalia expetere: quod nullus fatebitur, & apertè est cōtra
 D. Tho. Cur enim minus debetur clerico, vt clericus est, episcopale be-
 neficiū, quàm quoduis aliud. Deniq; Caiet. ratio nō conuincit. Fateor si-
 quidè, quòd ex eo, quòd est clericus, debetur ei beneficiū: atq; ita rectè
 colligit, quòd sicut iā habès ius ad primū, s. ad beneficiū ratione cleri-
 catus, potest apperere secūdū, s. tēporalia. Sed vnde colligit ipse quod li-
 ceat hæc velle tãquã finè appetitionis, ita vt possit velle beneficiū ppter
 redditus? Imo oppositū ex sua ratione colligitur: Si enim quia redditus
 tēporales sunt ob vitã clericorū, cōsequēs est, vt potius illa debeāt, es-
 se volita à clerico, propter clericatū, & beneficiū beneficij q; ministeria
 obeunda: quã beneficiū ppter illa. Vnde cōstat, vel nō esse veniale cle-
 rico

rico appetere episcopale beneficium propter honorem, & tempora-
 lium sufficientiam, aut si est fore etiam veniale quoduis aliud benefi- 43
 cium appetere propter honorem, & prouentus. Cum, vt dictum est,
 etiam ordinem rerum, què habeat inter se, in sua appetitione cōuertat.

Q V I D igitur existimabimus, si æqua est vtriusque rei ratio? Sane D.
 Tho. Caiet. Sot. Syluest. cæteri que arbitrantur esse illicitum, saltem
 veniale: ob rationem sæpe à nobis repetitam. Nempe: quia ordo appe-
 tibilem à Deo naturæque institutus, inuertitur ab appetitu: quod rectæ
 rationi aduersum est. Quod profecto si concedamus, quatum conijcere
 possum, concedere oportebit, illicitum esse Deo seruire propter, re-
 tributionem. Si quidem retributio, & quodcunque bonum crea- 44
 tum propter Deum, sicut propter finem, est naturaliter ordinatum,
 at tum in appetitione creatum bonum mouet ad quod Dei seruitus, &
 dilectio appetitur. Præterea non liceret propter pithantiam, Missam di-
 cere, siquidem illa mouet appetitum ad sacrificium volendum. Atque
 idem est de eo qui ad chorū venit propter distributiones. Denique cū,
 vt ostensum est, sit eadem ratio de Episcopatu, & alio quouis beneficio,
 iam non liceret vllum Ecclesiasticum beneficiū propter honorem, &
 prouentus appetere, quod nec Caiet. putat cōcedendum, nec par est, vt
 concedatur. Verum quia D. Tho. semper quoad possumus doctrinam
 consecrari solemus, cæteri que doctores tanquam illicitum damnant,
 id ita nobis videri debet, atque studioso cuique. A quo nostræ rationes
 perfacilè enodabuntur. 45

Q V A R T A dubitatio sit, vtrum opus aliàs bonum, vt oratio aut
 eleemosina, si ob humanam gloriam & honorem fiat, possit esse me-
 ritorium? Sunt enim multi, qui tale opus esse meritorium augmenti
 gratiæ, & gloriæ, sine vlla dubitatione defendunt. Et probari potest
 hæc sententia. Primum: tale opus fit principaliter propter Deum, si-
 cut ob finem, cum reuera, nisi opus esset charitatis non fieret, & ita
 gloria humana videtur, vt plurimum consequi actum, & esse causa im-
 pulsua: non finalis. Secundò, quia peccatum veniale non excludit
 charitatē & gratiam, sed tantum est præterrationem, non ergo amittit
 meritum, quod ex charitate vim habet. Tertiò quia virtualiter sunt
 ibi duo actus, alter bonus, vt est eleemosina, & huic responder meri-
 tum: alter malus, scilicet malus finis cui pœna respondere potest: sed
 hic non nocet primo. Vtile enim vitari non debet per inutile. Tan- 46
 dem, quia humanam gloriam appetere, & velle non est malum ex se,
 imo sæpe necessarium, vt supra ostendimus. Si ergo opus ex obiecto
 est bonum, scilicet eleemosina, & finis non est malus, cur tandem di-
 cemus actum non esse meritorium? Has pro hac sententia placuit effi-
 cere rationes, licet à prædictis non adducantur.

H I C duo breuiter sunt explicanda. Primum an supposito, quod ope-
 rari ob humanam gloriam sit peccatum saltem veniale, opus possit esse
 meritorium, si aliàs est bonum, & fit in gratia? Secundò explicandum
 est, an id sit verum, quod quærere humanam gloriam, sit peccatum,
 quod quartum argumentum tangit?

PRIMO igitur mihi videtur, supposito finem illum esse malum, nullo pacto opus esse meritorium, etiã si de se sit bonum, & fiat in charitate. Moueor ex eo: quoniã de intrinseca ratione meriti est opus esse bonum. Per opera enim indifferentia, vel mala nemo meretur, aliã Deo placerent, quod dici non potest. Cùm opera indifferentia, vel mala Deo grata non sint. Vnde bonitas actus est veluti genus ad meritum, 47 sicut malitia operis est genus ad demeritum. At ille actus est simpliciter malus. Cùm malam habeat circumstantiam, finis igitur, &c:

SED dicunt isti opus esse bonum, cui responderet meritum, licet circumstantia sit mala. Sed hoc nihil est. Quia implicat opus esse bonum, si malam habeat circumstantiam. Licet enim sit bonum ex obiecto, & ita cum addito, & secundum quid tamen simpliciter malum est. Cùm bonum consurgat ex integra causa: malum ex quocunque defectu. Sicut si quis eleemosinam daret, vt induceret ad hæresim, non posset dici actus simpliciter bonus: sed tantum cum addito, idest, bonus ex obiecto: ex fine tamen, & ex consequenti simpliciter malus.

SED dicunt iterum esse duos actus formaliter, licet vnus realiter, ac vt dici solet, materialiter. Sed hoc falsum est. Nam reuera vnus actus est in genere moris, licet habeat duas rationes, alteram ex obiecto, 48 alteram ex fine. Circumstantia enim omnis est accidens actus humani, vt probat D. Thomas 1. 2. quæst. & artic. 1. Et ita non possunt dici duo actus. Aliã essent duo obiecta, 7 esset in duabus speciebus: & per consequens vnus non esset accidens, seu circumstantia alterius: sed ex æquo essent duæ species distinctæ, sicut est furtum, & eleemosina, vel eleemosina, & superbia. Cùm ergo tantum sit vnicum obiectum, scilicet leuare indigentiam, tantum est vnus actus: habet tamen circumstantiam malam adiunctam, qua actus deprauatur. Sicut dans eleemosinam de alieno, licet actus sit bonus ex obiecto: tamen ratione circumstantiæ est malus simpliciter, & orans tempore, quo dormire iubetur à prælato. Licet enim actus ex obiecto sit bonus simpliciter: tamen ex temporis circumstantia est malus, quod in exemplo posito clarius apparet. Nam alioqui, 49 cùm quis dat eleemosinam, vt ad hæresim inducat duo actus essent in genere moris: & ita talis datio eleemosinæ diceretur bona, licet alter actus, scilicet finis dandi (hunc enim vocant isti, actum) sit malus. Quæ cerrè prorsus sine ratione dicuntur. Si ergo vnus tantum est actus in genere moris ex obiecto bonus, ex fine & per consequens simpliciter malus. Quo pacto dici potest Deo esse acceptus, & ad præmium ordinatus? Et hanc nostram determinationem legimus postea non inuiti apud Caiet. 2. tom. opusc. 17. Respon. respon. 14. dubitatio. prima. Vbi concludens ait: Peccatum veniale tollere ab actu, quem afficit meritum vitæ æternæ, quamuis non tollat meritum vitæ æternæ à persona.

ET per hæc patet solutio ad argumentum de duplici actu. Ad ea 50 verò, quæ nos fecimus, quæ cerrè difficultatem habent. Respondeo, quod licet peccatum veniale, non excludat charitatem & gratiam: at tamen actus ille est incapax præmij, imo meritorius pœnæ: & ita repugnat eo actu mereri. Id tamen ego semper concessi, quod posset, venialiter

nialiter peccando mereri: sed non mereri tamen ipso actu, quo peccat. Exempli gratia, dat quis eleemosinam alicui dicens. Accipe centum aureos pro tua necessitate leuanda. Neque enim quidquam amplius apud me pecuniæ referuo, in quo sane mentitur. Is quidem dando eleemosinam, licet venialiter peccet, sed non amittit meritum eleemosinæ. Actus enim eleemosinæ bonus est, & aliã dans est in gratia, at peccatum veniale, quod simul committit, non tollit meritum, cùm non opponatur gratiæ, & charitati, quæ est radix meriti. Igitur nihil ei deest, quominus actus sit meritorius. Actus enim, qui adiungitur non potest nocere, primò, cùm non sit eius circumstantia, sed actus ex æquo distinctus. Solum igitur tum quis venialiter peccando non meretur, quando venialis malitia est accidens, atque effectus ipsius actus, vt si fiat malus ratione finis mali, vel loci, vel temporis, &c.

AD illud de intentione principali. Respondetur, quod dupliciter se potest habere intentio humanæ gloriæ, vel alterius finis mali in actu. Primò, vt sit causa totalis, vel principalis actus. Quia scilicet præcipuè ob illum finem mouetur, quo deficiente non operaretur tale opus. In quo casu, quidam putant esse peccatum mortale. Quia finis vltimus ponitur in humana gloria. Sed falluntur. Quia licet sit conditio, sine qua non ageretur tale opus, tamen non est finis super omnia dilectus, in quem se & sua omnia dirigat: sed solum ita est dispositus, quod eo fine humanæ inquam gloriæ, non existente non operaretur. Sicut neque canonicus iret ad chorum, nisi speraret stipendium, sed 52 non est finis vltimus in quem referat horas, & se & sua, nec simonica ob id mens dicenda est. Et sicut paulò ante dicebam. Licet quis non appeteret Episcopatum, nisi haberet honorem, & prouentus temporales: tamen non hæc facit tanquam finem Episcopatus. Est tamen tunc peccatum veniale, & totus actus malus ratione finis, vt dictum est, & per consequens non est meritorius actus ob talem finem totaliter, vel principaliter factus. Alio modo potest humana gloria se habere, vt scilicet, sit causa non finalis sed impulsiva. Quia reuera eleemosina fieret etiam non existente illa gloria. Sed non ita facile, & placidè, & tunc non putarem amitti meritum actus, nec reddi actum malum: sed admiscetur imperfectio quædam, & venialis culpa, simul cum actu: non vt circumstantia, sed vt actus quidam malus concomi- 53 tans, quod meritum & laudem alterius actus non excludit, vt dictum est: Et hæc maximè sunt animaduertenda. Quia in practica quotidiana sunt, & sæpius bonorum operum merces stultè, & leui de causa amittitur.

SO LV m ergo restat explicare. An dare eleemosinam, vel aliud quidpiam bonum opus facere, vt orare, ieiunare, &c. ob humanam gloriam sit malum ex circumstantia finis. Id enim sepe supponere visi sumus & ita vulgo vana gloria vocatur & à Christo sæpius. Qui (inquit) sua opera faciunt, vt videantur ab hominibus: amant primas Cathedras, & primos accubitus in cœnis, & sinagogis: dilatant phylacteria sua & magnificant

gnificant fimbrias, & cupiunt vocari ab hominibus Rabbi, idest Magistri. Quibus ita multis & grauibus Christi verbis non modo veniale: sed mortale etiam peccatum pronuntiari videtur opus ob humanam gloriam factum.

54 Ex alia tamen parte est argumentum supra à me factum, quod humana gloria sæpe utilis est, & necessaria, & ad fines honestos referri potest. Quæ enim deformitas est ad rationem, quod quis velit ex bono suo opere ab homine laudem, & approbationem habere? Adde, quod Christus Dominus consilium dedit, quod *opera nostra luceant coram hominibus. Vt videant (ait) opera vestra bona, &c.* Denique: quia gloria, & honor premium est virtutis: at virtutis premium non est illicitum appetere.

In hac re breuiter, quædam placet explicare. Primum quærere gloriam apud homines de se non est malum. Quod ex eo constat. Quia gloria est clara cum laude notitia, quæ de alicuius facto habetur, id verò desiderare nullam deformitatem, aut repugnantiam cum ratione importat, vt patet. Velle enim meum factum laudari, & approbati, si bonum est nullam cum ratione repugantiam dicit. Vnde 1. Corinthiorum 2. vt ait Apost. *sciamus, quæ à Deo donata sunt nobis, & Mathæ. 5. Sic luceat lux vestra.*

55 SECVNDO videtur, quod appetitus inanis gloriæ est malus, & illicitus. Est autem inanis gloria. Primum quando quis appetit gloriam de eo quod non est, vt si quis velit haberi sanctus, cum non sit vel sapiens, &c. Hæc enim temeraria & incōsiderata, & bonis viris repudianda gloria est. Quam Christus sapius repræhendit, cum sit in pelle ouina, cor lupinum, & sepulchrum dealbatum, denique peccatum hypocrisis. Secundò si velit gloriam ex facto aliquo: sed non digno gloriæ, vt si ex vitijs quærat laudem. Quid enim inanius, & peius? Vel ex diuitijs, pulchritudine, viribus, vel sanguine, denique ex omni eo quod non est virtus. De qua Tullius, gloriam collectam ex inanissimis splendoris insignibus contemne. Et sane tam hic, quàm primus modus inanis gloriæ ex vulgi irrationali, falsa, & incōsiderata sententia, solet oriri. Quales etiam sunt nonnullæ personæ publicæ, vt nonnulli prædicatores, & iudices & huiusmodi, qui sæpe cum reuera apud sapientes minime laude ac gloria digni iudicentur: vulgo tamen magni habentur, & nominantur. De quibus meritò dici potest, consecretantur, nullam eminentem effigiem virtutis: sed adumbratam quandam imaginem gloriæ. Quæ non est vera & solida gloria, sed veræ gloriæ resonans & imitatrix. Et hic modus ad primum reducitur. Idem enim est non esse gloria dignum, ac penitus opus non esse.

57 TERTIO ait Syluest. Si non illam ordinet ad finem aliquem honestum scilicet, vel ad Dei honorem, vel proximi, vel sui salutem, & vtilitatem. Si enim in hominum approbatione & complacentia sistat, vana erit. Cuius sententiæ dicit D. Thom. 2. 2. q. 132. & de malo quaest. 9 artic. 1. Huius ratio, est, quia hominum iudicium est incertum, & ita vanum est ab eis gloriã quærere. Sed sanè, si hæc ratio sufficeret, peccatum

vanita

vanitatis esset consilium ab hominibus petere suffragia, & approbationes ad officia quærere. Si enim eorum iudicium incertum est, vanum esset ab eis prædicta petere, sicut peccato vanitatis peccant Astrologi, & alij quos supra retulimus, qui ex incertis signis iudicia deducunt. Quod si satis est sapientium probabilia consilia, approbationes, ac suffragia quærere & admittere, vt in electionibus, & aliis huiusmodi vanitatis peccatum vitetur, non video cur gloriam & laudem quærere ex benefactis, à sapientibus viris, sit peccatum vanitatis, propterea, quòd incertum sit illorum iudicium. Cum tamen probabile esse possit. Ratio ergo meo iudicio, cur dicta complacentia, & gloria humana, sit peccatum vanitatis, est: Quia non refertur in Deum, vel in proximi salutem & vtilitatem. Quoniam cum ibi sistitur solùm intenditur delectatio: at velle delectationem sine alio fine utili, vel honesto peccatum est ociositatis, seu vanitatis. Cum homo semper agere debeat, secundum rationem. Sicut autem corpus delitiis corporaliter delectatur: ita animus factis & gestis. Velle igitur aliorum laudem & gloriam, solùm ob illam recreationem, & delectationem, pertinet ad peccatum actus vani, & otiosi. Vt enim supra dicebam, gloria nihil aliud esse videtur, quàm honoris, bonæque opinionis fruitio. Imò & ad superbiam, dum quis in illa suæ excellentiæ delectatione persistens, sui creatoris, à quo bonum habet, oblitus, nonnullam deformitatem ad rectam rationem admittit. Ac propterea est veniale peccatum, & ob id in donis spiritualibus, vt 59 moralibus, & intellectualibus virtutibus, tantò periculosius est istam hominum gloriam quærere, quantò & bona sunt excellentiora, & à Dei gratia & auxilio maximè dependentia. Vnde id voluit reprehendere Paul. 1. Cor. 4. cum dicit: *Si accepisti, quid gloriaris quasi non acceperis.* Ibi enim non videtur reprehendere eam superbiam, qua quis expressè à se bonum habere appetit: sed inanem gloriam, qua quis ita se gerit, quasi non acceperit, & propterea Ieremiæ 9. dicitur: *Non gloriatur sapiens in sapientia sua.*

SE D rogas, an sit peccatum mortale. Ang. vt refert Syluest. verbo vana gloria. quaest. 2. & verb. Honor. q. 8. quod etiam tenuit Henri. de Ganda. Quodlib. 1. quaest. 34. docent esse peccatum mortale. Quoniam ea quæ sunt ordinata ad gloriam Dei, facit quis principaliter, quo hominibus placeat, ad gloriam suam, vt sacramenta, & script. sacr. Ex quo infert esse peccatum mortale prædicare, aut Missam celebrare, & huiusmodi ob inanem gloriam.

VERVM falsa est hæc sententia, & à Syluest. merito rejicitur. Solum enim id est verum, si ibi ponatur vltimus finis, vt supra dicebam in quem se & sua refert. Quod certè non potest esse nisi in eo, qui ita ob humanam gloriam opus illud facit, quod etiam si esset contra Deum tale opus ob dictam gloriam humanam assequendam, facere non dubitaret. In hoc enim casu esset mortale quod tamen raro fiet. Neque refert, quòd actu non habeat alium finem, quàm humanum. Nam habitu non præfert Deo illum finem, alias permulti, imo ferè totus clerus mortaliter peccaret. Quis enim est qui non gloriatur, vel de sacris ve-

Tom. I.

T

stibus, vel de bona pronuntiatione, vel cantu diuinorum, de prædicatione, vel de eruditione Theologica, &c. Erit igitur mortale. Primum, vt dictum est ratione intentionis. Quia scilicet appetitur, vt vltimus finis, in quem actu & habitu omnia refert, quod, vt dixi, non est nisi dū quis est paratus Deum offendere, vt illam gloriam assequatur. Quod 88 certè in publicis spectaculis frequentius euenire possit. Quod aliter dici potest, si appreciatuè præfert honorem illum Deo. Tum enim est mortale, non autem si amore intensiuo. Quia scilicet plus complacet in illa humana gloria. Sicut casta sponsa plus estimatiuè amans Christum, plus complacet, & delectatur in complexu sponsi. Secundò ratione rei de qua delectatur: quia est mortaliter mala, vt Cyrus gloriabatur se esse Deum, Ezechie. 28. vel si gloriatur de adulterio, fornicatione, &c. Tertio, si testimonium hominum præligeret & præferret diuino, de quibus dicitur Ioann. 12. *Quod dilexerunt magis gloriam hominum quam Dei.* Et in his tribus casibus gloria humana esset mortale. Et in hoc sensu 62 Christus R. N. reprehendit hypocritas & Phariseos. Aliàs tantum veniale, vt ex dictis patet. Duo ergo explicauimus satis vtilia & quotidiana. Et quando gloria humana sit licita: Et quando veniale, vel mortale peccatum. Secundò, an quando tantum est veniale, possit esse actus meritorius. Præmissis his tribus dub. de hac re. Placet iam (vt ad institutum nostrum de restitutione redeamus) agere de lædente in honore. Nam sequenti de fama, & lædente in fama agetur.

QVINTA ergo dub. sit. *Quis sit inuictus læsor honoris, & an restituere teneatur?* Pro cuius explicatione est aduertendum, quod licet ex D. Thom. 2. 2. quæst. 72. & 73. Syluest. verb. contumelia, Cord. de detract. quæst. 1. in prin. & aliis multis plures assignentur differentie inter contumeliam, conuitium, improprium, &c. Nam contumelia est dehonoriatio palam verbis facta importantibus culpam, vt si quis alium in faciem appellet furem. Conuitium verò est generalius: quia importat dehonoriatioem etiam sine culpa, vt si cæcum, vel ex Iudæis ortu esse 63 Hispanicè *confesso*. Improprium verò est per verba, aut signa denotantia ægestatem, & id maximè si cõmementur beneficium in necessitate factum, tum iam communiter pro eodem accipiuntur. Id solum placet animaduertere, Quod D. Tho. q. 73. ar. 4. ad primum & Caiet. in ar. 1. illius q. 72. & omnes ferè adnotant, eam esse differentiam inter hæc tria ex vna parte: & detractionem, murmurationem, & susurrationem ex altera, quod hæc sunt occultè, & in absentia læsi, sicut furtum: illa verò in facie & palam. Vnde contumelia est directè ablatiua honoris, & reuerentiæ debitæ; & licet quandoque in absentia defectum illius dicat aliquis: tamen semper contumeliosus intendit, vt in eius notitiam deueniat: at detractor solum intendit famam lædere, & ita non vult, vt in eius notitiam deueniat. Iniuria verò communis est tam his peccatis linguæ siue alterius signi exterioris, quàm etiam operis, vt occisioni, vulneri, alapæ, furto, &c. de illis ergo tribus quæ pro eodè usurpamus, modo est disputandum, scilicet de contumelia, conuitio, & improprio, quæ 64 sunt directè læsiones in honore. An lædens in illis teneatur restituere? S. Tho. 2. 2. q. 72. ar. 8. & ibi Caiet. & in sum. ver. Contumelia. Ang. &

Syl. verb. Contume. q. 2. Nauar. in sum. c. 18. nu. 10. & c. inter verba, num. 220. & Cord. q. 2. concl. 8. Fatentur mortale esse peccatum, si talia verba proferantur intentione iniuriandi notabiliter, quod planum est. Peccata enim verborum ex intentione sumunt grauitatem. Et idem docet Caiet. & Syl. & Barthol. Medin. in sum. lib. 1. §. illo 35. fol. 79. esse dicendum, etiã si non intendat, si reuera aufert suo facto, quod impedire, cum deberet, non curauit. Reddit enim actus in naturã suę formæ cum mea culpa datum sit damnum. Secundò e contra fatentur, non esse peccatum quando dehonoriatio fit gratia correctionis. Vnde Christus Apostolos stultos, & tardos ad credendum appellauit. Et Paulus: *O insensati Galatae,* &c. Sed dub. est quando nec cum intentione lædendi, nec secundò ita purè correctionis causa: sed admiscetur ira, & despectus in proferendo. Et sanè et si fateantur omnes esse veniale, quando excessus est leuis in 65 obiurgatio: tamen quãdo graue quid effatur, vt si ira concitus illum latronem aut ebrium appellet, Iudæum vel hæreticum, maior dubitatio existit Syl. enim & Cord. con. 8. & Nauar. docent esse peccatum mortale, si ex verbis & modo loquendi, cum ira & despectu fiant, cum proximum notabiliter contristent, & iniuste. Quia vt supponimus, nec est superior, vel si est, in eo tamen excedit, notabilem in proximo tristitiã, & pudorè causando. Reuera enim nihil est magis proximo debite charitati contrariu, quàm illum contristare, quod præcipuè fit verbis contumeliosis, ira & despectu prolatis, & ita vix à peccato mortali excusarem eum, qui iratus alteri dixit eo quod debitum differret post multas soluendi promissiones fictas: Non pluris facio tua verba, quàm si iumentu loqueretur. Hæc enim grauius dehonestant & contristant. Quare sibi 66 consulere deberet homines malæ linguæ, quos sæpè & grauius peccare in hoc genere existimo. Deberent autem consulere! Aug. dicentè: *Quis speret fratres vitã eternã, cum veritas dicit. Qui dixerit fratri suo Racha, &c.* L I M I T A T tamen Syl. q. 3. Cord. & Nauar. supra dicti. Quod scilicet nõ erit peccatu mortale, si correctio sit principalis causa impropriandi. Tunc autè dicit esse principalè causam, quando remota hac nõ inferret iniuriã. Sed id mihi nõ placet. Nã reuera, si notabiliter excedit, proximu cõtristado, nõ excusabitur à mortali. Siquidè iniuste notabile dolorè, & tristitiã infert, sicut si notabiliter noceret punitione corporali, non excusaretur, quod causa principalis fuisset correctio, ita vt tale damnum nõ intulisset, nisi occasione correctionis. Id enim nõ iustificat excessum: sed si excedit leuiter erit veniale, si notabiliter mortale. Aliàs daretur ansa dominis respectu seruorũ, patribus respectu filiorum, prelati respectu subditorum, & maritis respectu vxorum, prætextu correctionis quemcunque excessum & iniuriam inferendi. *Omnis* inquit Cicet.) *animaduersio & castigatio contumelia vacare debet.* Vnde bene 67 Caiet. ac Nauar. non excusant hos prelatorũ excessus, nisi quando Spiritus sanctus id ipsum suggerendo inspirat, ac D. Tho. ex Aug. id raro absque peccato fieri solere docet. Videat ergo iudices, præcipuè seculares, qui insolenter conuiciantur subditis, &c. Vbi hoc animaduerto non solu peccare eos nimis grauius vitiũ corrigendo, verũ quando de aliis vitiis

improperant. Quorū tamen correctio non intenditur, vt si de latrocinio esset reprehendendus, & diceretur ebrius, vel Iudæus. Hoc enim planè peccatum esset graue. Cum enim de eo vitio non agatur eo tempore, iā non vt iudex, sed vt priuata alia persona dehonestat subditum in eo, in quo non est subditus, nec eius foro subiectus. Quod Nauar. annotasse videtur in d. nu. 10. Certè in hoc animaduertere deberent confessarij, vt homines à conrumeliosis verbis deterrerentur. Nam reuera omnium malorum velut seminariū in repub. sunt: & certè non miror. Nihil enim est quod magis optimum quemque virum tristitia, & dolore afficiat, quàm iniusta impropria audire. Et proportionabiliter iudicandum est de irrisione, subsannatione, &c. vt Cord. in d. con. 8. docet.

95 **S E X T A** dubitatio sit. Quid & quomodo pro talibus iniuriis sit restituendū? Caiet. 2. 2. q. 72. ait 3. putat nō teneri ad petendā veniam: sed solum ad satisfaciendū honori. Quomodo verò satisfactio hæc fieri possit sine humiliatione sui per verba vel alia signa petendo veniā, nō explicat. Posset tamen dici, quod honorando illum quē dehonestauimus per signa solita honoris, vt caput ei aperiendo, vel per interpositā personam, &c. Verum Syl. q. 4. ex Nicol. de Lyra, & Restitutio. 7. q. 1. docet, quod teneretur iniuriato satisfacere cognoscendo per se, vel interpositā personā apud læsum suam culpā: nisi scandalū, vel periculū sit, vel signa æquippollentia ostendere: nisi cōprehendat sibi esse remissum. Quia cū

96 eo redit & huiusmodi, & Med. d. §. 35. hoc ipsum docet, & Abulē. super 5. c. Matth. ad eū locum. *Si offers munus tuum ad altare, &c.* Sed verius videtur, quod Caiet. docet. Satis enim reparat honorē ablatum per alios actus, absq; genuflexione, vel veniæ petitione, quod etiā docuit Pedrazapræcept. 8. §. 10. Couar. 2. Var. resol. c. 10. nu. 7. Cor. mēb. 4. de detract. q. 3. concl. 11. Angles in flor. Theol. 4. sen. q. de Rest. honorū tēp. ar. 1.

97 **S E D** an idiplum teneatur facere superiores excedētes in correptione vt prælatus, & paterfamilias. Syl. docet teneri si iniuriā fecit ex proposito, seu liuore vindictæ, quod planum est, & Med. d. §. 35. Porro ego iuxta supradicta distinguendū censeo. Quoniā, si excessus est leuis, non teneretur: si verò grauis, non video, quomodo excusetur. Si enim iniuste læsit, & notabiliter, cur nō teneatur l. iustitiæ satisfactiōē facere? si nō per se (quia non decet superiorē humiliari subdito) tamen per alium. Quemadmodū si corporaliter læsisset excedens iustā punitionē, teneretur ad restitutionē damnorū. Maximè, quia vt Caiet. & Pedraza docēt, nō potest veniā humiliter petere, aut genuflectere, & similia subiectionis signa, ostēdere: sed satis est, vt secundū illius statū & dignitatē debitū honorem exhibeat, quod facere potest, & debet sine dedecore, & sic honorē ablatū restituet, quod apertè docuit Cord. in hac specie de detract. q. 3. cōc. 11. siue sit prælatus à subdito: pater à filio: vir ab vxore: dominus à seruo: magister à discipulo, &c. pro qua sentētia citat D. Tho. & Florent. 2. par. tit. 2. c. 2. §. 3. Raynu. & Durād. in summ. Minus tamē meo iudicio sufficeret in superiore pro satisfactiōe, quàm in æquali, vel inferiori. Sicut enim ex dignitate personæ iniuriatæ, & paruitate iniuriātis crescit iniuria: ita cū læsus est inferior, & læsor, maior, minor est iniuria, & tanto

satisfactio maior, quantò satisfaciens maior. Siue ergo quia iniuria à prælato facta fuit minor, siue quia eius satisfactio est maior, & vtrumque ratione suæ dignitatis non idem satisfactiōis genus à prælato, quod ab alijs est exigendum, Satis ergo facit si seruata dignitate personæ suæ læsum placare studeat, vt in hac specie Angles adnotauit.

98 **CAIETANVS** verò limitat suam opinionem opusc. 16. R. R. 13. dubitatio. 5. vt scilicet vera sit, quando petitio veniæ, non est pars restitutionis. Si enim esset pars teneretur (inquit) eam petere, quod arbitrio boni viri dicit esse relinquendū. Et ira docuit Sor. lib. 4. de Iust. quæst. 6. art. 3. in respon. ad quintum, & Cord. in d. conclu. 11. Nam quandoque contumelia est tanta, vt ultra petitionem veniæ amplius requiratur, & econtra aliquando non tanta requiritur satisfactio. Non enim decet prælatum à subdito veniam petere, aut genua flectere, & similiter nec plebeius homo iuste ab illustri tantam satisfactiōem exposceret, sed aliter potest restituere. Imò inter illustres non est hic mos veniā petendi, ac per hoc non sunt cogendi à confessoribus eas petere: sed aliter debitam reuerentiam exhibere. Modus verò satisfactiōis est, vt si fuit contumelia secreta, sufficiat secreta satisfactio, si verò publicè fuit illata, vel secreta in publicum venit: dicit Syluest. quæst. 5. quod teneretur publicè satisfacere. Probat ex Paulo Acto. 16. Qui noluit occultè liberari, sed publicè, quod laudabiliter seruatur ab inquisitoribus, qui publico honore innocentes liberant. Sed non mihi videtur esse necessarium: vt is, qui publicè læsit, per se ipsum publicè veniant petat satis est per amicum, vel confessorem, vel aliam personam, publicè tamen, honorem reddat, vt Cordub. dicit in dicta concl. 9. Denique si cōuitiando falsum dixit, non satis est veniā petere, sed se meritū fuisse (inquit Syluest.) dicere debet, de quibus infra latius. Addit autem Angles concl. 3. quod si iniuria irrogata leuis fuit, & satisfactio potest

99 integrè & sufficienter fieri per veniæ petitionem, teneretur contumeliosus ad petendam veniam, quod non omnino probo. Quia licet integrè, ac sufficienter illa via honoris læsi atque sublatis reparatio fiat, tamen si alia via reconciliatio, & satisfactio fieri potest, non est quisquam cogendus ad hunc satisfactiōis modum, vt constat. Non enim restitutor ad aliud teneretur, quàm vt æquale reddat, ac ablatum fuit, quauis via id efficiatur. Adde, quod regulariter loquendo præcipua, ac sufficiens reconciliatio fit per genuflexionem, aut veniæ petitionem errorem agnoscendo, quamuis aliquando non sufficiat, sed alia requiratur, vt si colapho, aut fuste percusso dicas te id fecisse circumstantium fauore, magis quàm tuis armis, aut viribus confusus, vel quia illum inermem vidisti secluso mendatio, vel si à loco discedas, vbi iniuriam passus habitat. Illud autem, quo Pedraza docet in sum. præcepto 8. §. 10. & Ant. 2. p. ti. 2. c. 2. §. 3. quod referunt ex Duran. in sum. probaréque videntur, quod in expresso docuit Cord. q. illa 3. cōc. 11. Syl. q. illa 4. scilicet quod si læsus contumelia, familiariter conuersetur cum iniuriante, iā videtur eam remittere secūq; reconciliare, & consequenter ad restitutionem non teneri. Hoc inquam tam falsum est iudicio meo, quàm suaue cōtu-

meliosis iniquissimisque hominibus. Certè quamuis cum omni genere peccatorum non rigore est utendum, quo debebamus, sed potius misericordia, quæ illis nulla debetur: tamen cum hoc genere insolentium hominum rigidè quo curentur: non leniter, quo deteriores fiant est agendum. Ego sanè minimè verum puto, quod ob id quod cum ipso familiariter agas restitutionem honoris tui remittas. Multi enim vel quia 93 simul viuunt, cum iniuriatore, vel quia eo indigent, vel certè sapientia quadam, ut notam vel scandalum vitent, dissimulant. Hos, ego non dixerim ob eam conuersationem, iniuriæ satisfactionem remittere. Cum ipsi maximè cuperent eis satisfieri, cum huiusmodi iniuriæ plus pœnæ afferant, & doloris, quàm rei familiaris ablatio, quàm certè constat, non ita facile condonari à creditore. Aliàs ostium aperiretur superbis, atque insolentibus iniuriæ ac contumelias inferendi, si tam facilè ac suauiter essent in satisfaciendo tractandi: vnde à vero longè abesse prædictam sententiam in foro conscientia existimo, licet in foro exteriori aliter iudicaretur ac præsumeretur. Nisi ergo sponte iniuriatus accederet, expressa ac manifesta remissæ contumeliæ signa præbens, valdeque familiariter ac iocosè cum læsore agens, non putarem esse liberum à restitutione, & debita satisfactione iniuriatorem. Et ob id scitè Syl. & alij vbi supra docent, nisi comprehendat ibi assè dimissum, quia cum eo redit, &c. non esse liberum: Quis est enim qui (quo omnes vehementer natura ducimur) nolit sibi honorem iniuste ablatum restitui, & exhiberi? Quis non gaudeat suam cognosci innocentiam secumque irrationabiliter, cum ipse tamen modestè se gesserit, esse actum?

94 Quis tandem, qui nolit suam dignitatem in alterius insolentia, & iniquitate retinere? Non igitur, quia iniuriatus se humanè gerat: Tum in perferenda iniuria: tum in dissimulanda: Non quia se non iudicio, & ratione, sed vi, & oppressione euertere conanti, non resistat, cum reuera illius temeritati virtute & animo resistere posset, non inquam ob id peioris conditionis esse debet, debitoque erit sibi honestissimoque honore cariturus. Non igitur nos Theologi in hac parte insultantibus ac cõtumeliosis hominibus fauere debemus: nec ita liberales in remittenda restitutione iure naturali debita misero iniuriato, atque oppresso, sed ita iudicare, ac si nos ipsi acerbitatè, & iniuriã accepissemus. Nemo enim nostrum est, qui graui percussus iniuria, non aliquo modo leuaretur dolore. Si vel ab iniurioso venia peteretur, vel aliter honos ablati restitueretur. In ijs verò quis erret, intelligat aliud esse iniuriã, id est, odiũ ex animo remittere, ad quod Christianus tenetur: aliud honoris iniquè ablati reparationem ac restit. cupere, quod licitum est, ac necessarium. aliud tandem vindictam, in iudicio exigere puro animo, quod licitum est, non tamen necessarium sapèque cum liuore fieri solet, at naturæ disputatio longe ab ijs abest, ut patet.

S E P T I M A difficultas sit utrũ qui alteri obijcit crimè etiã publicũ teneatur actione iniuriarum, & ad rest. Sane si animo offendendi facit, manifestũ est mort. peccare. Pertinet enim ad iniuriã improprij, seu cõuitij, ut Cord. docet de sigillo mèb. 4. quid est de Detrac. q. 3. cõc. 4. Secundo

Secũdo manifestũ etiã est, quod si scilicet iusta causa poterat reuelare, ut quia crimè est probabile, ut inf. dicemus, licitum est illi reuelare ad pub. vtilitatem, vel ad vitadũ damnũ tertij, &c. si non ex illa iusta causa, sed ex odio reuelet, licet peccet, non tenetur tamè restit. ut ibidem Cord. fatetur. Sicut nec iudex ex odio occidès, licet peccet mort. cõtra 96 charitatè: tamen restit. non tenetur ex quo iusta causa dãnari potest ad mortè, licet ipse nõ ex illa, sed ex odio. Difficultas igitur in eo posita est. An si quis ita crimè alterius illi obijciat, ut dolo & nocendi animo faciat teneatur rest. Videtur enim quòd teneatur. Tũ quia ut multi docèt quos retuli supra c. 2. etiam ex claris Theologis, qui aliquem à religione auertit animo nocèdi tenetur restituere, cũ tamè sine illo animo nõ teneretur. Item ut c. 7. infra ex multis alijs narrabimus inter quos plane videtur D. Th. Pal. & alij plures, qui aliquè impedit à cõsecutione beneficij animo nocendi, tenetur ad rest. idq; apertissimè decernitur in §. Denique Marcell. ff. de Aqu. plu. l. 1. Vbi si quis fodiès in suo fũdo nocèdi fecit. Igitur à simili, qui alteri suũ dedecº pponit, intèntione iniuriãdi tenebitur actione iniuriarũ, & per cõsequēs ad restit. etiã si aliàs secluso illo malo animo nõ teneretur, ut dictũ est. Cui sane sententiã 97 subscribit Adri. Quodl. 11. in 6. diff. Cyn. in l. Si nõ cõuitij. C. de Iniur. q. Oldral. consil. 53. Ludo. de Racio. consil. 99. Anchar. consil. 22. Panor. in c. Cum re, de Sent. & re iud. cuius etiam sententiã videtur Bar. in d. l. si non cõuitij. Cũ dicit hãc l. inuenisse vltra montanos ad firmadã hanc sententiã. Clarè si quidè videtur fũdari in ea l. quod si quis pbare potest, se quid iniuriosum dixisse sine conuitij consilio, seu animo fides veri illum à calũnia defendit, igitur à contrario sensu, si fides veri non defendit, quia probare non potest, an animo nocendi dixisset, tenebitur actione iniuriarum. Vnde cùm Fabianus Rom. Pont. in c. Si quis iratus, secunda quæst. 3. scribens ad Hilarium Episcopum, sic dicat. *Si quis iratus crimen aliquod cuiuslibet temerè obiecerit conuitium non est pro accusatione habendum. Vbi ait glos. Sed habetur pro iniuria.* Idque maximè, si ex deliberatione conuitium locutus est. Ut patet 11. quæst. 1. c. si quis sacerdotem, & ff. de Iniur. l. Item apud §. 1. Vbi annotatio Gregorianæ edi- 98 tionis explicat prædictam glossam intelligendam fore, quando ita obijcit conuitium, quod probare non potest, aut non vult. Quasi tum præsumatur non bono fine: sed iniuriandi fecisse. Quod apertè sensit Gaius Papa in Epist. vnica ipsius. *Si quis (ait) non probanda detulerit, id est, (quæ non est probaturus: siue quia non potest, aut non vult) auctoritate huius sanctionis, ut damno pudoris, & existimationis dispendio discat sibi aliena verecundia impune insidiari de cetero non licere.* Et ita seruare videtur communis praxis. Nam qui aliquid iniuriosum proximo dicit, punitur cùm præsumatur consilio contumeliæ fecisse: nisi contrarium prober. Denique si non excusat veritas dicti, cùm aliquem stultum appello aut Iudæum: multò minus excusabit, cùm crimen obijcio illius.

V E R V M T A M E N mihi planè videtur nullam fore restituendi obligationem: Si enim tale crimen iusta de causa reuelari poterat, licet 99 peccet

peccet contra charitatem ob nocendi animum; tamen reuera non nocet. Sicut nec iudex reuera nocet condemnando, licet malo animo faciat. Et idem docuisse videtur Adrian. vbi supra. Et planè sentit Cord. in d. concl. 4. Quamobrem prædicta, ex iuris peritorum legumque sententia, locum habet ante sententiam. Fatemur enim quod obijciens crimen, si non probet se sine nocendi consilio fecisse puniendum fore actione iniuriarum. Actionem verò pœnalem nullus tenetur subire ante condemnationem. Illud videtur verum, quod si statim ac conuicti obiecit deserat & probet eum, veritas dicti excusabit à pœna iniuriarum, non quia verum dixit dumtaxat, sed quia præsumitur non animo nocendi fecisse: sed bono fine, ac si à principio accusasset. Vnde meritò docuit Adri. vbi supra. Et Cyn. ab eo relatus. Quod qui libellum famosum edidit, si modo statim deserat, & probet, euadet pœnam iniuriatoris. Licet aliqui contra senserint. Et ita viderur apertè decerni in l. vnica C. de Libellis famosis, cùm dicit, sufficere veritatem probare, & non requiriri, vt probet se ex rationabili causa libellum famosum sparsisse. Sed hæc cum ad iudiciale forum pertinent, non placet amplius discutere.

100 OCTAVA dubitatio vtrum homo teneatur sustinere contumelias? Respond. primo non teneri, quando ex tali patientia parui penderetur à populo, vt in illustribus, & ingenuis supra diximus, cùm de honoris defensione ageremus. Quamuis salutare esset consilium. & Christi humilitati conformius, vnde clerici & religiosi eas tolerare tenentur, vt ibi diximus. Secundò non tenetur quando id esset necessarium ad reprimendam alterius audaciam. Tunc enim ob bonum ipsius iniuriantis fit. Est etiam velut genus fraternæ correptionis, iuxta illud Proverb. 28. *Responde stulto iuxta stultitiam suam*, id est secundum quod eius stultitia meretur. Tertio quando ex patientia mea aliorum profectus impediretur, vnde Greg. hom. 9. super Ezech. ait: *Hi quorum vita in exemplo imitationis est, debent si possunt detrahentium sibi verba compescere, ne eorum prædicatione non audiât, qui poterât, & ita in prauis moribus remanentes, bene viuere contēnât.* Sæpius enim patientia nostra occasio esset peccati alterius, qui malitia sua ea abutitur, & tum melius est ob illorum bonum eos reprimere. Vnde est illud Ciceronis in Catilinam. *Quousque tandem abutere Catilina patientia nostra? ad quem finem sese effrenata iactabit audacia?*

102 TANDEM dubita. est, vtrum teneamur contumelias remittere. Lege Cord. in sum. q. 58. qui docet. Primum teneri iniuriarum ad deponendum odium, ita vt non desideret, vel procuret, vel deleatur de malo proximi, animo vindictæ, quamuis hoc desiderare & procurare zelo iustitiæ, & autoritate & publica licitum sit. Secundò docet, quod non potest loquelam auferre, & signa dare inimicitæ, vt cùm ei occurrat, toruis eum aspiciendo oculis, vel aliò iter faciendo, ne illi occurrat, & similia, quibus illi & cæteris significat, quod eum odio habet. Ita Cord. ibi, & glos. in cap. Cum Adrianus. 64. dist. Panormit. in cap. Repellatur. de accusat. Vide eundem Cordub. quæst. 27. quæstionarij Ricard. in 3. d. 30.

3. d. 30. artic. 1. quæst. 1. Thom. 2. 2. quæst. 25. art. 8. & 9. & quæst. 34. art. 2. & 3. & ibi Caiet. & quæst. 108. artic. 1. & Sco. 3. d. 30. & ibi Dur. Ant. Florent. 2. part. tit. 2. cap. 2. §. 1. & tit. 8. cap. 3. §. 2. Abul. Matth. 5. quæst. 60. vsque ad 70. & 124. Gab. in can. lect. 73. & 76. Syluest. Charitas q. 6. & in aurea rosa q. impertinent Casu 65. Couar. 2. Varia. c. 10. nu. 7. gloss. in cap. Si quis contristatus. 90. distinct. & 23. quæst. 4. si illic: & c. Cum in lege quæst. 5. cap. de occidendis, & 11. quæst. 3. c. Inter verba. Ioseph. Angles in floribus 4. Senten. q. de Rest. honoris, conc. 4. quod longè prosequi non est huius loci.

SECUNDA PARS DE

ledente in fama.

FAMA detractioe læditur. Est enim detractio, vt S. Thom. docet 2. 2. quæst. 73. artic. 1. & doct. ex illo iniusta denigratio famæ per occulta verba. Ita Syluest. verb. detractio. Adrian. Quodlib. 11. in 1. supp. 104 Cord. de detract. quæst. 1. in princ. Pro intelligentia dicendorum notandum est, quòd detractio, & murmuratio, imò & susurratio idem sunt: quamuis susurratio, vt D. Thom. dicit quæst. 74. speciale quid includit, scilicet intentionem lædendi amicitiam. Itaque cùm denigratur fama intentione seminandi discordiam inter aliquos susurratio dicitur, derisio etiam ad hoc reducitur. Differt enim solum ex intentione à prædictis. Fit enim ad erubescendum in aliquo generandam. Igitur in conuitio seu contumelia honos lædi intenditur, in detractioe seu murmuratioe, fama, in susurratioe, amicitia, in derisioe erubescencia intenditur. Subsannatio verò, & illusio sunt idem secundum speciem cum derisioe, & secundum finem, nisi quod derisio fit verbis, vel cachinno: subsannatio verò fit rugato naso, illusio autem fit factis. Hic ergo præcipuè de detractioe, & murmuratioe disputare intendimus, cætera latius Cord. vbi supra. Secundò animaduertendum famam multipliciter lædi iniuste, sed præcipuè duobus modis. Primò imponendo falsum proximo. Secundò reuelando verum, sed occultum. 105 Quando enim vel verum peccatum publicè augetur, & similiter quando peruertitur proximi intentio, & in malam partem confertur, quod sæpius fit, est etiam detractioe genus, sed ad primum modum reducitur, cum falsum imponitur, vt Syluest. tangit ver. detractio in princ. Adde, quòd in vnoquoque genere prædicto infamandi, potest triplex modus cõtingere, scilicet aut sola intentione nocendi famam, cum tamen re ipsa nocumentum non sequatur, vel quia sciebant iam antea audientes, vel si non adhibent fidem detractori, vel si is, cui detrahitur est in se infamis, vel ita vilis, vt nil perdet, &c. Et hæc ab aliis dicitur detractio formalis tantum, alia per oppositum dici solet detractio metalis, quando scilicet sine intentione nocendi ex incuria, negligentia, loquacitate, &c. proximi fama læditur, qui detrahendi modus communior est in praxi, valdeque perniciosus. Sane vtrumque

esse peccatum, & in re graui mortale nullus doctorum dubitauerit, 106 vt infra latiùs ostēdemus, & in specie docet Caiet. in sum. ver. detract. Cord. q. illa 2. conc. 5. Syluest. detract. Armil. detractio. §. 4. Gerson alphabeto vigesimo nono litera E, & quidem de primo modo certissimum est. Cum peccatum præcipuè in voluntate consistat. Vnde sicut intentio furandi etiam si re ipsa non perficias, est peccatum mortale in re graui, ita animus denigrandi famam proximi, quæ pretiosior est diuitiis, peccatum sit necesse est. De secundo etiam ex eo constat, quia quando ex meo actu proximus notabiliter læditur à peccato mortali excusari non potest, etiam si directè non damnum intendat, siquidè interpretatiuè damnū consentit. Qui enim causam damni dat, &c. ea tamen est differentia quæ vt infra dicā, in primo casu restituendi obligatio nulla est, at in secundo existit. Tertio animaduertendū, contumeliam à detractioe, specie differre, cū longè distinctæ sint iniuriæ, & distincta auferant bona. Vnde qui in alterū profert contumelias animo infamandi, peccat duplici malitia specie distincta, & tenetur cōfiteri circumstantiā detractiois, vt Nauar. docet c. 18. num. 12. & Cord. q. illa 1. verfi. Et nota. Honor enim & fama bona sunt specie differentia, vt ex dictis patet. Fama enim est bona opinio, & honor est reuerentia exhibitā. Vnde sæpe homines bonæ famæ contumelijs affici solent, licet iniuste, qui quamuis honorem perdant ob talē iniuriā, sed non famam. Quare peccata specie distincta sunt. Et sanè quādo econtra fit, vt quis occultè detrahat famā lædendo, cū intentione dehonoriandi, sine controuersia verissima est Nauar. sententia. Plurimā enim addit malitiam velle in faciem dehonore, vltra ipsam occultam murmurationem.

QVARTO suppono, quod infamare Deū aut sanctū aliquem canonizatū aut creaturā aliquā rationalem prout creatura est Dei, non tā est detractio, quā blaspheemia. Ita docet Nauar. 17. siue fiat animo detrahendi eorum gloriæ, & famæ atq; honori, siue ad deridendum, vel iocandum. Verū antequam aggredior dicere de infamante alium publica authoritate placet pauca præmittere de infamante seipsum.

PRIMA igitur dubitatio sit, vtrum infamare seipsum sit peccatum mortale. Et primo certum est, quod si iusta & rationabili de causa fiat, non est peccatum mortale sed meritorium esse potest, vt cum quis cōfessori suo peccata manifestat, vel etiam extra cōfessionem ad capiendum cōsiliū, siue à Theologo, siue ab aduocato, siue à medico, siue ab amico quocunque, denique si ad maiorem sui humilitatem & proximorum ædificationem faciat. Sic sanè fecit Aug. in lib. Confes. & Ansel. scripto sua peccata relinquens & cū amissam virginitatē lamentabatur. Sic multi sancti viri nostro tempore ad maiorem sui spiritualem profectum, humilitatem & pœnitentiæ exemplum. Vnde in religionibus quibusdā sanctissimus seruatur vsus, vt religiosi cū approbatione tamen superioris suos defectus tam culpæ, quā naturæ publicè coram alijs & voluntariè referant. Sic fit, vt inania splendoris insignia, terrenamque ac vanam apud homines gloriā fortiter contemnant, tanto sapientiores ac beatiore effecti, quantò veriorem in oculis Dei

Dei sui gloriam & Christi humilitatem magis sectantur. Sicut ecōtra elati homines leuitate, inaniter exultantes, ac temerè gestientes, tanto profecto, (vt gentilis quidam dixerit) sunt miseriore quanto sibi videntur esse beatiore. His igitur & similibus causis exceptis quæritur: An sit peccatum mortale seipsum infamare.

CAIETANVS in sum. verb. detract. & 2. 2. q. 73. art. 2. etiam si fiat metu tormentorum putat esse peccatum mortale & grauius, quā alterum infamare. Per omnia enim idem iudicium esse existimat, ac de occidente se. Homo enim (ait ille) non est dominus famæ, sed non tenetur eam conseruare propter Deum & commune bonum. Sicut nec est dominus vitæ & membrorum. Vnde sicut nullum tormentum excusat à vulneratione, & occisione sui, ita, &c. Ac per hoc si falsum sit, quod dicit, peccat duplici iniquitate. Primum ob infamationem sui. Secundò ob mendacium perniciosum in iudicio. Adde, quod facit contra diuinum præceptum, quo præcipimur curam habere de bono nomine. Et ita colligit, quod tenetur Ecclesiæ cuius est membrum ad restitutionem suæ famæ. Opponitur enim ex hac parte sui infamatio, iustitiæ, quæ est ad alterum. Et eiusdem sententiæ videtur Syluest. verb. detract. q. 3. Docet enim quod in extremo tenetur quis reuocare, quod de se falso testificatus est. Si ergo sibi famam restituere tenetur, peccasse illum sensit Syluest. contra iustitiam commutatiuam. Et hæc videtur fuisse eius sententia, licet obscurè satis loquatur. Et vt Nauarr. refert in sum. c. 18. nu. 18. eiusdem sententiæ est. Anto. 3. p. tit. 8. c. 4. §. 1. Hæc sententia tribuitur glos. in ca. 15. q. 5. Sed illa nihil de hac re habet. Eam tenet planè Pedraza in sum. præcepto. 8. §. 1. Armil. verb. detract. §. 4. Maior, in 4. quæst. 22. col. 5. Panor. & Felin. in cap. 1. de Test. cog. Ioan. Lup. in tract. de regno Nauar. 3. par. §. 2. & in reper. de Don. inter vir. & vxo. §. 70. num. 4. Palud. in 4. d. 21. quæst. 2. art. 3. conclu. 4. Soci. in rep. super cap. Ad audientiam de Homicid. Possumus probare hanc sententiam ex August. relato in cap. Non sunt audiendi in quæstione 3. *Dicunt coram Deo sufficere sibi conscientiam, existimationem hominum non solum impudenter, verum etiam crudeliter contemntes, cum occidant animas aliorum siue blasphemantium viam Dei, quibus quasi turpis, que tamen casta est, displicet vita sanctorum, vel cum excusatione imitantium non quod vident, sed quod putant.* Vnde concludens, ait. *Nobis necessaria est vita nostra, alijs fama nostra.* Peccatum ergo est contra iustitiam, vt Caiet. ait. Quia delinquit se infamans contra Ecclesiam, & Deum & republ. quorum est sua fama. Et certè clarius id ipsum mihi videtur docuisse Aug. lib. 1. de Ciuit. Dei c. 2. *Porro si falsi testimonij nõ minus reus est, qui de seipso falsum fatetur, quam si de proximo id faceret, &c. cum in eo præcepto quo falsum testimonium prohibetur aduersus proximum prohibeatur, quanto magis intelligendum est non licere seipsum occidere?*

CONTRARIAM tamen sententiam tenet Sot. lib. 5. de Iust. q. 10. artic. 2. versic. *celeberrimum*, & lib. 4. quæst. 2. artic. 3. & q. 6. de regendo secret. memb. 1. conc. 3. Nauar. c. 18. num. 28. Adria. in 4. quæst. de rest. famæ quæst. 35. & Quodlib. II. pag. 17. & videtur senten. D. Thom. 2. 2.

quæst. 73. art. 4. ad primum. Couar. lib. 3. Variar. resolut. cap. 2. num. 8. Cord. memb. 4. de detract. q. 3. conclus. 14. dub. 1. Versic. *Respondeo, secundum Adri. & dub. 2. per quatuor puncta*, & latius memb. 1. illius tract. quæst. 3. conclus. 3. Angles in 4. de restit. fam. dub. 2. diffi. 2. Hi inquam fatentur non esse genere suo peccatum mortale, sed prodigalitatem quandam, per omnia idem iudicantes de honore & fama, ac de diuitijs, & bonis fortunæ. Vnde sicut in aliquibus casibus diuitias prodigere est mortale, sic de fama propria censendum putant. Quorum quidem opinio simpliciter accepta, mihi magis probatur. Sed tamen, quoniam nonnulla sunt etiam apud hos doctores, quæ examinatione, & limitatione indigent, placet per puncta & conclusiones de more veritatem explicatius tradere.

114 PRIMO igitur asserimus, non esse illicitum, imo quandoque opus meritorium magnæque virtutis atque constantiæ proprios defectus tam culpæ, quam naturæ ob rationabiles fines propalare, uti in principio huius difficultatis probatum est, quem finem habuisse videtur Ambros. si vera est de eo historia. Qua fertur scæminas in cubiculum inclusisse, ut illa infamia fugeret Episcopatum & hoc constat, tum ratione, tum exemplo clarissimorum virorum, non modo Christianorum, sed externorum qui inanem & popularem famam & gloriam celeriter neglexerunt, cumque rectè facerent & sentirent, nihil de fama male, aut turpiter facti pertimescendum putabant, conscientiamque benefactorum maximam esse consolationem, & infamiæ & rerum incommodarum arbitrantes, omnia collecta ex inanissimis splendoris insignibus contemnenda, breuia, caduca, fugacia existimantes. Et hoc omnes fatentur.

SECUNDO putamus falsum docuisse Caietanum, & eos, qui sicut vitæ, ita & famæ arbitretur hominem dominum non esse. Cõstat enim sui homicidium, & mutilationem seu vulnerationem ita esse mala, ut 115 nulla priuata autoritate nisi Deo reuelante in se manus tales iniicere liceat, quod cum omnes fatentur, tum potissimum præclare, & copiosè prosequitur August. 1. de Ciuit. Dei à cap. 17. at seipsum infamare, etiam si quod non feceris (secluso tamen mendacio) fecisse ostentes, fieri potest bono aliquo fine, ut supra ostensum est. Magis ergo domini sumus famæ, quam vitæ. Item se occidi permittere, cum facilè vitari posset, illicitum est, ut supra ostendimus, at famæ bonique nominis iacturam perferre libenter, etiam si pro te respondere possis, non modò non est illicitum, sed altissimum virtutis opus, exemplo eius, qui cum malediceretur, non maledicebat, qui cum falsa testimonia iniquissima audiret, nihil respondebat, ut literis Euangelicis traditur. Et ut Isaias ait. 116 *Tanquam ovis coram tondente se obmutuit.* Vnde & perfectionis opus à sapientibus (sapientia, inquam, Christi) iudicatum est nolle se defendere, & excusare, cum possent suam declarare innocentiam, & virtutem, quod videretur probare Pau. dum dicit: *non vos defendentes, sed date locum ira.* Quare vituperatione dignos putamus nonnullos Christianos qui gentilitate magis, quam Christi amore ac cognitione (cognitione

ione inquam practica) grauer reprehendunt, imo irident religiosos viros aliòsque Christi humilitatis amatores, eo quod docent melius esse, & sanctius se non excusare, & defendere, cum possint, dicentes brutis esse similes, non hominibus, rationeque vrentibus, quos oportet rationem reddere sui, suorumque factorum. Hæc inquam sapientia est huius mundi, quæ stultitia est apud Deum. Etsi enim fateamur libenter, quandoque opus esse pro se respondere, ac suam innocentiam 117 manifestare, cum necessitatis tempus instat, vel scandalum ex taciturnitate imminet, vel damnum notabile sibi, vel tertio: tamen cum solum illius bonæ existimationis apud homines iactura timetur, sanctissimum est religionis opus Christi exemplum sanctorumque virorum sequendo, virtutes atque innocentiam cõtegere; vitia detegere. Quod gentiles ipsi lumine tantum rationis ducti obseruabant, ne nimis insolcerent, inanique bonorum factorum lætitia efferrentur. Igitur in hominis potestate est honoris, & famæ iacturam facere, magis quam vitæ. Cuius certè iacturam voluntariam, nisi violentia illata pati non licet. Vnde sanctissimum est illud consilium, quod in religionibus quibusdam habetur. Quod quemadmodum mundani homines, quæ mundi sunt sunt, diligunt, sequuntur, & quærunt magna cum diligentia, honores, scilicet, famam, magni nominis existimatione in terra, &c. sic qui procedunt in Spiritu, & serio Christum dominum sequuntur, amant, 118 & ardent exoptent, quæ ijs omnino contraria sunt, &c. Præterea id ostenditur illa ratione D. Thom. supra à me allata, qua probat hominem non esse propriæ vitæ dominum 2. 2. q. 64. artic. 5. ad 3. *Quia (inquit) homo constituitur sui ipsius dominus per liberum arbitrium, & ideo licite potest homo de seipso disponere quantum ad ea, quæ pertinent ad hanc vitam, quæ hominis libero arbitrio regitur, sed transitus de hac vita ad aliam non subiacet arbitrio hominis, sed potestati diuinæ.* Cum igitur honor & fama eorum sint, quæ ad hanc vitam pertinent, sicut bona fortunæ, sequitur, &c. Vnde ipse D. Thom. quæst. 73. artic. 4. ad primum inquit. *Sui arbitrij est detrimentum fama pati*, &c. Adde, quod honor & fama sunt hominis propria bona. Quippe quæ proprio labore, vel industria parta, & aucta, sicut externa bona. Est ergo sui arbitrij illa impendere, 119 nec vlli iniuriam in hoc facit. Aliter probat Sot. hanc conclusionem lib. 4. q. 2. art. 3. post 3. concl. & q. 10. cit. *Quia (inquit) tanta vis pecunie esse posset, ut æquaret, & superaret valorem famæ. Quia ad humanos vsus plusquam fama, tanta pecunia valeret: sed homo est pecunie dominus, ergo, &c.* Verùm falsum supponit hæc ratio. Ut enim infra probabimus, fama nullo pretio æstimari potest, etiam si leuis sit. Alioqui similiter probaretur hominem etiam se mutilare posse. Nam ad humanos vsus magis valeret magna quantitas auri, quam membrum. Liceret ergo sicut pecuniam, ita membrum abscindere.

Ex hac igitur conclusione sequitur non esse peccatum contra iustitiam etiam veniale, sed tantum contra aliam virtutem esse posse, seipsum infamare. Nulli enim facit iniuriam. Non sibi. Ipse enim voluntariè amittit, sicut supra de occidente se, dixi. Non reipublicæ. Quado

120 dominus est propriæ famæ. Vnde licet mortaliter peccaret, vt infra dicemus, famam perdendo, quæ alijs erat necessaria: tamen ad restitutionem non tenetur. Cùm non inferatur tale damnum ex transgressionem iustitiæ, sed tantum charitatis. Et hæc est germana ratio, cur homo se infamâs, nec sibi, nec alteri quicquam restituere tenetur. Quod infra latius explicabimus.

TERTIO igitur putamus, quòd si sui infamatio fiat, sine rationabili causa, erit peccatum genere suo tantum veniale, sicut mendacium, seu verbum otiosum, seu prodigalitas bonorum fortunæ, & hoc omnes fatentur. Cuius ratio est clara. Quia si bona exteriora perperam expendere vitium est prodigalitat. Multò magis bonum nomen & famam, quæ pretiosiora sunt omnibus diuitijs. Dixi *genere suo*. Quia ex circumstantia posset esse mortale, vt infra dicemus. Qui verò sint casus, ac circumstantiæ, in quibus est peccatum mortale, docent prædicti autores. Primum ait Sotus, si enorme sit & insigne crimen, quod de se verè, vel falso pronunciat, vt se esse hæreticum, vel proditorem boni communis, &c. Ita docet in d. artic. 3. conclus. 3. & lib. 4. quæst. 2. & 10. 121 citat. & Couar. num. illo 8. quòd illi non probant. Cæterum mihi ista limitatio sine ratione ducta videtur. Quid enim refert peccatum esse grauius, si ipse dominus est propriæ famæ, & eius sustinere iacturam vult ipse, vt ob id mortale crimen admittere dicamus? Nec etiam facile erit assignare, quæ sint ista grauissima peccata, quæ quis de se confitendo mortaliter peccet. Qua ratione enim de hæresi dicitur, dici etiam potest de blasphemia, de peccato nefando, &c. Et ita in paucis materijs sua, nostraque sententia vera esset. Et scrupulos hæc sententia multos iniiceret. Tum verò ego veram putarem hanc Soti sententiam, cùm aliquis ita perperam, & sine causa talia de se crimina dicit, quod in eis gloriatur, ac se se iactat. Iam enim duplici iniquitate peccaret. Et quia illa sibi placent. Et quia scandalizat audientes, qui in eò affectu eum persistere intelligunt. Vnde iuuenes, & alij. Qui talia à se crimina perpetrata narrant, grauiter sunt à confessarijs obiurgandi. Nam multipliciter eos peccare existimo: tum, quia se infamant, quod omnium minimum est: tum, quia de peccato commisso gloriantur, ac si eis placeat: tum, quia alijs exemplo suo, scandalo sunt, & ruinæ spirituali: tum tandem, quod omnium pessimum est, quia complices produnt, præcipuè si fœminæ bonæ famæ sint. Extra hos ergo casus siue magnum, siue paruum sit delictum, non putarem esse mortale seipsum infamare.

SECUNDO ait Sot. erit mortale peccatum, & quod plus est contra iustitiam, quando esset publica persona, cuius fama alijs est obligata. 123 Et idem sentire video D. Thom. quæst. illa 73. artic. 4. ad primum, dum dicit posse hominem pro libito suæ famæ detrimentum facere, nisi vergat in periculum aliorum. Et idem sentit Nauar. numero 28. Sed oportet iudicio meo, hæc magis declarare. Fama enim alicuius alijs necessaria esse potest, vt ex August. supra diximus, aut obligata, vt Sot. docet. Primum ob animam aliorum, ne scâdalizati malo exemplo peccent,

peccent, vt si prælatus, vel alius pro iusto habitus hæresim, vel alia turpissima de seipso deregat, quod occasio esse potest, vt alij talia admittant, vel certè murmurationis, & cuiusdam notabilis contristationis causa esse potest in alijs. Et tum verum puto quod ab his doctoribus dicitur, esse scilicet mortale peccatum, non tam ratione suæ iacturæ ex fama deperdita, quàm ob damnum aliorum spirituale. Sed tunc non peccat contra iustitiam, quicquid Sot. dicat. Cùm nullius damni pretio æstimabilis in proximo causa efficax sit. Secundò potest esse necessaria bona fama propter bonum temporale aliorum, vt cùm quis in 124 gubernatione existens, vel ad eam proximus, detegit sua aliqua peccata, ob quæ se ineptum facit, vel ad obtinendum officium, vel ad retinendum obtentum, & administrandum, ob quod filij, vel alij, quibus eius opera erat necessaria, damnificantur. In quo etiam casu putamus cum Nauar. & alijs peccare mortaliter, sed non cõmittere iniustitiam, sicut neque in casu præcedenti. Licet enim damnorum temporalium causa sit, tamen non tenetur ex iustitia, sed ex charitate talia aliorum commodà procurare. Sicut enim si talia officia, cùm dignus esset, nollit administrare in detrimentum aliorum, quibus eius opera esset necessaria, non faceret vlli iniuriam, licet mortaliter peccaret cõtra charitatem. Non enim ex officio, vel lege iustitiæ talia officia seu personatus quærere, vel retinere tenetur: ita neq; cùm se voluntariè ineptum reddit. Aliàs teneretur ad restitutionem talium damnorum illis perso- 125 nis, quæ postea eius opera carèt, quod certè nemo cordatus dicat. Non igitur peccat contra iustitiam quicumque se infamat, etiam in aliorum detrimentum. Imo si quis esset debitor, verbi gratia, mille aureorum, sciensque se fore soluendo, si officium aliquod admittat, quod tamen foret amissurum, si se infamet, quo fiet, vt non possit soluere, non putarem mortaliter peccare peccato iniustitiæ se infamâdo ob damnum alteri securum, quod illi non imputatur. An autem debitor, qui renunciat legato, hæreditati vel donationi, quibus poterat soluere, peccet mortaliter infra cap. 5. disputatur.

TERTIVS casus Soti est, cum falsum de se crimen profert, cùm iuramento, & idem docet Nauar. & est planum. Cùm omne periurium etiam non perniciosum sit peccatum mortale.

QUARTVS casus in quo est peccatum mortale ponitur à Nauar. nu. 28. Et c. inter verba concl. 6. corol. 44. & Couar. in d. nu. 8. & Syl- 126 uest. q. illa 3. Cùm talis infamatio vergit in damnum propriæ vitæ, vt si deregat peccatum, vel sibi imponat, ob quod sua, vel aliorum damnatio ad mortem sequenda sit, aut membri mutilatio. Sed ista doctrina meo iudicio locum habet, cùm sine causa rationabili se prodit. Esset enim prodigalitas vitæ, quæ mortalis est. Si enim bono fine faceret, vt ob virtutem iustitiæ, quia scilicet vult in hoc mundo peccati pœnam sustinere, non est credendum esse peccatum, quod se iudici prodat, volens sponte dei isti pœnas dare. Tum enim ob virtutem facit, quod licitum est & sanctum, & per consequens homicida sui censer non debet: vel metu tormentorum etiam iniustorum, vt probat Cord. q. illa 3. conc.

conc. 14. dub. 2. puncto 1. Si verò ob talem confessionem proprii peccati alterius mors esset sequenda, vera esset Nauarr. sententia. Tunc enim iniuste faceret, tum, quia alterum iniuste proderet: tum ob malum alteri secutum, cui ipse non potest renunciare. Vnde dupliciter illum offendit, & famam auferendo, & vitam. Imo cum propria tantum mors sequitur, sed non à iudice, sed à priuato inferenda, vt si dicat se violasse virginē cuius fratrem scit ei mortē illaturū. Tunc enim mortaliter peccaret crimen detegendo, tū ob peccatum alterius: tum ob iniustam sui necem, quam permittit, vt apertè idem Coua. censuit nu. 10.

QUINTVS casus est, cum quis se infamat, ex cuius infamia alteri, etiam sequitur infamia, vt si religiosus crimen detegat, vel monialis, ex quo religioni vel monasterio notabilis infamia sequitur. Tunc enim peccatum est mortale, vt Nauarrus docet, & putarem, tunc peccare contra iustitiam. Quia fama sua non tam est sua, quam religionis, cui cedere non potest. Est enim ac si aliquem alium tertium, vel complicem infamaret, quod planè contra iustitiā est. De quo infra specialiter.

SEXTVM casum video apud Ioseph. Anglem vbi supra, quando eius infamia redundat in detrimentum familiæ, scilicet suorum descendendum de quo infra latius. Ex his sequitur, vt Nauarr. & Sor. & Cord. dubitatio. illa secunda tradidere, quod infamans se verè aut falso ob merum tormentorum non peccat vllò modo. Sicut enim supra ostendimus ob bonum finem licitum esse famam amittere, sic, &c. Mendacium tamen si adsit veniale peccatum erit. Sed ait Caiet. 2. 2. quæst. 37. artic. 2. quod homo ita est suus, vt etiam sit pars alterius, scilicet Ecclesiæ, & non potest cum iniuria alterius seipsum infamare. Sicut paulò ante de religioso dicebam. Et ita est mendacium perniciosum læsiuum proximi seu totius in magno bono. Verum respondetur esse diuersam rationem cuiusque fidelis respectu totius Ecclesiæ: & religionis respectu particularis communitatis. Nam in Ecclesia scimus esse bonos & malos, & ita non infamatur Ecclesia, nec eius dignitas læditur, nec ei opus est restitutione ob alicuius membri infamationem, at in speciali religione, in qua perfectio proficitur, magna est læsio, & damnum, si aliquod membrum infamatur de crimine, vt constat. Aliàs ex opinione Caiet. apertè sequeretur, quod lædens famam proximi teneretur adhuc illo condonante Ecclesiæ satisfacere, quod nemo condatus dicit.

AN autem teneatur ferre tormenta, ne alios infamet, maior dubit. est. Et certum esse videtur, quod si falsò eos infamat mortaliter peccat. Mendacium enim perniciosum est, & damnificatio innocentis, quod ob meum commodum facere non possum. Si autem verum sit crimen, docet Sor. artic. illo 3. q. 10. licitè posse illum prodere, etiam si sub sigillo secreti acceperit, nisi sit sacramentale. Quia non teneretur cum tanto dispendio alterius famam & vitam seruare: nisi reuelatio secreta esset contra regem, vel rempublicam, vel si esset priuati hominis: tamen per iniuriam tale secretum extorsit. Atque idem sensit Cordub. quæst. illa 3. conclus. 14. dub. 2. puncto 1. Damnum enim aliorum

ait

ait Cordub. per accidens est, cum ego vtor iure meo, vt me à corporali meo damno seruem indemnem, quod verum putat Corduba, etiam si peccaret se infamando. Non enim esset peccatum iniustitiæ, nec ad restitutionem obligans famæ aliorum, pro quo refert l. 19. tit. 32. partita 3. Sed mihi videtur in quocunque casu non peccare mortaliter, si sit extra cōfessionem. Nullum enim reuera damnum infert, nec in fama, nec in vita. Talis enim confessio cruciatibus extorta nullius est momenti, nec valida. Ob quam rationem Sor. ipse in d. ar. 3. fatetur non peccare metu tormentorum infamantē, etiam si alterius crimen morte sit dignū. Imo sunt, qui doceant non peccare mortaliter eū, qui in tormentis aliū falsò infamat ob dictam rationē. Quod expressè docet Syl. verb. retract. q. illa 3. Talis enim (inquit, confessio non infamat efficaciter, nec valet. Vnde in c. Si quando 16. q. 6. ait Alex. Pap. *Omnis cōfessio, qua fit ex necessitate, fides non est.* Et statim: *Pessimum est de suspitione aut extorta confessione quenquā iudicare.* Peccaret tamen mortaliter, postea ratificādo extra tormēta id per quod alius esset danificādus, & teneretur retractare, vt ipse Syl. docet. Sed ait Caiet. quod licet talis confessio iure sit nulla, & ita non adfert infamiā iuris, bene tamen, ait Caiet. infert infamiam moris. Quia licet non sit valida ad infamandū in foro iudiciali, est tamē valida in foro conscientiæ. Quia est actus mixtus ex volūtario, & inuolūtario, qui est simpliciter volūtarius. Sed hoc nihil refert. Quia si præsumitur coacta à iudice, multò magis à quocūque alio, & per cōsequēs non veritate, sed metu tormentorum extorta præsumitur à quocunque.

SED maior dubitatio est, si confiteretur propriū, vel alienum delictum ad minas iudicis de tormento ei inferendo. Syl. vbi supra ex Angel. sententia docet, quod dicta de alio teneretur retractare, etiam si timeat tormenta: dicta verò de se non teneretur, cum mortem tormento præeligat. Quod ipse verum putat si speret retractaturum ante mortem. Sor. detegend. seeret. memb. 3. q. final. col. 10. conclus. pen. quem refert, & secutus est olim Nauarr. putat simpliciter non peccare. At ipse Nauarr. sibi iam eam sententiam non placere docet vbi supra. Primum, quia dat causam propriæ mortis, vel alienæ: quod nemini licet, tum quia non debet credere iudicis voluntatem ita esse firmatam: licet verbis iratis eam explicet. Interdum enim iudices fingere solent.

MINI videtur primum, quod non licet ita celeriter confiteri, vt nō speret certissima, & proxima signa veræ voluntatis iudicis in quo bene docet Nauarr. Secundò si expressa signa, imo & ficta appareant, puta quia iam est ligatus, &c. iā diximus non peccare mortaliter, etiam si falsum crimen sibi imponet. Et ita docuit Sor. loco citato, & Syl. vbi supra Ledesma 24. q. 18. art. 2. fol. 156. col. 1. Cordub. conclus. illa 14. dub. 2. puncto 2. Angel. retract. §. 6. Adrian. Quodlib. 11. difficult. 3. Limitatio verò Syl. vbi supra, nullius est momenti. Fundatur enim in opinione Caiet. quod homo nō est propriæ famæ dominus, & ideo pro eius sent. supra eū retulimus, quæ tamen iā est impugnata: Neq; argumentū Nauarr. contra hoc facit. Quia, vt probatū est, licitū est confiteri delictū dignum morte corā iudice ob finē bonū, scilicet patiendi pœnā propter

134 peccatū in hoc mundo propter Deū, & ad aliorū exemplū, vel ad euadenda tormenta. Si verò de alio dicat delictum falso, non licet, vt supra ostendi. Licet si iā torqueri cōpisset; nō peccaret mortaliter, vt dicebā. Si verè, potest quidē, vt probarū est, cū de existente in tormētis dicebā.

Ex quibus sequitur eū, qui de se falsum dixit testimoniū, nō teneri retractare in extremo, quidquid dicat Syl. verbo detract. q. illa 3. Fel. de Test. cog. c. 1. Soci. in rep. super c. Ad audientiam, de Homic. & Anto. 2. par. tit. 2. cap. 2. §. 3. quos refert Syl. quoque sequitur Corduba illo 2. puncto 2. Ratione enim infamiae propriae non tenetur, vt dictum est, ratione autem vitae propriae tenebitur certè. Quia iniuste mortis causa sibi existit. Quamuis, si nihil profecturum putat, nescio cur teneatur, cum tunc eius taciturnitas non possit dici causa mortis, vt latius dicemus c. 6. Cū de causis damnorū loquemur. Si verò alij sint infamati ob eius dictum, iam explicauimus, quòd si falsum dixit in tormentis non tenetur, nedum si dixit verum. Quia talis confessio est nulla. Si verò extra tormenta, vel ante sine probabilitate de firma volūrate iudicis, vel post ratificando, siue falsum, siue verum dicat, mortaliter peccat, modò sit omnino occultum aliorum crimen, vt dictum est.

Ad rationes ergo Caiet. iam satis est respōsum. Ad illud Prouer. *Curam habe de bono nomine.* Respondet Sor. sensum esse, quod nihil faciat vitiosum & contra virtutem, vt sic habeat bonum nomen. Secundò dicimus, habendam esse curam, quia peccatum est prodigalitatē, nihil de bono nomine curare. Addè terriò, quòd in dictis casibus supra relatis est mortale peccatum, & ob id fatemur hominē teneri curare de bona fama & nomine. Et sic intelligitur Aug. vt in d. c. ex eius verbis citatis, planè ostenditur. Vnde concludit vitam nobis esse necessariam, famam verò proximis. Et propterea supra diximus esse peccatum mortale. Et idem Respon. ad c. 20. lib. de Ciuit. Dei, vt dictum est. Ex his colligitur famae propriae restitutionem posse condonari de quo latius infra.

136 SECUNDA difficultas. Vtrū ad praeceptū iudicis teneatur reus aduersus seipsum testimoniū dicere, quando crimē est occultū? Omnes doctores fatentur, si crimē est omnino occultū, puta quia de illo nō est infamia, aut indicia cōpetentia, aut clamorosa insinuatō, aut denique semiplena probatio, non teneri reū etiā sub iuramento seipsum prodere. Imò nec quisquā alius testis in iudiciū vocatus. Vt apertè constat ex c. Qualiter & quando, de Accusa. & apertius in cap. Cū oporteat, & c. Inquisitionis, §. Tertiae, eod. tit. Et ratio ipsa probat. Nam cū talia crimina sint occulta, nec subiecta sunt, nec vllō pacto pertinent ad iudiciū hominū. Iuxta illud *nolite ante tēpus indicare, quousque veniat dominus, qui manifestabit abscondita tenebrarum.* Specialiter autem quando iuramentum interuenit docuerunt Henric. Syl. Ang. & Greg. Lop. vt infra, & ad id est tex. in cap. Si omnia, & c. Ex merito 6. q. 1. idque latius probamus infra. Quēstio ergo procedit, quādo est aliqua probabilitas ex quatuor praedictis, scilicet infamia, indicia, clamorosa insinuatō, semiplena probatio. Et si vt infra dicā clamorosa insinuatō, & infamia idē sunt.

PRIMA sententia dicit reum negare posse tale delictum, si ex confessio

sessione timeat pœnam temporale, siue iudex inquiret ex mero officio, siue ad instantiam partis. Si tamen pœna imponenda (inquit hæc opinio) non sit temporalis, sed spiritualis, vt excommunicatio, tenetur sub peccato mortali, delictum confiteri. Hanc sententiam tenet Panorm. in c. 2. de de Confess. col. penul. Syluest. verb. Confessio delicti. q. 1. Ang. eodem verb. & nu. Armil. q. 8. Alcocer in sum. c. 26. §. *el reo.* Naua. c. inter verb. corol. 64. nu. 732. & 746. vt Alcocer citat, & vt Cordu. citat conc. 6. corol. 65. num. 244. 225. 272. qui etiam refert glossam pro hac sententia in c. 2. de Confess. in 6. Couar. citari solet pro hac sententia in practicis quæst. c. 18. nu. 7. Ratio huius sententiae est: quia nullus tenetur seipsum condemnare, & contra seipsum arma ministrare. Non sic autem est de pœna spirituali, quæ non tam pœnæ, quàm medicinæ rationem habet. Et ita in illa non tam ius habet, quàm in temporali, se 138 quacunque via defendendi.

Nos hanc sententiam ita vniuersaliter acceptā falsam omnino putamus, & cōtra omnium fere Theologorū sensum. Quod enim reus in eo casu cælare non possit veritatem iuridicè interrogatus, docuit D. Tho. 1. 2. q. 69. in corp. Caiet. ibid. ad secundam rationē, Sorus de regēdo secreto, memb. 2. q. 2. & latius conc. 7. q. 1. & 2. & §. lib. de Iust. q. 6. art. 2. conc. 2. Cord. lib. 1. q. q. 43. dub. 3. Nauar. c. 25. sum. Lati. nu. 436. citatque seipsum in d. c. inter verba num. 725. & reuera ita tenet, & nu. 814. & nu. 822. Couar. idem apertè tenet in pract. q. 23. nu. 5. Gabr. in 4. d. 15. q. 6. art. 2. conc. 6. Rosell. verb. accusatus. §. 1. Palud. in 4. dist. 19. q. 4. nu. 7. Henric. Quodlib. 1. quæst. 33. ex Iuristis Greg. Lopez super par. 7. tit. 29. l. 4. Archidia. §. Itē quod dicitur, 22. q. 2. Bart. in l. Marcellus ff. de Actionibus rerum amotarum. Speculator tit. de Pœnitentibus §. 7. vers. 19. 139 Roder. Sua. l. 4. tit. 12. *de las iuras.* lib. 2. foro legum. Ant. Gom. tom. 3. Varia. resol. c. 12. nu. 15. Bernar. Diaz in sua practic. criminal. cap. 118. Bartol. Medin. in sum. lib. 1. cap. 14. num. 35.

ET probatur hæc sententia hac vrgenti ratione. Quia subditus tenetur, parere in conscientia praecepto superioris iusto, sed iudex iuste ac legitime pœdit, vt veritas sibi reueletur in hoc casu, ergo, & c. Omitto alias rationes parui momenti, quæ pro hac sententiā adducuntur. Hæc enim omnium efficacissima est. Maior autem huius rationis est certa: quia ille, qui iudici habenti ius ad interrogandum non vult respondere peccat peccato inobedientiae, vt constat, & iniustitiae, cū faciat ei iniuriam, & seipsum ius illorum violando. Minor verò quòd iudex iuridicè roget, certa etiam est. Quia vt elicitur, ex c. Qualiter & quando, 1. & 2. & ex cap. Super his, & cum delicti, & aliis multis, tit. de Accusationibus, iudex legitime inquit super delicta, de quibus reus infamia laborat, vel indicis sufficientibus l. semiplena probatione imo in l. 4. tit. 29. parti. 7. id ita fieri præcipitur iudicibus, *el iuzgador deue le fazer iurar, que diga la verdad, & c.* Et in cap. illo qualiter, & quando 2. ita præcipitur, & in multis c. tit. de Purga. cano. petitur iuramentum ob infamiam subortam, aliàs puniuntur. Licet ergo, imo tenentur inquisitionem facere. Atque idem habetur in c. 1. de Confess. Et ratio id apertè

ostendit. Si enim super his delictis iudex, nec procederet, nec rogaret, nec tormenta minaretur: sed liberum dimitteret infamatum, indicia-
 141 tum, vel accusatum: magnum esset in repub. scandalum: imò & damnū. Cū hac confidentia omnes fierent malefactores, & breui resp. plena esset criminibus. Si ergo iuridicè procedit iudex, parere tenebitur reus.

A L I A verò ratio, quod scilicet, reus negando delictum mentitur, nulla est. Siquidem aliud est veritatem occultare verbis æquiuocis, aliud autem falsitatem dicere, vt cōstat. Tandem probatur hæc sentent. ex l. 4. tit. 29. part. 7. & l. 23. tit. 11. quæ approbantur in l. 11. legum Maioriti, quæ habentur in volumine pragmat. ordinis iudiciarij. Item in d. c. Cū dilect. dicitur, quòd si iuravit, veritatem dicere tenetur, & tamen, vt ibi constat tantum erat clamorosa insinuatio. Si autem negare posset, iuramentum non obligaret, sicut in occultis.

Q V A M V I S autem hæc ita sint, piè tamen & probabiliter existimo, non vniuersaliter, vt prior dicebat opinio: sed in causa criminali, præcipuè capitis, posse reum in conscientia veritatem secluso mendacio, cō-
 142 tegere. Moueor ea ratione: quoniam in causa sanguinis, ob rei magnitudinem, de qua agitur, & naturalem ac vehementem inclinationem, quam natura hominibus dedit ad sui conseruationem, ipsa eadem natura tribuit summam ac liberrimam facultatem se tuendi. Hac enim causa licet aliena subripere, quæ seclusa vitæ necessitate extrema, non liceret. Hac licet inimicum inuadentem occidere, quem aliàs non liceret. Imò, vt multis videtur etiam innocentem, vt suam vitam quis saluet, quam aliter saluare non potest, nisi hominem occidendo. Hac eadem ratione licet seruo fugere à domino, vt ex mente Soti, Couarru. & cuiusdam legis, partita infra probabo cap. 5. & id ob summum ius vitandæ seruitutis, quæ est mors ciuilibis, licet aliquibus hoc ipsum videatur secus. Multò igitur magis natura tribuit ius & facultatem taceendi veritatem, quæ probari non potest, vt suam quisque vitam saluare possit. Moueor secundo, quoniam, vt habetur in l. 4. ff. de Testi-
 143 bus, consanguineus non potest cogi ad testificandum contra consanguineum, nec similiter, vt Couar. docet, quando magnum aliquod dispendium timet testis in seipso. Quis autem est magis consanguineus, quàm quisque sibi? Quodve maius dispendium, quàm mortis? Neque valet, si dicas ibi sermonem esse de delictis occultis. Hac enim ratione, nullum esset illius legis beneficium. Cū etiam extraneus non possit cogi ad testificandum de occultis. Quare aliquid speciale est in consanguineo, & in proprio crimine.

R A T I O verò facta pro cōmuni, perfacilè soluitur, licet sit apparatusissima. Fateor enim iuridicè ac legitimè interrogare, & præcipuè etiã sub iuramento veritatē sibi manifestari: cū quo tamē verū esse, reum licitè posse eam abscondere. Vterque enim iure suo vititur. Iudex percon tando ob cōmune bonū, reus cælando ob bonū propriæ vitæ.
 144 Neque mirari quispiam debet, quod detur istud veluti iustum bellum vtraque ex parte, seclusa adhuc ignorantia inuincibili. Siquidem cōstat licitum esse iudici condemnato ad mortem præcipere, vt è carcere non fugia

fugiat, & tamen ipse parere non tenetur. Præterea damnato ad mortem in absentia iudex præcipere potest, vt compareat: qui tamē in cōscientia venire non tenetur. Et hæc propter maximum ius vitæ & naturæ conseruandæ. Vtteriùs, vt suprà dicebam seruus à domino fugere potest dum ipse non se vendidit, & latè alibi probaui: & tamen dominus iustè præcipit, ne aufugiat, & ad id cogere potest. Mirum ergo non est: sed verissimum, vbi agitur de capite, de membro, imo de graui dedecore, ius habere reum ad tantum damnum fugiendum, & declinandum, nulliquè iniuriam facere suo iure vtentem veritatem reticendo.

R A T I O verò inducta satis probat in causis ciuilibus, & pecuniarijs vel carceris, imo in criminalibus, vbi pœna sanguinis non timetur, & in spiritualibus iuxta omnium sententiam. Tunc enim propalare veritatem tenetur, quidquid dicat prima opinio. Quæ per rationes & a-
 145 thoritates secundæ opinionis, ita vniuersaliter accepta, satis impugnata est. Cum enim natura in eo casu illud amplissimum ius non tribuat, peccat reuera non obediendo iusto præcepto iudicis, & iniuriam illi facit iuris executionem impediens.

N O T A N D V M tamen quòd non placet Greg. Lopez sententia, quod sola publicitas, quæ sufficit ad torturam, sufficiat ad interrogandum. Vnde colligit, quod nisi sit semiplena probatio, vel indicia manifesta, non tenetur reus respondere in quacunque causa, etiam si esset infamia, vel clamorosa insinuatio. Quia tunc crimen est occultum &
 146 improbabile, & ita iudex licitè non interrogat. Quia vt ex iuribus constat existente infamia, vel clamorosa insinuatione iudex licitè inquirat. Et ratio suprà facta id probat, ergo reus tenetur seclusa morte in nostra opinione.

S E D obijcit Med. contra prædicta. Quia si ille negat, facit iniuriam iudici illum infamando, negas veritatē. Quia plures erunt, qui suspicentur, iudicem iniuste illum ad mortem damnare, quæ infamia cessaret, si ipse veritatem declarasset. Sed iudicio meo leuis est ista ratio. Nam vel haber plenam probationem, cū damnat ad mortem, vel non. Si non habet, sibi imputet, qui iustè condemnat, si infametur, & iniustus iudex habeatur. Alter enim vititur iure suo: cū antequam sit plenè probatum non possit iure illum pœna legis mulctare. Si autem habet plenam probationem iam docuimus teneri reum. Et nec tunc iniuriam facit iudici. Quia ex quo publicè est ac sufficienter conuictus, nulla iudicis iniusti suspicio esse potest. Vnde ratio non est ad rem. Et hæc de sui infamatione dicta sint, iam de lædente alterius famam agamus, & primo de infamante publica autoritate.

M V L T I sanè sunt, qui vt publicæ personæ ob bonum commune possunt alicuius famam iniuste lædere, vt sunt iudices malè inquirendo, denuntiatores, accusatores, testes. Et ideo ordine procedendo placet primum de iudice disputare. Et pro dicendorum intelligentia est animaduertendum ex doctorum sententia, triplicem esse modum procedēdi in publicis iudicijs aduersus crimina. Nempe via inquisitionis,
 147

cùm iudex ad nullius instantiam: sed ex officio procedit, vel ad prouinciam purgandam, vt sunt visitatores, vel ob criminis euentiam iudex procedit, quæ si ad vindictam sit, & ob bonum commune, dicitur denunciatio iudicialis: si ad emendam, & ob priuatũ bonum, denunciatio dicitur fraterna. Accusationis autem via est, quando ad instantiam partis iudex procedit, in qua denunciator, accusator, seu actor dicitur. Quia promittit se, quod denuntiat, probaturum. Si enim noller probare, solum simplex denuntiationis via dicenda est. Differunt præterea hæc viæ procedendi. Nam accusatio semper est inferioris apud superiorem: inquisitio econtra superioris, apud inferiores. Denuntiatio verò omnium est siue inferioris siue inferioris siue superioris, & id ex officio: Nam absolutè vnusquisque potest denuntiare, accusare, &c.

TERTIA igitur dubitatio sit vtrum de crimine omnino occulto possit iudex inquirere, an necessarium sit præcedere infamiam siue delicti, siue personæ? Et sanè primum omnium certum esse debet quod si crimen, & persona ost omnino occulta non licet iudici inquisitionem facere, sed oportet aliquam præcedere infamiam, qua iudex ad inquirendum moueatur. Sic enim docent omnes doctores, quos inferiùs citabimus. Est que aperta constitutio iuris, ac rationis. Sanè in cap. Cum oporteat de causa, sic dicitur. *Discretionem tuam mandamus, quod nisi super prædictis criminibus famam illius lesam esse noveritis, ad inquisitionem minime procedatis.* Et in c. Qualiter & quando, eodem tit. *Formam* (inquit) *iuramenti in inquisitione faciendam in hoc negotio, & similibus volumus obseruari, vt scilicet iurent testes de ijs, quæ sciunt vel credunt, exceptis occultis criminibus, &c.* Et in cap. Inquisitionis eodem §. Tertiæ dubit. *Adhac* (inquit Rom. Pont.) *respondemus. Nullum esse pro crimine super quo aliqua non laborat infamia, seu clamorosa insinuatio præcesserit, &c.* Quin depositiones contra eum recipi non debent, cum inquisitio, fieri debeat solum modo super illis de quibus clamores aliqui præcesserunt. Verum omnium apertissimè, in c. Qualiter el. 2. eodem tit. idem Innocent. 3. hanc veritatem è naturali, diuinòque iure ducens sic scribit. *Qualiter & quando debeat prælatus procedere ad inquirendum, & puniendum subditorum excessus, ex auctoritatibus veteris, & noui testamenti colligitur euidenter. Legitur enim &c. & infra, ex quibus auctoritatibus manifestè probatur, quod non solum cum subditus, verum etiam cum prælatus excedit, si per clamorem & famam ad aures superiores peruenerit, &c.*

Sed iustè rogabis, quid sit hæc fama, & quanta sit futura, vt ritè procedatur ad inquirendum? Aliqui putant duorum aut trium testimonium sufficere, maximè cum iuramento rem attestantur. Verum falluntur isti, iudicio meo. Fama enim vt supra diximus non paucorum, sed multorum diuulgatione & locutione colligitur. Non enim ex eo quod duo aut tres meum crimen noverint seclusa accusatione, & denuntiatione ad instantiam partis (modo enim via agimus inquisitionis) aliquem infamant. Et est aperta decisio prædicti c. Inquisitionis. Vbi sic scribitur, *tertia dubitationis articulus continebat. Vtrum cum duo vel plures iurati affirmant aliquem, crimen commississe, de quo aliqua infamia nõ laborat,* &c. Vides

&c. Vides quemadmodum Pontif. duorum, vel plurium testimonium, etiam cum iuramento non putat infamiã. Vnde in responsio. dicit, vt supra reruli, eas depositiones recipi non debere &c. Cum inquisitio fieri debeat solum modo, &c. Videant igitur iudices, an hunc iuris ordinem, & documentum seruent. Non ergo est certus numerus testium, vt benè Sotus animaduertit, sufficiens ad infamiam: sed maior pars, vel populi, vel parochiæ, vel certè viciniæ. Hoc enim nomen rumor seu fama significat, vt supra dictum est. Debet autem ista fama seu rumor à probis, & non suspectis hominibus diuulgari. Aliàs non excusabitur iudex procedendo, vt dicitur in d. §. 3. dubitationis. Sed apertius in d. c. Qualiter el. 2. Non quidem à maleuolis, & maledicis: sed à prouidis, & honestis, nec semel tantum: sed sæpè, quod clamor innuit, & diffamatio manifestat.

Dvo autem video à nonnullis dici, quæ omnino non probo. Docet enim Nauar. in c. inter verb. corol. 63. num. 214. discrimen esse inter famam & clamorosa insinuationem. Famam enim putat eam esse, quæ in iudicio sufficientibus testibus est probata. Clamorosa insinuationem esse crebram famam extra iudicium. Ego enim pro eodè video vtrumque nomen vsurpari à prædictis iuribus. Nam etiam diffamatio extra iudicium est, & non solum in iudicio. Et præterea vix tandem explicari poterit, quis sit ille numerus testium in iudicio ad infamiam sufficiens. Denique si iudex non potest præcedere, nisi præcedente fama delicti, igitur ante iudicium famam existere necesse est. Vnde in d. §. 3. dubit. planè pro eodem vsurpatur vtrumque in illo verbo. Ad hæc respondemus. Et in d. cap. Qualiter, el. 2. non semel ait, sed sæpè, quod clamor innuit, & diffamatio manifestat. Vnde glos. in neutro loco distinguit quidquam inter hæc, ita sensit apertè Cord. de tegendo secreto, membr. 2. q. 6. dub. 3. Alterũ est, quod Ang. docet verb. Inquisitio, quod ista fama, vel clamor debet deferri ad iudicem pro tribunali sedentem. Alioqui non valere, nec iustificari inquisitionem. Id enim non probo, vt benè Syl. adnotauit. Cum nullo iure fundetur: nec rectè gubernationi, & necessariæ reip. delictorum punitioni conueniat. Supposito igitur necessariam esse infamiam ad inquirendam delicta, restat secundo loco disputare. An satis sit infamia delicti, an etiam personæ requiratur.

Sit igitur tertia dub. vtrum de crimine occulto de quo fama non præcessit possit iudex inquirere? In hac quæstione prima opinio est quorundam, qui dicunt, quod iudex potest inquirere absolutè, respondentis tamen intererit solũ manifestare infamatũ, vel indiciatum. Mihi non placet omnino hæc sententia. Quia licet id locum habere possit, cū testis est perit, tamè cum est ignarus iuris, vt magis cõmuniter accidit, datur manifesta occasio detegendi peccatorẽ occultũ: quod est iniustum, vt ipsi fatentur, & infra probabimus. Si tamen vt Nauar. adnotauit in capite inter verba, conclusione sexta, corollar. 67. numer. 336. daretur locus consulendi peritum virum, vel confessarium, vel ipse iudex instrueret, se de infamatis in crimine, vel indiciatis interrogare, non de occultis, sic vera esset dicta sententia, sed communiter nec talis

nec talis instructio adhibetur, nec locus datur consulendi, & ita idiotis hominibus, vel has iuris subtilitates nescientibus aperta datur occasio, & scandalum manifestandi iniuste occultum delinquentem, qui licet à peccato ob ignorantiam excusarentur, tamen indices neque à

155 **QVARE** secundò sententia est aliorum quos refert Sor. 5. de Iust. quæst. 6. art. 2. & Cord. de tegend. secre. mēb. 2. quæst. 6. dub. 4. qui docent, quod iudex potest interrogare in communi quis fecerit, non tamen in particulari an Petrus fecerit. Hæc sententia est Sylu. verbo correptio, 8. Ratio Syl. est, quia solū precessit infamia vagæ personæ, sed non huius, vel illius, & ita solū rogare poterit indeterminatè, quis fecerit, non tamen an hic vel ille fecerit: sine causa enim talis suspicio haberetur de Petro vel Paulo. Idem Cord. super Sor. q. 6. conclus. 1. dub. 4. Verum hæc sententia scitè rejicitur à Soto locis citatis. Quia vel iudex intendit scire peccatorem in communi, & sic respondere debet testis & hæc est inutilis inquisitio. Iam enim certum est aliquem commisisse delictum, si ergo vult in particulari personam detegi, iam ergo vult occultam omnino personam cognoscere, quod ipsi fatentur fieri non debere in particulari, cum nullus in particulari infamatus sit, vel indiciatus.

156 **TERTI** ergo sententia est Soti locis citatis, Caiet. 2. 2. q. 69. ar. 1. & 2. Syl. vbi suprà, Armill. verbo accusatio §. 28. Panorm. Hostiens. & Innocent. in c. Bonæ memoriæ, de appellatio. Primò hi docent nullo modo licere talem inquisitionem facere super persona occulta. Et probatur hæc sententia, primò, quia in c. Qualiter & quando 2. & in c. Inquisitionis, & in c. Cum oporteat, de Accusationibus apertè videtur exigi infamia non solius criminis, sed personæ, imo vt Syl. ait, non dicitur crimen pub. ex eo quod cadaver videatur, vel domus cōbusta, vel spoliata, quia crimen est actus quo peccator fecit, quod non videtur. Solū enim videtur effectus securus ex crimine. Si ergo prædicta iura strictè postulant ad iuridicam inquisitionem peccati & peccatoris infamiam, sequitur, quod etiā si effectus sit notorius, nō potest procedi ad speciale inquisitionem. Secundò, quia si iuridica esset illa interrogatio, teneretur testis occultum peccatorem manifestare, & si forsan ipse esset, teneretur confiteri. Quia si iuridicè rogatur non potest veritatem negare, neque celare, quod sane cōtra omnia iura & rationem esse videtur.

157 **QVARE** quarta sententia tenet omnino oppositum, posse scilicet in eo casu fieri specialem inquisitionem occultæ personæ. Pro qua sententia citatur Palud. ab Armill. in 4. dist. 15. art. vlt. in sol. argumētorum. Cuius sententiæ, vt refert Caiet. & Sor. fuit D. Th. quando bachelarius erat Parisijs. Iam habet Nauar. in c. inter verba, cōclusio. 6. corollario 49. numero 214. In quam sententiā refert Innoc. & Panorm. quos pro se retulit Armil. & alios Iuristas. Cord. in sum. q. 64. puncto 1. Gerson alphabet 34. litera Q. Angel. denunc. §. vltimo, & confessio. delicti. Arevalo de corrept. fraterna, con. 6. prop. 7. Ioan Medina in sua lectura, vt ait Cord. in d. quæst. 43. fol. 347. Hæc sententia probatur, triplici ratione, quia in notorijs nō est necessarius iuris ordo, vt habetur in c. Ad

nostram

nostram 3. de iureiurand. Si ergo crimen est notoriū, &c. Secundò in c. 158
Quidā maligni §. q. 1. excōmunicauit Gregor. quendā, qui occultè libellū infamatoriū promulgauit, nisi se proderet, sufficit ergo euidentia facti. Et in c. Si sacerdos, de Offic. ord. Eugenius Papa decernit excōmunicandū fore autorē damni etiā occultū ad petitionem dānicati: & est cōis praxis Ecclesię, quę vana videretur, si sciēs reuelare nō teneretur.

Hæc sententia mihi magis placet, non ob rationes factas. Primæ enim responderi potest, esse verā quando notoria est persona cū facto, at quando factū est notoriū, sed persona secreta, non est verū, quod non sit seruandus iuris ordo. Secundæ responderi potest ad Pont. loco citato, ibi excōmunicationē latā esse à Greg. pro peccato præterito infamationis, nō pro peccato inobedienciæ, quo nō se prodebat, vel vt Sor. respondet, quod nō excōmunicatur, nisi se manifestet. Sed si ad Eucharistiam accedat, antequā se prodar. Sed infrà vtraque solutio examinabitur. Tertię respon. falsum esse, quod sit de iure humano. Potius enim videtur ius naturale & diuinū, quod nō procedatur ad inquisitionem sine 159
infamia, naturale quidem, quia lex naturalis est seruādi secretum. Peccata enim occulta, aut peccatores occultos l. naturali & fraterno atque naturali amore tenemur obtegere, cū in cōmunitatis damnū non vergunt, vt infrà dicam. Lex enim seruandi secretum, vt doctores docent, non solum obligat seruare secretū nobis cōmissum, sed etiā peccata, seu peccatores occultos non reuelare. Tum etiam, quia potestas inquirendi in iudice est publica: ergo iure ipso naturali publicā requirit notitiam criminis seu criminosis, cū naturaliter sint exēpta ab humano iudicio prædicta crimina: Item quia contra ius naturale est, vt idē sit accusator & iudex, ergo necesse est, vt præcedat infamia, quæ locū habet accusatoris. Quæ ratio in eo cap. Assignatur, cum dicitur, *Non quod idem sit accusator & iudex, sed quod fama deferente, &c.* Quod etiam sit de iure diuino, deducitur ex citatis cap. vbi Pont. ex diuinis præceptis id colligunt. Sic enim ait Innoc. 3. cap. Qualiter & quando citato. *Qualiter & quando* 160
debeat prælatus procedere ad inquirendum, ex auctoritatibus vet. & noui Test. euidenter colligitur, ex quibus canonica processerunt sanctiones. Legitur enim in Evangelio, quod villicus ille, &c. Secūdo id probatur Matth. 18. *Si peccauerit, &c.* Nec valet dicere, quod ibi est sermo, quando proceditur fraternè ad emendam. Nā multò strictius obseruari debet quando ad penam proceditur. Cū charitatis vinculum, in quo illud præceptum nititur magis obliget, vbi maius damnū fratri timetur, quod absque scandalo, & maiori damno vitari potest.

RATIO ergo, quæ me in hanc sententiam & morem iudicum seruandum impellit est. Quia, quāuis sit lex naturalis & diuina: tamen non est primi ordinis, vt est non mentiri, & Deū diligere, &c. Hæc enim nec interpretationē, nec dispensationē recipiunt: sed est secundi ordinis, ea- 161
rum, scilicet quæ interpretationē recipiūt. Sicut enim lex naturalis est, vt quis sua sponte non se exponat periculo propriæ vitæ: & tamen licet pro bono cōmuni, & patria liberāda se morti offerre: quia ius illud naturale de vita cōseruāda epicheiā recipit ob aliud naturale ius illo for-

tius de bono cōmuni conseruando: sic, &c. Ita quòd licet sit naturalis lex celādi occultū peccatorem, licet in aliquo casu reuelare, seu inquirere de illo ad vitandā maiora mala. Si enim publica scelera sic relinquerentur, sequerētur, duo maxima mala. Tū, quòd daretur scandalū in populo, quòd impunita, & nō inquisita manerent crimina. Tū, q̄ breui respub. plena esset malefactoribus, nullūq; securus viueret. Ob maius ergo malū vitādū interpretatur lex naturalis de celādo peccatore, sicut etiā iura disponūt in crimine læsæ maiestatis, & similibus, inquisitionē fieri nulla præcedēre infamia ob maius malū vitādū, & plura id genus.

162 E r quidem hæc cōclusio & ratio videtur aperta in l. i. ti. 17. par. 3. vbi postquā dixerat de generali inquisitione *que maguer non se querelle nadic, puede el rey fazer pesquisa, maguer ende non aya mala fama, para parar mejor futierra, y castigar los malefactores, &c.* subdit de particulari inquisitione, dicens: *la segunda manera de pesquisa es sobre fechos de algunos, que no saben quien los hizo, &c.* Sed in l. 3. clarius loquēs dicit: *si fuisse vn ome muerto, y no sapiesen quien lo matara, quier sea fecho de dia, quier de noche: porque vienen muchos males dello, y grandes daños deuen ser las personas pesquisadas, solò que no sea fecha de algunas personas ciertas.* Vbi adnotat Gre. Lopez in hæc verba. Duo requirit hæc lex, q̄ delictū cōmittatur clā: & q̄ non fiat inquisitio super certam personā. Sed generaliter sub verbo, quis fecit: non autē si Petrus fecit. Quod adnotauit Cord. vbi suprà, & apertè de-

163 cernitur in l. 6. ti. 1. li. 8. recōpil. *si la tal cosa fuere fecha quier de dia, quier de noche, quier en villa, quier en yermo y ninguno pidiere querrela al alcalde, el alcalde de su officio sape la verdad, por pesquisa, o por dōde mejor pudiere: por que razon es que los males y desaguisados, y malefactores no queden sin pena.*

E r ideo respon. ad can. citatos, quibus non sunt contrarię hæc leges. Nam illi prohibent, ne contra certam personam fiat inquisitio, vt videre est in c. Cū oportet, & c. Inquisitionis, quod etiam lex illa tertie partitæ concedit. Vnde perperam Nauar. dicit cap. illa derogata esse per contrariam consuetudinem. Nam re vera consuetudo iudicum disquirendi malefactores, cū facinus est manifestum non est contra illa iura aut leges, quin potius secundum ius naturæ, cuius declaratio viderur esse illa lex 3. part. non noua constitutio, quę reuera simul, & l. 5. recompil. id adnotarunt.

164 T E R T I O moueor in hanc sententiam ob cap. illud Quidā maligni, citatum, vbi Greg. excōmunicationem tulit, nisi se proderet ille, qui publicū libellū emisit. Nam Caiet. solu. quā supra retuli, scilicet, quòd excōmunicatio lata fuit, non quia non se prodebat: sed ob peccatum præteritum emissionis libelli, non est vera. Quia, vt alio loco probaui pro præterito peccato non potest ferri excōmunicatio, de cuius ratione est peccatū contumaciæ. Neque solutio Soti placet, quod ibi excōmunicatur solum, si accedat ad Eucharistiam antequam se prodat. Nā ibi reuera nisi se prodat priuatur Eucharistia. Dicitur enim, Si nō exierit, nec publicè confessus fuerit, quisquis ille sit desinimus vt sacramēto domini corporis & sanguinis sit priuatus. Ecce communionem priuatur, nisi publicè confiteatur. Deinde verò planè excōmunicatur, si Eucharistia sumat

sumat antequam se prodat. Et reuera, ita tenet communis praxis nō solum secularium principum, sed Episcoporum qui meritò excommunicationes expediunt super personas occultas, cum factum est publicum. Et ita ex his dicendum est ob dicta iura, & rationem suprà assignatam licitè fieri huiusmodi inquisitiones. Tandem moueor, quia, vt infra dicemus plures sunt casus, & communi sententia doctorum recepti, & iure expressi, in quibus licitum est sine infamia de delictis perscrutari, idque nulla alia ratione, nisi quia maius strictiusque naturale ius alterum interpretatur, & ei præualet. Vnde Cord. limitans suam sententiam in d. q. 43. dub. 2. fol. 349. docet fore intelligendam quando damnum ex futuro pendet, & non aliter, sicque intelligendum censet dictum c. Quidam maligni, & c. Si sacerdos, vbi suprà.

E x his patet ad rationes Soti & Caietani. Primæ enim iam est responsum ad illa capita. Nam ibi non est sermo quando factum est publicum. Et secundò ibi prohibetur fieri inquisitio certæ personæ, si illa nullatenus est infamata, etiam si crimen sit publicum: nō tamen, quòd non inquiratur quis fecit ob commune bonum scandali vitandi, & pacis reipu. Tenerentur tamen iudices, si quando commodè possent sine nota testes ignorantes instruere, vel locum consulendi peritum dare, vt supra dicebam, quando intelligunt iniustè prodituros esse personam secretam, in quo, vt supra dixi & peccati, & restitutionis essent rei. Sed si id attentis omnibus circumstantiis fieri non possit absque aliqua nota populi tunc vt dixi rogare potest. Minus enim præponderat fama delinquentis, quàm commune bonum, quando aliter commune bonum saluari non potest. Maximè, cū causa eiusdem peccatoris detrimentū patiatur, neque tamen damna impurabuntur iudici, qui iure vitur suo, si non facit quod facere tenetur. Secundum argumentum, quod si iuridica esset interrogatio teneretur testis, imo ipse reus se prodere, petit specialem dub. quæ iam sequitur.

Q V A R T A ergo dubitatio sit vtrum in casu quo iudex iuridicè interrogat, quia factum est publicum teneatur testis, & ipse reus veritatem exponere. Quidam etsi nostram sententiam teneant, quòd ob commune bonum potest iudex inquirere de occulto peccatore, dicunt, quòd consequenter reus tenetur veritatem dicere. Quia iudici legitime interroganti parendū est. Mihi sanè viderur, quòd in eo casu, nec testis, nec reus tenetur veritatē dicere, si est omnino occulta persona. Moueor ea ratione, quia in hoc casu iudex non habet licentiam inquirendi, quia iurisdictionem habeat super id, quod queritur: cū sit omnino occultum & exemptum à sua iurisdictione, sed solum procedit legitime ob maiora mala vitanda, quæ sequerentur, si non inquireret, vt supra dixi. Sed his malis sufficienter prouiderur per solam eius inquisitionem etiā si persona non inueniatur, nec se prodat. Non ergo testis, aut reus tenetur occultum reuelare, cū ad illum finem minimè sit necessarium. Et ita datur vnum veluti bellum iustum, ex vtraque parte, vt multis exemplis probare possem, quæ supra à me tradita sunt. Et ita docuit apertè Syl. verb. correptio. §. 8. & verb. inquisitio. i. quæstio. 3. d. 3. Cordub.

super Sot. quæstione 6. conclus. 1. dub. 4. Armill. inquisitio. §. 10.

S E D roga, an sufficiant indicia sine infamia ad inquirendum in d. casu, Cordu. in sum. q. 64. putat non sufficere. Pro quo refert Nauar. c. 18. nu. 38. & c. 25. nu. 35. & c. 17. num. 135. Sot. de Iust. lib. 5. q. 6. art. 2. Syl. verb. inquisitio, 1. q. 3. & 4. Ratio horum est: quia ad inquisitionem particularem contra aliquem non sufficiunt indicia, sed solum sufficiunt ad semiplenam probationem, supposito accusatore, vt ipse vel testes cogantur veritatem dicere.

O P P O S I T V M sentit idem Sot. vt refert Cord. de Tegen. secre. memb. 2. q. 6. conc. 8. dub. 1. & 3. Et mihi hoc magis placet. Quia si quando est persona occulta & crimen ipsum, satis sunt indicia competentia, multò magis sufficiunt quando delictum est euidens, & persona indicata, quod satis esse probatum ex prædictis iuribus, & omnibus suprà citatis, arbitramur.

169 Q V I N T A dubit. fit. Vtrum postquam quis est conuictus de vno crimine licitè interrogatur, an alia commiserit, & an participantes habeat in delicto præfato? Sane, quod ad primum attinet articulum quidam docuerunt rectè inquirere posse, reumque teneri ad veritatem propalandam, sic docuit Palud. in 4. dist. 19. in solutione arg. Syluest. verb. inquisitio 1. q. 3. dic. 4. Probat ij autores, quia non propter occultationem peccati: sed peccatoris, prohibetur iudex de occultis iudicare, igitur quando criminofus est in iudicio proditus iuridicè interrogatur, & veritatem dicere tenetur de omni peccato ipsius. Atque idem
170 docent de aliis occultis criminibus participantium. Si enim socius criminis legitimè interrogari potest de vnico crimine, potest iste de aliis illius criminibus respondere, ob eandem rationem. Eandem sententiam sequitur, Anto. 2. par. tit. 9. c. 7. §. 5.

E G O aliter sentio. Non enim arbitror iure interrogari posse proditorum de vno crimine, de criminibus aliis, vel eiusdem, vel sociorum iam de vno proditorum, si omnino occulta sunt, vti rectius, hanc speciè considerauerunt Sotus §. de Iust. q. 6. ar. 2. post medium, & detegendo secreto memb. 2. q. 6. art. & Cord. in eundem locum. Caiet. 2. 2. q. 69. ar. 2. Adria. Quodlib. 11. sub litera. I. Henricus Quodlib. 9. q. 25. Nauar. loco citato concl. 6. corol. 51. nu. 127. & in sum. cap. 25. nu. 36. Alcocer in sum. cap. 26. Ij igitur iure docent nisi crimen probatum, indicium sit alterius criminis, nullo pacto licere de illo interrogare. Quoniam, vt ex dictis iuribus, & ratione naturali constat, infamia criminis exigitur, non
171 criminofis. Vnde in cap. Cum oporteat, dicitur. *Nisi super iis famam eius lasam esse noueritis, &c.* Dicunt tamen nonnulli, quod si crimen, de quo est infamatus est eiusdem speciei cum eo, de quo rogatur: recta erit interrogatio. Est enim aiunt indicium, quod illud commiserit. Vt Hispano prouerbio dicitur, *quien haze vn cesto, hara ciento.* Sed id ego locum habere putarem, quando ille ex infamia, vel ex insinuatione clamosa crederetur frequens in eodem peccato. Vt si uinctus est prætextu famosi latronis vno confesso, posset interrogari, an alia commiserit. At si de vno tantum crimine est suspectus & conuictus, non par est de alio,
etiam

etiam eiusdem speciei, interrogari. Cum omnino sit occultum, nec infamia liberet, vel indicium alterius, de quo rogatur criminis.

S E C V N D A huius dubitationis pars, illud quærebat. An conuictus de vno crimine liceat de socijs interrogare? Quidam simpliciter docent interrogari posse, tenerique reum ad respondendum manifestandumque socium occultum. Quia (dicunt) iam crimen est notum. Alij
172 verò vt Syluester vbi suprà dicto §. distinguit. *Quaedam enim (inquit) sunt crimina, quæ principaliter in odium alterius, non committuntur, vt falsare monetam, latrocinia facere, & in ijs potest interrogari, secus in alijs, quæ in odium offensi committuntur.* Hanc verò distinctionem ducit ex Bart. in lege reper. ff. de Quæst. Sed impertinens mihi videtur, & confusa ista differentia seu distinctio. Quanquam modò impugnare nolumus breuitati studentes. Quare simpliciter arbitramur, nec iudicem posse percontari, nec reum teneri detegere complicem delicti omnino occultum, imo reuelando peccare. Hanc enim speciem ita tradidit Ant. Cord. super Sot. memb. 2. quæst. 6. dub. vlt. sub 1. conc. & idem Sot. ibidem lib. illo §. de Iust. & iur. allegato. Adria. Quodlib. 11. in responsione ad quintam difficultatem, & ad secundum argumētum principio Henric. Quodlib. 11. q. 33. vt refert Cord. Cai. opusc. 17. Respon-
173 sionum respon. 5. Opusculorum, Alcocer cap. illo 26. Atque idem esse de iure seruandum tenet Nauar. conc. illa 6. corollar. 67. Moueor in hanc sententiam ea ratione. Quoniam, vt suprà ostendimus, quando factum est publicum & peccator occultus, non tenetur reus vel testis occultum criminofum detegere, at in hoc casu non est maior necessitas, imo multo minor. Siquidem ibi nullus, hic aliquis peccator est inuentus ad punitionem exercendam ob bonum publicum, non ergo tenetur complicem reuelare. Non nego equidem licitè posse iudicem interrogare de socio, quando tale crimen est, quod natura sua sine socio exerceri non potest, vt adulterium, Sodomia, &c. Tunc enim, quoniam iam est veluti publicum, esse alterum illius criminis participem, non satisfacere iudex suo officio, nisi de illo inquireret ne daretur occasio cogitandi delicta impunita velle relinquere. Sicut suprà diximus, si non
174 inquireret quando factum est publicum, attamen id cautè facere debet saltè intentionem explicando, imperito respondenti, vel locum, consilium capiendi dando, vt Nauar. docet & suprà diximus. Alias peccaret grauitè occasionem infamæ iniuste præbendo, & sic limitanda est Caiet. sententia vbi suprà, asserentis licitum esse iudici simpliciter interrogare de socijs intelligendo, vt illi, quod publicum est manifestetur: non autem secretum. Si autem delictum natura sua non exigit societatem, vt furtum, homicidium, &c. eo sanè casu nec interrogare liceret. Tunc enim non interrogando, nullū scandalum iure timeri potest: & aliàs reus respondere non tenetur. Frustrà est igitur, & perniciofa illa inquisitio. Vnde quod ait Nauar. corol. illo 51. numer. 128. quod potest consuetudine introduci, vt de cõplicibus sine infamia inquiratur, falsum est. Vt enim suprà ostensum est de iure naturali est requisita infamia ad inquisitionem. Quod si quando, sine illa potest procedi, non
175

contingit ex vi consuetudinis, vel alterius legis humanæ: sed ex interpretatione naturalis iuris per cōcurrentiā alterius strictioris: & ideo cū factum est publicū, supra docuimus inquiri posse ob eandē epicheiam, quia seruari debet naturale ius inquirendi, & puniēdi publica maleficia, ne communis reipublicæ pax & bonum perturbetur ex tali omissione: quod certè bonum præponderat bono priuato famæ, vel vitæ malefactoris, at in hoc casu talis necessitas nō adest nisi fortasse, vt suprā dicebam, quando tale esset crimē, quod sine complice perpetrātū esse non potuit. In quo casu admitti posset dicta sentētia, non ex vi cōsuetudinis humanæ, sed alterius iuris fortioris naturalis cōcurrentis, vt dictum est.

174 **D O C T** autem Cord. super Sor. quæst. 4. concl. 7. quod in religionibus, licet quando agitur ad pœnam seruandus sit iuris odo, in inquirendo: tamen quando agitur ad emendā, non est necessario seruandus: nisi solum lex naturalis & diuina. Ex quo colligit ipse q. 6. conclus. 1. dub. vlt. quod licitum est prælato in peccato religionis de cōplicitibus inquirere nulla præcedente infamia, quādo non ad pœnam proceditur in inquisitione. Sed de hoc art. inferius cūm agemus de denuntiatione latus sermo redibit. Illud modo Cordub. obijcimus, quod cūm procedere in inquisitione infamia præcedente sit de iure naturali & diuino, vt suprā probatum est, ipseque censeat, etiam quādo proceditur ad emēdam, iure naturali & diuino fore seruādū, nescio quomodo asserat de complicibus nulla eorum fama læsa interrogari posse: nisi fortasse quādo verisimiliter religionis perniciēs, & damnum, ex non inquirendo, sequeretur. Tunc enim ob maius strictiusque ius naturale fama neglecta inquisitione fieri posset.

175 **S E X T A** dubitatio hoc loco ad extremum ob plures casus posset adiungi, in quibus (fatentibus doctoribus) sine infamia procedi potest, vbi non paruæ difficultates existunt. Sed eas lectorem legere apud doctores præfatos volumus, vt breuitatem sequamur. Ea generalis regula dari à nobis par erit, vt quoties ex non inquirendo maius malum præcipueque communis perniciēs consequatur, licebit sine infamia procedere, vt ex dictis satis est apertum, quā ad singulares casus prudens, atque studiosus lector applicabit.

176 **S E P T I M A** dub. An liceat de aliquo denunciare? Egimus de iudice lædente famam. Nunc quoniam denunciator habet rationem cuiusdam publicæ personæ sequitur, vt explicemus, quando peccet lædendo famam? Et quidem cum denuntiatio esse possit ad vindictam, vt est denunciatio apud superiorem, vt iudicē, & apud eundē, vt patrē. Ideo sit septima dub. in ordine: An liceat de occulto peccato proximi iudicem admonere, vt puniat? Et videtur, quod nō peccet, qui sine admonitione sorora denūtiat. Tum, quia vnusquisque de reipublica habet ius, vt delicta puniantur, cūm sit membrum reip. cuius salutem potest, & debet velle esse saluam. Adde secundò, quia in crimine hæresis, sine vlla admonitione solet, & debet denūtiari, idē ergo erit in alijs delictis. Tertio quia in quibusdā religionibus ea cōstitutio habetur, vt vniuscuiusque defectus & peccata possint ad superiorem deferri, per quęcunque, qui

ex tra

extra confessionē agnouerit. Ergo non fit iniuria proximo, si eius peccata iudici deferantur. Quarto, accusator non peccat sine monitione crimen alterius iudici detegēdo ex omnium sentētia, igitur multo magis licebit denūtiare alteri, qui non ita coram iudice exoptulat, sed in denuntiatione cessat. Ex altera parte videtur peccatū iniustæ infamiæ. Quia si in fraterna correptione, vbi proceditur ad emendam & bonum ac lucrum fratris, & superiori reueletur peccatum, vt patri necessaria est fratris secreta admonitio, multò amplius iure naturali & diuino, & fraterna charitate obligante, erit necessarium proximi famam seruare, cūm apud iudicem ad vindictam proceditur. Cūm hic non solum fama periclitetur: sed etiam pœna sit publicè imponenda.

Ad hanc difficultatem quæ vtilissima est, & multarum grauiūque quæstionum circa famam conseruandam proximi præcipuum fundamentum, placet distinctè per assertiones respondere.

P R I M A igitur assertio, Si peccatū est publicū statim sine vlla secreta admonitione potest ad superiorē deferri. Hanc doctrinā fatētur omnes infrā citādi doct. Et ratio est manifesta. Quia maiori malo minori neglecto est obuiandum naturali luce rationis dictate, at cūm peccatū est publicū, scandalū est subortum, quod sine publica denuntiatione ac reprehensione sedari nō potest. Non ergo curādū est de perturbatione delinquentis. Finis enim, vt ait D. Th. tunc non est sola emēdatio fratris, sed vt illi quibus scandalum datum est & ædificetur, & à peccato deterreatur. Adde, quod si secreta admonitio requiritur, in detegēdis criminibus superiori, est propter seruādā famā proximi, sed qui publicè delinquit iam eam perdidit. Vnde Paul. ad Timot. 5. *Peccates corā omnibus argue, vt & ceteri timorem habeant, & Alex. Papa cap. 1. de Pœnit. & rem. Manifesta* (inquit) *peccata non sunt occulta correptione purganda.* & Aug. hom. 50. relatus in cap. Si peccauerit, 2. quæstione 1. *corripienda ipsa sunt coram omnibus quæ peccantur coram omnibus. Ipsa verò corripienda sunt secretius, quæ peccantur secretius. Distingue tempora, & concordabis scripturas.* Quæ verò sit hæc scripturæ contrarietas non explicat Augustinus. Puto eam esse, *si peccauerit in te frater tuus, corripe illum inter te, & ipsum solum, & illum.* *Peccantes coram omnibus argue.* In hac autem assertionem conueniunt omnes cum D. Thom. 2. 2. quæstione 33. articulo 7. in principio. Vnde notanter ait D. Thom. *dixit Christus si peccauerit in te, quia si publicè peccauit, peccat in alios. eos turbans, & propterea in eo casu non habet locum Evangelicus ordo.* Et in specie Sotus de regendo secret. memb. 2. quæstione 4. conclus. 1. ibidem Anton. Cordub. Adrian. in 4. de Correptione. fraterna. artic. 2. ad secundum: Gabr. in can. lectione 74. litera L. & R. Caiet. in dict. locum 2. 2. D. Thomæ, Durand. Paludan. & c. d. 19. Quam tamen doctrinam limitandam censeo, nisi esset spes certa publicæ emendæ, per publicam pœnitentiam ab eo faciēdā, sine denuntiatione, puta per pub. correptionem fraternā, vel per secretā, aut si ipse sua sponte in meliorē mētem reuocat? vitam mutet, quo ceteri vidētes emendatum scandalum, deponunt. Tum enim existimo habendam esse rationem pœnæ, quam passurus est, & perturbationis delinquentis, & seruandum

feruandum esse ordinem traditum Matt. 18. Et ita video docere in specie Cord. in annot. ad Sot. memb. 2. q. 4. conc. 1. Quod ratio docere videtur, quod licet taliter corripiens publicè vel denuncians, non lædet famam illius, quia ut diximus amissa est, tamen lege charitatis tenemur curare, si facile possumus, tum ne deterior fiat, & perturbetur, tum ne pœnam subeat delicti. Vnde cum occurri simul potest communi malo, & bonum speciale fratris conseruari neglector veræ charitatis esse videtur is, qui vel publicè denunciat, vel publicè reprehendit. Et quâuis D. Tho. communisque doctorum sententia hanc limitationem non adhibeant, sed peccata publica statim esse denuncianda, vel publicè reprehendenda, neque in hoc casu locum habere diuinum præceptum Matthæ. 18. doceant, tamen ipsi loquuntur, quando aliter non potest communi scandalo obuiari. Imo & hanc restrictionem scribit quidam doctor intelligi communiter apud doct. in 4. dist. 19. & iuris peritos 1. q. 2. c. Si peccauerit, & de Indicijs. c. Nouit ille. Adria. in 4. agentem de Correct. fraterna, Sot. de Tegen. secre. memb. 2. q. 4. Et Cord. ibidem, ut dixi, Syluest. ita tenent verb. corrept. q. 5. & Gabr. lect. 74. in can. sub litera I. Quamuis posset quispiam dicere, quod etiam cessante scandalo per probabilem vel certè præsentem emendationem delinquentis potest denunciari, ut puniatur: & publicè corripi, quia non satis est, ut scandalizati scandalum deponant, sed requiritur eos esse instructos & deterritos à peccando, ne videntes talia crimina impunita, & sine correptione relinqui, ansam arripiant similiter peccandi. Et ob id Apostolus dicebat: *Peccantes coram omnibus argue, ut & ceteri timorem habeant.* Quod cum magis præponderare videatur, quàm quod delinquens peior fiat, aut pœnam subeat temporalem peccato debitam, non videtur à ratione alienum dicere quod non obstante spe conuersionis talis peccatoris, ac proinde ædificatione eorum, qui scandalum susceperant, adhuc potest, licitè denunciari, & publicè corripi propter aliorum instructionem, timorem & exemplum. Vnde si esset prælatus, vel fiscus, vel denique habens ex officio, non solum posset, sed teneretur denunciare ac punire. Ex quo deduci videtur, quod si quis blasphemiam publicè dixit coram 4. aut 6. vel aliud delictum commisit, etiam si illum iam pœnituerit, ius est unicuique de populo, qui audiuit denuntiadi, & publicè etiam corripiendi. Ex quo enim publicè peccauit, ius famæ sibi seruandæ amisit. Quod apertè docuit Cord. lib. 1. qq. q. 34. dub. 2. f. 346. col. 1. & 2. præcipuè versic. quod incipit, *Ad quod etiã facit.* Et licet id fieri licitè possit, ut videtur, tamè ego nõ. ita faciendū consulerè. Sed ego ita me gererè in hac dub. Primò. secludo heresim, de quo crimine infra specialiter dicam, animaduertentem inquã, an esset spes emendæ: Si non esset, sine scrupulo denuntiarè. Si esset, animaduertentem, an tã. esset publicè ut omnes, vel maior pars populi, vel certè multi sciuerint, & tunc vel denuntiarè, vel publicè corripere ob aliorum timorem, etiã si esset spes emendæ, vel emendatio præsens, ut paulò ante neruose disputare videbar. Et multò magis, si esset pub. officialis. Si verò iã publicè nõ fuit. Sed tantum corã 4. aut 5. pers. peccauit, sane tacèdū putarè si ipse paratus esset se emendare.

emendare. Tunc enim non ita boni communis ratio cogit, ut alterius detrimentum, & animæ, si deterior fieret, & verecundiæ, & pœnæ delicto debitæ, & infamiæ etiam apud alios subire faciamus. Quod enim nobis fieri nollemus, alijs inferre par non est. Et hæc circa delictum publicè commissum dicta sint. Quod si nec communi damno & scandalo, nec salutis & bono delinquentis consulitur denunciationem, aut correptionem, tacendum est omnino, & ingemiscendum, Deusque exorandus, in cuius manu sunt hominum corda.

SECUNDO igitur asserimus, quod si delictum est secretum, distinguendum est cum D. Thom. artic. 7. Nam quædam vergunt in damnum publicum ut proditio ciuitatis. Quædam in damnum alicuius priuati vel spirituale, ut si quis occultè aliquos à fide auertat docens falsam doctrinam, quod etiam sane inter damna publica recèferi debet, licet D. Thom. ad damnum priuatum referre videatur, siue temporale, ut si quis sciat aliquem putare infidias proximo, vel ad furandum, vel occidendum. Quædam denique vergunt in damnum ipsius peccantis duntaxat, ut si sit blasphemus, gulosus, Sodomicus, &c. In primo ergo casu fatetur D. Thom. esse statim denunciandum sine monitione secreta, & si est iudex statim procedendum ad punitionem. Ratio D. Thom. est, quia iste non in te peccat, sed in alios, quibus nocumentum parat, & ideo non habet locum in eo Evangelica sententia, quæ dicit. *Si peccauerit in te, &c.* Adde secundò, quia bonum commune præponendum est bono priuato, maximè, cum bonum cõmune est certum, priuatum incertum. Si ergo moraliter est certum damnum reipubl. vel dubium nisi denunciatur statim, sequitur postponendam esse famam, vel vitam, aut alia bona priuati. Præcipuè cum sit veluti aggressor & noxius. Limitat tamen D. Thom. prædicta, ut nos in puncto præcedenti limitauimus, ut vera sint, nisi denunciator firmiter crederet per suam secretam admonitionem emendarum iri fratrem, & sic damno occursum iri. Tunc iniuste infamaretur apud iudicem. Et ratio est clara, quia quando cum communi bono potest proximi fama & vita conseruari, ut supra dicebam, maximè in occultis, lege charitatis, imo & iustitiæ: tenemur eorum crimina nõ detegere. Quam limitationem ille idem doctor, quem supra retuli, dicit esse receptam à Theologis in 4. d. 19. & iuris peritis in d. cap. Si peccauerit, & in d. cap. Nouit ille, & Sot. de Tegen. secre. quæst. 4. Et docet expressè Nauarr. cap. 18. num. 31. & Mai. in 4. d. 21. quæst. 2. colum. 5. & Syluest. verb. correptio. q. 5. idem ipsum expressè docuit Cord. super Sotum de sigillo quæst. 4. conclus. 3. qui refert ad idem D. Thom. 2. 2. quæst. 33. artic. 2. 6. & 7. & de Verit. quæst. 3. & in 4. d. 9. & ibidem Richard. & Palud. Gerson alphabeto 34. litera T. Gabr. in can. lect. 74. Adrian. in 4. de Correct. fraterna. Ex qua doctrina colligo duo, & quod ex mente D. Tho. idem censet de hæresi, quod scilicet si quis firmiter crederet per suam monitionem proximum fore emendandum non potest illum denunciare, quod an ita sit faciendum statim explicabimus.

SED quid si non sit certum, sed dubium de emendatione rei. Resp.

statim esse denunciandū. Notāter enim D. Tho. solum excepit, quādo firmiter crederet per secretā admonitionē damnū fore impediendum, quod & recta ratio probat: Nā si dubia est emendatio, dub. etiam est dānum publicum & cæteris paribus magis consulendum est bono publico. Non ergo licet remp. periculo exponere, ne priuatū delinquentis bonū periculo exponatur. Imo cum certo dāno priuati, maximè noxij hominis reip. periculū probabile euitandū. Et ita docuit Naua. in sum. Hisp. c. 24. nu. 22. Vnde bene ipse colligit, rarò esse præmittendā secretam admonitionem in his criminibus. Nā vix tandem potest quis esse certus eum, qui paratus est remp. tradere vel hæreses docere, & similia cōmittere, fore ea priuata monitione emendandū. Maximè cū sepius fit in his moris admittendis, periculum. Sed quæ dicuntur crimina publica. Nauar. putat ea esse, quæ sunt notoria iure vel facto vel fama. Sed meo iudicio de ijs criminibus publicis egimus puncto præcedēti, cū de denunciatione ac correctione publici criminis ageremus. Me-
 188 lius ergo dicitur cum Sor. in hoc casu ea dici crimina publica quæ pro obiecto habent bonū cōmune & publicum. Sicut enim priuarum delictum, quod priuatū bonum offendit, sic ea publica dicuntur crimina, quæ in bonum publicum cōmittuntur, damni que publici illatiua sunt, etiam si secreta sint: & vtrumq; modum publici criminis mirificè rāgit D. Tho. in d. art. 7. dum dicit: *Vtrumq; delictorum genus esse statim denunciandum.* Quia siue pecces corā omnibus. v. g. si notorius sis cōcubinaris, siue occultè pecces: tamen in perniciem & nocumentū cōmunitatis, vt si tractes de prodenda ciuitate, vel hæresi docenda, in vtroq; inquam genere non in me, sed in alios peccas, & ita semper publicū bonum lædis. Quæ verò sint ista crimina vergētia in damnū rei publicæ in particulari? Ea numerat Sor. de Secre. q. 4. memb. 2. dub. 2. vt hæreses, prodiones, quæ natura sua peruertere moliantur populū ac perturbare, lepra aut pestis, aut alius morbus contagiosus, vt Nauar. docet c. 18. n. 31. falsitas literarū, vel monetæ, itē ambitiones & subornationes in cathedris, & alijs electionibus Ecclesiasticis, aut secularibus. Et generaliter, quando quis in aliqua cōmunitate fatagit peruertere fratres.
 189 Et idē est de crimine læsæ maiestatis: & de publicis deprædatoribus & latronibus viarū, Hispanicè, *salteadores*. Homicidiū verò, furtū, adulterium, &c. non tā dicuntur crimina in remp. quā in damnū tertij. Licet enim ex illis dānum reip. inferatur: tamen id est mediātè, & indirectè. Immediatū enim & proximū obiectū illorum est damnum priuatum, sicut econtra immediatum obiectum illorum est damnum commune.

TERTIO putamus, q̄ si crimen est in detrimentum tertij, eodem prorsus modo est denunciandū si firmiter correctio nō speratur, Sicut de nocumēto cōmunis boni diximus. Melior est enim conditio innocētis, quā nocētis, & illius bono magis consulendū, est q̄; ius defensionis proximi natura permissum atq; cōcessum. An verò quis teneatur denunciare, & cum quo detrimento suprā diximus, & latè prosequitur Naua. in sum. lat. c. 24. nu. 15. Debet tamē fieri quantū potest sine detrimento tertij noxij, vt dicendo personā, vel crimen ingenuè vel
 alia

alia via. Sic enim si malo occurri posset teneretur sub mortali tacere, & famā proximi seruare. Et etiā, quia si damnū proximi nō est magnū, persona nō est prodenda, vt patet. Vt si vir alioqui bonæ famæ furaretur aliquid non magni momenti, potius est dissimulandū, quā q̄ ille diffametur. Præponderat enim fama illius parū damnū temporale alterius. Vt expressè annotauit Gab. in can. lect. 74. sub litera S. Quæ verò sint hæc crimina iā supra diximus, quæ scilicet immediatè priuarum aliquē damnificāt, vt adulteriū, furtū, homicidiū, falsum testimonium, &c. Si autē delictū est tantum in damnū peccantis, vt fornicatio, gula, Sodomia, auaritia, statim grauē ac specialem quæstionē de eo habebimus. Id tantūmodo aduertimus: quod quando crimen est secretum, & non est in damnū tertij, quia vel dāni inferendi verè pœnitet, vel si nō pœnitet: tamen in seipso manet delictū infrā dubitatione sexta dicemus, an liceat denunciare in vtroq; casu. Per hæc facile est ad argumenta respondere suprā posita. Primum ex dictis est solutum, cū explicatum sit, quando quis habeat ius prodendi malefactores. Cætera verò argumenta speciales perunt dub. & ideo pro solutione 2. sit 8. dub. 191

OCTAVA dub. sit specialiter de crimine hæresis. An sit statim inquisitoribus denunciandum omni postposita admonitione secreta. Videtur enim quod non liceat tantā infamiam & damna proximo afferre. Cum per secretam admonitionē æquè bene possit omne damnum præueniri, in quo maximè locum habere videtur Euangelicum præceptū, vt corripas inter te ipsum solū, & ex cōmuni doctorū sententia in præcedenti dub. peccata etiā vergētia in perniciē reip. non sunt statim prodenda, & detegenda, quando quis firmiter existimat per suā correctionē malo occurri posse sufficienter. Et quod magis hoc cōfirmat videtur esse D. Tho. sententia. Qui cū in d. art. 7. specialiter de hæresi loqueretur docet, q̄ debet hæresis statim denunciari, nisi quis certò existimet per secretā admonitionē posse tale malū impediri. Facit etiā Paul. ad Titum 3. *hereticum hominem post primā & secundā admonitionem deuita.* Quem locum exponens Hiero. ait non sufficere semel admone-
 192 re. Et ita cum D. Thom. tenet Syluest. ver. correptio. q. 5. specialiter de hæresi agens, & Gab. in can. lect. 74. sub litera S. Ex alia verò parte est, q̄ hæresis est valdè contagiosum crimen. Serpit enim vt cancer, vt ait Paul. & omnium criminum maximum videtur. Cū prorsus omne bonum auferat ab anima. Nā profecto, si odium Dei explicitū & formale nefandissimum ac fœdissimū omnium peccatorum iure à doctissimis hominibus pronunciat: cum tamen nō omne bonū auferat omnino ab anima. Cum eo enim cōpati potest vera cognitio, & fides: ex parte intellectus, quāto amplioris malitiæ esse censebimus peccatū infidelitatis, quod omni bono tam voluntatis, quā intellectus hominē priuat & spoliat? Maximè in hac ætate, in qua & circumspectos nos esse, & prædicta moderatione vti non oportere, sed statim esse denunciandum, iure censerī debet. Adde, quod si moras in hoc expectes, vix postea oportunum remediū adhiberi potest. Cui accedit, iustam nos putare debere eam legem, quam fidei censors, atq; inquisitores in hac re

rulerunt, ut quàm primum sine præuia admonitione tale crimen denunciatur. Et ita sensit Sot. q. illa 4. conc. 2. & Castr. lib. 2. de Ius hæret. puni. cap. 25. & Merc. cap. 11. versic. lo 1. Postquam dixerat, reum ius habere negandi & sibi occulendi secretum, subdit esse verum in delictis quibusdam communibus, non in alijs grauioribus, damnosis, & perniciosis communitati, ut est proditio, vel hæresis, aliæ (inquit) in his regulæ magis strictæ sunt seruandæ. Denique Cord. in prædicta 2. conc. Soti q. 4. num. 2. idem censet.

VERVM TAMEN in hac distinct. opus est. Poteest siquidem multis modis aliquis errare circa fidem. Primum scienter. Deinde ignoranter. 194 Scienter, aut ut doceat & corrumpat cæteros, quod hæresiarcharum, & dogmatizantium proprium est, aut non, ut alios auertat, sed, ut in se falsam illam opinionem retineat, putans se melius ac verius de Deo sentire, quàm Ecclesiam Romanam. Ignoranter etiam potest dupliciter contingere, aut ignorantia, quam inuincibilem vocant: quia nescit quid dicat, nec scire debet, aut crassa, vel supina, quia nescit se errare, scire tamen debebat: in utroque tamen casu paratus est corrigi, cum contra Ecclesiæ iudicium se tenere non existimet. Sicut in utroque priori non est corrigi paratus, cum sciens & prudens iudicio Ecclesiæ anteponat suum. Sic igitur dirimendam putamus hanc controuersiam. Si erret scienter quocunque ex duobus modis citatis, esse celeriter denunciandum, in quo casu planè Sotus Castrusque docuerunt, ut ipsi explicant, & Cordub. memb. 2. quæst. 4. concl. 2. in annot. super Sot. Et præter supra adductas rationes, ex eo id probo licitè fieri posse. Quoniam de his nunquam potest esse verisimile, quod priuata correptione resipiscat. Qui enim Ecclesiam negligit, & tantorum doctissimorumque hominum iudicio anteponit suum, quomodo credi potest priuatæ admonitioni pariturum fuisse? Siue ergo dogmatizare paratus, siue sibi soli retinere errorem velit (quod vix facere poterit: Serpit enim ut cancer, & conceptum sermonem retinere nõ possunt, quin semper, aut alios post se adducant (aut certè probabile est periculum, quod ita facient) statim sunt denunciandi. Hi enim propriè hæretici sunt, ut statim dicemus. Quippe, qui pertinaciter suæ sententiæ atque iudicio (Ecclesiæ iudicio neglecto) adhærent. Neque in hoc casu puto D. Thom. atque aliorum doctorum sententiam & moderationem esse accipiendam. Ob id enim non sine causa addidit D. Thom. illam exceptionem, nisi firmiter existimaret per suam correptionem tale malum impediendum, quæ firma existimatio iure haberi non potest in casu hæresis formalis ac pertinaciæ, ut patet. Huius aliam rationem reddit Cordub. vbi supra. Quia (inquit) hi non sunt fratres Euangelici, licet sint fratres natura, id est, proximi. Et per consequens ordo Euangelicus cum eis seruandus non est. Pro quo citat Archidiaconum, in cap. Si peccauerit 2. quæst. 1. & Panormit. in cap. nouit. de Iudi.

Si verò sit sermo de errante ignorantia quadam sine culpa, veram purarem communem doctorum & D. Thom. sententiam, limitantium denun-

denunciationem, ut scilicet non fieri debeat, nisi præmissa admonitione. In quo etiam casu non contradicit secunda doctorum opinio. Vnde diuersa sensisse non video. Id verò sic explicandum censeo. Nam primum, si sermo est de errante ignorantia inuincibili, certum est eum non posse absque magno peccato denunciari. Ille enim non est hæreticus (ut dicunt) formaliter: sed materialiter. Est enim de intrinseca ratione hæresis, pertinacia. Imo neque villo modo peccat, cum ignorantia inuincibilis ab omni culpa excuset omnium sententia. Similiter si 197 ignorantia est vincibilis crassa, vel supina, licet peccet mortaliter in eo credendo, sed non peccat peccato hæresis. Non enim est formaliter hæreticus.

UT verò lector facilius ista percipiat placet rationem ac definitionem hæresis, prout à Patribus doctissimisque viris traditur, explicare, qua cognita facilè erit scire quis propriè sit hæreticus, & quis excommunicationem aliàsque iuris pœnas incurrat, quis denunciandus nulla correctione fraterna præmissa. Sic igitur ex doctorum sententia atque præceptis potest hæresis definitio colligi. *Hæresis est profitentis Christum circa res fidei falsa ex electione sententia, post Ecclesia de ys in Petri sede iudicium.* Et quamuis singulas partes huius definitionis non infructuosè explicare possemus, instituti tamen nostri non est, nisi eam explicare, qua dicitur hæresis, *falsa ex electione sententia.* Hæresis enim ab electione dicta est à patribus, ut per hoc denotarent pertinacem voluntatem esse de ratione illius. Licet enim quidam hæresim dixerint ab hærendo dici, eo quod pertinacia quadam propriæ adhærent sententiæ: at falluntur. Nomen enim est Græcum ex omnium sententia, ut infrà dicemus. Vnde à Latino verbo hæreo deriuari non potest. Addo, quod Catholici etiam cum hæreant efficaciter rebus fidei, ex diuino lumine & reuelatione adeo, ut olim, qui tyrannorum tormenta acerrima, constantia mirabili superassent, pertinaces (licet immeritò appellarentur) iuxta horum sententiam hæretici possent dici. Neque verò hæresis significat diuisionem, ut rectè probat D. Thom. super 2. ad Corin. cap. 11. lect. 4. & super epist. ad Titum c. 3. lect. 4. Licet enim hæretici se diuidant per falsam ac diuersam doctrinam verèque sint ab Ecclesia diuisi, quippe qui excommunicati, tamen inde non sunt dicti hæretici sed à verb. Græco, quod electionem significat, ita D. Thom. loco citat. & Ansel. in d. Epist. ad Titum. Ex hac autem particula *ex electione* colligunt doctores de ratione hæresis esse pertinaciam. Vnde D. Thom. in d. Epist. ad Titum, sic ait, *non dicitur hæresis à diuisione sed ab electione, ut ait Hieron.* & ita habet Hierony. in cap. 5. Epist. ad Gal. & refertur 24. quæst. 3. cap. *Hæresis, in Græco enim hæresis dicitur electio, unde hæreticus, i. electiuus, quasi pertinaciter adhæreat sententia, quam elegit, & statim si eligens non est pertinax: sed paratus corrigi, secundum Ecclesie determinationem, & sic non ex malitia, sed ex ignorantia, non est hæreticus.* Quod etiam notasse mihi videtur Paul. cum dixit: *Quod est proprio iudicio condemnatus.* Id ipsum ex c. Damnamus, de sum. Trin. & fide Cathol. & cap. 1. eqd. tit. in 6. colligitur. Vbi non damnantur, ut hæreti-

ci, nisi qui præsumunt aliter sentire, & ausu temerario aliter sentiunt, quam Rom. Ecclesia. Et clarius in Clem. 1. eod. tit. §. porro, non dam-
 200 nantur, ut hæretici, nisi temerè aliter asserentes. Et infra. *Quisquis deinceps asserere pertinaciter præsumpserit, &c.* hæreticus est celsendus, & Aug. id apertissimè docuit Epist. 162. & refertur, in c. dixit Apost. ubi sic ait. *Qui sententiam suam licet falsam, atque peruersam nulla pertinaci animositate defendunt præsertim quam non audacia sua presumptionis pepererint, sed à seductis atq; in errorem lapsis parentibus acceperunt, querunt autè tanta solitudine veritatem corrigi parati, cum inuenerint, nequaquam sunt inter hæreticos cõputandi, & idè Aug. contra Manich. relatus in c. Qui in Ecclesia. Qui in Ecclesia (inquit) morbidum aliquid & prauum sapiunt, si correcti, ut sanum sapiant, resistunt cõtumaciter, suaq; pestifera, & mortifera dogmata emendare nolunt, sed defensare persistunt, hæretici sunt.* Quæ verba expressè habentur, lib. 18. de Ciuit. Dei c. 51. ubi notat interpret illud verbum, *Si correpti,* quasi necessarium sit, ut sit verè hæreticus, ut admoneatur. Et lib. 4. de
 201 Baptismo contra Donatistas cap. 6. sic dicit. *Si aliquis hoc idem sentiat de Christo, quod Fotinus opinatus est, & in Ecclesia Catholica baptizatus est, & hoc credit esse fidem Catholicam, nondum dicam hæreticum, nisi manifesta doctrina Catholica fidei resistere maluerit, & illud quod tenebat elegerit.* Pro quo etiam citatur Hier. in Epist. ad Damasc. de nomine Apost. Deniq; concors est doctorum omnium sententia necessariã esse pertinaciam, ut quis possit hæreticus censerì, quod in particulari docuit D. Th. in 1. p. q. 32. art. 4. in corp. & in d. expositione epist. Paul. Qua receptissima veritate supposita talè conficio rationem. Nam is qui ignorãter errat, etiãsi crassè ac culpabiliter errat, nõ peccat peccato infidelitatis, licet mortaliter peccet ob culpam laram. Si enim pertinacia est de ratione hæresis, à qua procul est, qui ignorantia errat, cum declarata ei veritate
 202 paratus sit corrigi, consequens sanè est eum non peccare peccato hæresis, aut censuras pœnãsq; alias hæresis incurrere. Et ita in particulari docuit Syl. verb. hæresis 1. in princ. dicens: *Qui errat in ijs in quibus ignorantia non excusat, peccat non per infidelitatem hæreticam, qua pertinaciam requirit, sed per negligentiam.* Solum igitur is, qui sciens & prudens aliquid contra Ecclesiæ Catholicæ determinationem temerè præsumit, est verè hæreticus, quidquid dicat Cast. de Ius hære. punit. c. 6. qui pro contraria sententia cõmuniter refertur. Sed immeritò. Nam etsi eum librum, ut legerem non habui, tamen lib. 1. de hæresi. cap. 9. sic ait. *Si pralati & predicatorum quos ignorantia non excusat, errent, tamen si parati sunt corrigi, quamuis peccent ignorantes, quod scire debebant, non tamen hæretici sunt censendi, magis quam indoctum vulgus eo, quod pertinaces non sunt,*
 203 hæc ille. Idem expressè tenuit Nauar. in sum. Lati. prælud. 1. num. 11. & 12. Anton. 2. part. tit. 12. c. 5. §. 1. Imo idem Castr. 1. lib. de Iust. hæreticorum punitione, cap. 9. & idem Nauar. c. 11. num. 17. Cano lib. 12. de Locis c. 9. ad §. Cordub. ubi supra.

M I S S A M modò facimus eã quæstionem, an qui scienter negat aliquid de fidè metu mortis, aut alterius grauis nocumèti, qui tamè corde non consentit, ut fecit beatus Petrus, & Marcellinus Papa, sit verè hæretic

hæreticus. In quo varia est doctorum sententia, quod disputat Caiet. 2. 2. q. 94. ar. 2. Syluest. verb. hæresis, q. 9. Naua. c. 11. nu. 24. Tabien. verb. hæreticus. num. 2. & apostasia nu. 3. Alex. 2. p. q. 183. membr. 2. Okan. 1. par. dialogi 5. c. 6. Si igitur non peccat peccato infidelitatis, non videtur vlla ratio, cur ordinem Euãgelicum prætermittere debeamus. Ob periculum enim huius criminis in mora denunciandum, & ob nullam spem lucrandi fratrem, supra docuimus esse statim denunciandum ordine Euãgelico prætermisso, utendo epicheia ad illud præceptum ob dictas rationes, quibus stantibus naturale ius, & ipsum diuinum dictat statim esse denunciandum, at cum ignorantia peccat prædictæ causæ planè cessant. Nam neque est periculum in mora, nec desperatio cor-
 204 rectionis, cum potius taliter peccantes sint corrigi parati, cum fuerint instructi. Igitur seruare debemus dominicum præceptum de admonendo, qua facta admonitione, si perseueret in errore, iam est certè denunciandus, Cum iam non ignorantia, sed scientia scelesti peccet. Et per hoc doctorum diuersitas, & scripturarum dicta saluantur. Nam illud, *corripe illum inter te, &c.* Nõ de propriè hæretico, sed de ignoranter peccante intelligere oportet, quod colligo: Tum quia dicit *frater tuus*, hæreticus autem formalis frater non est Euangelicus: Tum ex eo, quod statim subdit Christus. *Si te audierit lucratus eris fratrem tuum.* Iam ergo supponit Christus fore spem lucrandi & emendæ, quæ certè non est in eo, qui pertinaciter contra Ecclesiam sentire eligit. Est verò in eo qui ignorantia, & simplicitate peccat. Et illud, *hæreticum hominem*
 205 *post primam & secundam monitionem, &c.* Profus de ignoranter peccante intelligere debemus, non de scienter peccante. Ut in hac specie docuit Cord. loco citato referens Ambr. Chrysoft. & Theoph. de incorrigibilibus exponere. Greg. 3. par. Pastoralis c. 25. Ber. ser. 63. super Cát. & Aug. serm. 14. de verb. Apost. B. Thom. & alij doct. Cuius egregiam rationem accipe. Nam qui scienter peccat, reuera admonitione non eget, cum totius Ecclesiæ admonitione negligat. Nec potest dici sine monitione denunciari, cum ipse eo ipso, quod peccat sciens & prudens, admonitus peccat, non secus ac in excommunicatione contingit. Licet enim ex vna parte verum sit, excommunicationem incurri non posse absque peccato contumaciæ, contumaciãque esse non possit, nisi præcedat admonitio, tamen cum hoc stat excommunicationem incurri ipso iure sine speciali admonitione. Quoniam reuera non sine admonitione incurritur, cum ipsa specialis lex omnes admoneat. Ita profecto qui
 206 scienter contra Ecclesiæ sensum credere audeat, admonitus certè à tota Ecclesiã, ne sic sentiat, delinquit, & peccatū pertinaciæ admittere censendus est. Nõ igitur taliter peccantem sine admonitione speciali denunciare iudicialiter est contra Christi præceptum. Nam lex inquisitorum præcipientium statim sine admonitione sibi denunciari, diuino & Apostolico præcepto nõ contradicit, imo secundum diuina & Apostolica præcepta posita est, cum reuera præmissa admonitione, omnium maxima, scilicet totius Ecclesiæ feratur.

Q U O D si contra hæc quis obijciat, quod in genere virtutis ac vitij,

vitij, ignorantia crassa peccatum, reducitur, & est eiusdem speciei, cum vitio ipso, vt si quis ignorantia crassa fornicaretur: & si putaret esse suam, quia tamen crassa ignorantia id credit, peccat peccato intemperantia, &c. Item qui ignoraret esse festum ignorantia crassa, eadem
 207 specie peccat, ac si scienter peccaret. Vnde dicitur actus redire ad naturam suae formae, ergo idem erit in haeresi. Maximè, quia culpa lata æquiparatur dolo, vt Iurista docet: ergo. Vnde dici solet paria sunt scire, & debere scire, vt probatur, in l. quod te mihi. ff. de Reb. cred. Resp. tamè non esse simile. Quoniã sunt quaedã peccata quorũ malitia formaliter in eo consistit, vt explicitè quis delinquat: adeo, vt ea conditione deficiente non sint in ea specie reponenda. Sicut enim odium Dei implicitè, & generaliter in omni peccato est inclusum, & tamen non quicumque mortaliter peccat, dicendus est peccatum speciale committere, quod est Dei odium; nisi explicitè & formaliter Deum odio habeant. Item licet in omni peccato mortali sit quidam Dei contemptus:
 208 tamen non est specie distinctus, nisi quis explicitè nolit obedire, eo solo, quod non vult esse sub iugo. Sane in haeresi, ita est de eius ratione explicata cognitio eius, quod quis Ecclesiae iudicio renitatur, vt nisi explicitè sciens, & prudens id faciat, non sit verè & formaliter haereticus, quamuis re ipsa erret ignorantia culpabili. Non nego ignorantem ignorantia affectata esse haereticum. Nam reuera est haereticus, licet non explicitè negat articulum aliquem. Satis enim est, vt explicitè velit suae sententiae inhærere neglecto Ecclesiae iudicio. Hoc enim habet, qui procurat nescire id, quod est ab Ecclesia determinatum, vt non assentiatur Ecclesiae maiori cum libertate. Quamuis hac in parte doctissimi non consentiant, arbitrantes non esse verè & formaliter haereticum, qui ignorantia affectata errat in fide. Si quidem infidelitas tenet ex parte intellectus, ille verò prauitatem in intellectu non habet formaliter, ac scienter. Sed certè quoad affectum ille haereticus est: Ex parte enim voluntatis paratus est Ecclesiae sententiam ac iudicium spernere, dissensumque ab ea habere, licet nondum habeat. Sed de hoc aliàs.

Ex quibus colligo male facere & grauissimè peccare eos, qui denunciant errantes in fide lapsu quodam linguae, & si sint praelati & doctores:
 209 Nam vel leuissima culpa, vel nulla fieri solet, in quo iniuste famam lædunt, & alia damna committunt, ac per consequens ad restitutionem tenentur. Secundò idem dico de ijs qui inter disputandum, & concionandum nonnulla ex incuria quadam, & inconsideratione dicunt, quos omnes certum est non ex animo velle Ecclesiae iudicio controuenire. Vnde eos monere prius debent, an id verè & ex animo sentiant. Tertiò idem etiam dicendum de simplicibus, qui simplicitate quadam errorem aliquem dicere solent. Hi enim cum charitate sunt prius instruendi, potius quam prodendi, cum constet eos paratos esse ab Ecclesia corrigi, vt qui putant patrem esse hominem senem, & Spiritum sanctum esse columbam, angelos habere alas, quæ latius profertur Nauar. prælud. i. nu. 10. Quartò idem de nescientibus articulos fidei,

fidei, & alia quæ scire tenentur, vt de Christiana doctrina. Rogas an pater sit factus homo, an filius. Respondet, patrem pro nobis hominem factum, certè licet ille mortaliter peccet id ignorado, & ex ignorantia credendo, tamen non ob id denunciandus est iudicialiter, nisi cum fuerit edoctus nolit acquiescere, vt ex supra dictis est probatum, 210 aliàs maiorem populi partem denunciari inquisitoribus oporteret, tanta est ignorantia rerum fidei; tanta incuria eorum quibus incumbit Christiana rudimenta docere, adeo vt etiam nimium prudentes in seculo, in ijs rebus quas omnes Christiani scire tenentur passim errent. Sic enim articulos fidei sciunt, & narrant ac psittacus, qui vocem edit nihil profus eorum, quæ dicit intelligens, quæ verò sint ea, quæ scire omnes de fide tenentur sub mortali docet D. Thom. in d. lect. 4. ca. 11. Epist. 2. ad Corinth. & Cast. in d. cap. 10. Nauar. cap. 11. sum. Lati. nu. 18. Articulos scilicet fidei, vel eos saltem, qui in Ecclesia communiter solennizantur. Quibus ego adderem orationem dominicam, Ecclesiae præcepta, & sacramenta. Nam decem Dei præcepta, nemo est, qui nesciat: sed de his aliàs. Hinc colligo, quod si audiens errorem sit vir simplex, qui intelligit alterum malè fuisse de fide locutum, poterit sine
 211 monitione denunciare. Nam ipse per se posse corripere non sperat. Nam incapax est talis muneris, & cogitare debet illum posse amplius nocere, cum ipse capax non sit ad integrum iudicium ferendum, & debitam correptionem præstandam. Denique colligo de alijs criminibus ab haeresi iustam esse inquisitorum in edictis publicandis formam, qua iubent, vt qui certa quaedam graua, & perniciofa delicta nouerint statim deferant absque eo, quod alicui communicet, vt tradit, & explicat doctissimus Banes clarissimæ dominicorum familiae super 2. 2. D. Thom. quæst. 33. art. 8. dub. 2. ad 7. Quamuis per hoc non tollitur, vt ille docet quin possint confessori communicare, qui si dubius erit, remittere ad inquisitores debet. Quod si in his, quæ diximus alicui fortasse aliter esse dicendum videatur, meliori censuræ humiliter ac libenter submittimus, & præcipuè integerrimo fidei censorum iudicio. Quorum profecto, & in administrando, prudentia, & in seruanda bonorum fama, diligentia, & clementia, in parcendo ita elucet, vt
 212 merito seruari debeat, & augeri eorum in Ecclesia saluberrima auctoritas.

Ex dictis patet argumētum, vtriusque partis solutio. Si enim ignorantia quis errat, etiam si culpam in errando habeat, est præmissa monitione deferendus ad iudicem, sin verò sciens ac prudens contra Ecclesiae definitionem existimare ac docere præsumit, sine vlla profus admonitione est denunciandus. Neque verò, quia Theologus sit certam regulam puto, vt si erret, statim scienter, ac pertinaciter errare dicamus. Sæpè enim ex incuria, & inconsideratione quadam labuntur. Vix enim esse potest tam doctus, qui in omnibus quibusque definitionibus ita sit promptus. Maximè si aliàs bonæ opinionis habeatur. Dices, quod Christus generaliter dixit esse corripiendũ secretò quoquo modo delinquat. Respondetur, quod vt supra dixi Christi sententia

non est intelligenda de peccato hæresis, quâdo verè est hæreticus delinquens. Tum quia Christus loquitur de eo de quo spes est emenda per priuatam correptionem, cum dicat: *Si te audierit lucratus eris fratrem tuum*, quæ spes ut suprà dicebâ in hoc peccato esse non potest. An eum qui toti Ecclesiæ scienter suum anteponebat iudicium meæ priuatæ monitioni pariturum existimas fuisse? Deinde epicheiam admittit præceptum diuinum, sicut multa alia naturalia, quæ ob vitanda maiora mala, ob aliud strictius ius diuinum, vel naturale interpretationem recipiunt. Et ita est in hoc casu, ut suprà dictum est, ob periculum in mora, & ob maiora damna, quæ ex talibus monitionibus sequi possunt. Si scienter peccantem tali peccato non statim denunciemus. Tum etiam, quia nec deest monitio, ut suprà dicebamus. Cum enim tam à lege diuina, quàm speciali lege Ecclesiæ, hæretici sint derestari, & sub excommunicatione grauissimâ; pœnis damnati, nō video quæ maior monitio esse potest. Qui enim hanc tam salutarem totius Ecclesiæ monitionem cōtemnit, non potest iure conqueri, & non fuerit admonitus. Denique cum peccantem ignoratâ admonendum docuerimus, in quo simile periculum, & epicheia non est, satis impletur Christi præceptum de correctione præmittenda. Ad illud etiam ex Paul. iam satis est responsum. Tum ob has quatuor rationes satis neruolas & efficaces. Tum, quia ut Hierony. Chrylost. & Theophil. docent in eum locum loquitur, ut vitetur tanquam excommunicatus: quasi dicat. Si semel aut bis monitus nolit acquiescere, vitandus est. Quia reuera excommunicatus ante omnem denunciationem & declarationem, cum iam sit certus esse formaliter hæreticum. Maximèque vitari debet propter periculum, cui se exponeret, cum eo communicans. Vnde Ioan. in sua canonica: *Si quis hanc doctrinam*, &c. Secundo, & ut mihi videtur magis ad mentem Pauli, Respon. Quod ibi est sermo de publica monitione iudicis. Vnde cum Tiro Episcopo loquebatur, quasi dicat. Si episcopus, vel Ecclesia bis monuerit aliquem, & nolit acquiescere, vitandus est, & pœnis afficiendus. Et hæc quidem specialiter de hoc crimine dicta sint. Iam generaliter de omnibus alijs agamus.

NONA igitur dub. sit. Vtrum quando præceptum superioris specialiale aut generale præcipit sub excommunicatione, aut iuramento, ut author alicuius criminis reueletur, teneantur scientes manifestare? Et primum suppono, quod in casibus explicatis dub. 7. de crimine publico & secreto in damnum tertij, &c. in quibus licitum esse diximus denunciare: in eisdem prorsus non modo licebit, sed tenebitur vnusquisque manifestare. Aliàs excommunicationem incurreret, & mortaliter peccabit: tum ob inobedientiam, etiam si sit iudex secularis: tum ob iuramentum. Si enim licitum est prodere, iam iudicis præceptum est iustum ad complementum probationis, ac per consequens in conscientia obligatorium. Vnde si crimen est publicum vel semiplenè probatum, vel indiciatum, &c. tenetur illud reuelare, &c. ita docuit Cord. q. 64. in sum. punct. 2. pro quo citat Nauar. c. 17. nu. 114. 134. & 135. & c. 27. num. 15. & 25. num. 33. 35. 37. 42. 46. 49. & 51. & c. 18. num. 56. & 58. Sor. de

de Iust. lib. 5. quæst. 6. art. 1. & 2. & q. 7. artic. 1. Syluest. verb. verb. furtum, q. 15. & verb. venario. Med. cap. de Rest. q. 12. Contra verò in casibus, in quibus iuridicè nō proceditur, ut dictum est per quatuor prioribus, in quibus res difficultates non licebit, nedum non tenebitur sciens, occultum crimè, vel criminofum manifestare. Pro cuius planiori intellectu colligit Cord. quosdam casus, in quibus non obstante mandato generali, vel speciali superioris, & excommunicatione, vel iuramento potest, & tenetur subditus non manifestare delictum vel aliud quod iubetur. Primus est, quando superior id iubet manifestare præcipuè ad emendationem delinquentis, vel ad impediendum, ne malum proximo inferatur, vel ut illatum ei reparetur. Tum enim ait Cordub. quod si malefactor est emendatus, vel speratur verifimiliter emendatio seu satisfactio partis, non est licitum denunciare. Quia cum cesset causa finalis præcepti, cessat etiam obligatio, & ita debet sine detrimento famæ proximi procedere. Cum separata illa possit iudicis intentio obtineri, & ita nec excommunicationem incurrit, nec periurium tacendo veritatem, &c. Hæc verò intelligit Cordub. quando delictum est secretum, vel duobus aut tribus cognitum. Si enim esset infamia, vel semiplena probatio, &c. non liceret contegere. Quia (inquit) iam iudex non solum, videtur velle emendationem delinquentis, & partis satisfactionem: sed etiam punitorem. Et ita mihi videtur, quod si iudex punitorem intendit, cum iustè ac iuridicè procedat, supposita infamia, indicijs, &c. peccaret mortaliter, & excommunicationem incurreret, qui non obtemperando veritatè contegeret. Secus, ut dictum est, si solum emendationem, vel partis læsæ satisfactionem intenderet. Ita Nauar. cap. 25. num. 46. ex S. Thom. 2. 2. quæst. 33. artic. 7. ad 3. & Anton. 2. part. tit. 9. cap. 6. §. 4. col. 5.

SECUNDVS casus est, quando res est secreta, vel tribus aut quatuor nota, & iudex ad pœnam procedere intendit. Tunc enim non est manifestandum. Et mihi ita videtur. Nam si non sequitur damnum tertio, & delinquens non est infamatus, &c. non iustè procedit iudex: vel si iustè ut dub. 7. dixi: tamen etiam aliter iustè tacet, cum res secreta non sit illius foro subiecta. Illud animaduertam putare eundem Cord. lib. 1. qq. q. 43. dub. 2. fol. 346. hoc solum esse verum, quando criminofus de se crimen est dicturus. Si enim (inquit) quis sciat crimen alterius secretum vel tribus aut quatuor notum, qui viderunt, & per se sine præcepto superioris manifestare posset, & coactus præcepto, excommunicatione, vel iuramento, tenebitur illud reuelare, in quo ab Adri. discedere se testatus, sequitur Sorum in 4. d. 18. q. 2. art. 5. ad 4. argu. Nauar. c. 18. num. 26. 27. & 37. Adria. de Corrept. fraterna conc. 5. q. 7. fol. 153. & conclus. 6. propos. 4. 7. & 9. Rationem reddit Cord. huius doctrinæ fol. illo 346. col. 2. adeo confusam, errore fortasse excussoris, ut vix tandem eius sensum intelligas. Quare quidquid sit de eius mente in prædicta probatione. Mihi sententia non placet. Quin arbitror, sicut contra se: ita contra alium non teneri ad testificandum, cum crimen occultum est, adeo, ut nec infamia specialis sit de illa persona respecta.

nec indicia sufficientia, vel probatio semiplena, &c. Quoniam, si de me ipso testificari non debeo teste Cord. Igitur nec de alio. Imo multò minus de alio id facere potero. Cum meæ famæ iuri cedere possim, non alterius. Cur enim rogo de me dicere occultum crimen etiam duobus aut tribus notum, non debeo? An quia occultum? Aut quia de me? Non secundum. Quia si fama præcederet, & legitima accusatio, cum inditijs, vel vno teste omni exceptione maiore, tenerer veritatem dicere contra me. Non igitur, quia de me, dicere non debeo: sed quia occultum est crimen, quod prodere non teneor, nisi aliquo modo venerit in publicum, vel ratione infamiæ vel indiciorum, &c. Si igitur hoc idem contingit in crimine alterius, non debeo sane, nec potero crimen occultum prodere, nisi charitatem & iustitiam offendendo. Præceptum ergo illud & excommunicatio, ac iuramentum interpretari debent ordine iuris seruato, vt scilicet exceptis occultis criminibus cætera manifestentur: nisi vt supra diximus, damnum adhuc impenderet: huius enim alia ratio est.

S E D ait Cord. Primum, non esse simpliciter occultum. Quia probari potest per duos aut tres qui viderunt. Deinde, quod maius est bonum commune, quod ex punitione speratur, quam damnum huius priuati. Sed certè quamuis dum crimen est publicum (vt dixi dub. 7.) licitum sit ob commune bonum reuelare, vt cæteri timorem habeant, &c. Tamen quando ita est occultum, vt duobus aut tribus duntaxat notum sit, nulla est necessitas reuelandi, vt ibi ostendebam. Non enim vllum est scandalum, vel notitia talis peccati in populo, ac per hoc boni communis necessitas non exigit, vt ille prodatur & puniatur. Cùmque conseruari possit fama fratris, vita, &c. vera charitas, & fortasse iustitia læditur ex tali reuelatione. Vnde in hoc Adri. sententia est omnino complectenda.

I L L V D concedamus Cord. quod cum non ad pœnam, sed vel ad emendam, vel satisfactionem læsi, &c. posset, & teneretur sic sciens manifestare prælato, vt patri, qui posset prodesse & non obesse. Aliàs in excommunicationem incideret, vt ipse Cord. fatetur, in d. q. 43. pag. 347. col. 1. idque etiam si sub secreto acceperit. Quia cum intelligat illa via malo fore obuiandum, & non aliàs, mortaliter peccaret, excommunicationemque incurreret, si non reuelaret. Siquidem ex reuelatione nullum inconueniens timetur. Non pœnæ: quia ad pœnam non agitur. Non infamiæ, quia apud vnum & patrem infamatio dici non debet, vt infra latius. Ex alia parte damni occurritur. Iustum igitur est tale præceptum.

T E R T I V S casus, quando quis rem accepit sub sigillo secreti, vt consilium vel remedium adhiberet misero delinquenti in anima, vel corpore, vt medicus, obstetrix, aduocatus, vel alius consiliator, & adiutor mali commissi. Quod verum est etiam præcedente infamatione, semiplena probatione, &c. Ij enim peccant mortaliter reuelando, nisi alia via sciant. Sicut confessor. Et ad damnorum restitutionem tenentur. Ita docet Cord. casu 3. & lib. 1. qq. quæst. 43. dub. 2. pag. 346. col. 1. Et

Et eam sententiam tenet Nauar. cap. 25. num. 41. & 46. casu 7. & c. 18. num. 52. & num. 60. Syluest. confel. 3. quæst. 20. Henric. Quodlib. 9. vt citat Syluest. & idem Syluest. ver. testis, quæst. 8. dict. 2. Gab. in 4. d. 15. quæst. 6. conclus. 7. D. Thom. 2. 2. quæst. 10. artic. 1. ad 2. Adrian. in 4. de confel. dub. vlt. Hanc ramen sententiam ipsi non probant. Verumtamen Sor. de reg. secret. memb. 2. quæst. 9. conclus. 4. contrarium sentit. & 5. de Iust. quæst. 7. art. 1. Cuius ratio est, quia supposita infamia, &c. iudex via & ratione legitimè, & iuridicè procedit. Non ergo promissio, vel iuramenti seruandi secretum alteri, debet illi parere præiudicium, & pro hac sententia citatur Bona. à Cord. & alij doct. quam secutus est Ang. vt refert Syluest. verb. testis, q. 8. dict. 2.

M I N I videtur. Primum, quod si est necessaria talis denuntiatio, vel testificatio ad vitandum reipub. damnum vel tertij, promissio secreti ac iuramentum non obligant, & ita poterit & tenetur reuelare, quod Cord. Sor. & omnes expressè fatentur. Secundò e contra, si per sacramentale secretum nouit, etiam si resp. pereat, & vt Sor. ait, licet pareretur præiudicium totius mundi, vt etiam omnes concedunt. Tertio magis placet Cord. Nauar. & D. Tho. sententia, licet ipsi non probent: Quia cum ille tale secretum sub fide commiserit ad remedium animæ vel corporis, non debet esse ob id peioris conditionis, quam si tacuisset. Nec postulat ius naturæ, vt illi sine causa fides præstita frangatur. Dico sine causa vrgenti, qualis esset, si impenderet damnū reip. vel tertio. Tunc enim ille meretur, vt sibi frangatur fides, cum non desistat à malo inferendo, vel si desistat, tamen bonum innocētis reip. vel tertij præponderat. At cum ad pœnam solum proceditur, non est vrgens causa, vt fides naturaliter debita non seruetur: & ita ac si nihil sciret se habere debet.

D I C E S, non minus obligat ratio secreti ad contegendum delictum, quod ego solus vidi, non mihi commissum, quam si esset commissum: at illud teneor reuelare supposita infamia, &c. Respon. non esse simile. Quia ille mihi committendo non peccauit: sed officio vsus est secum vel cum alijs, & ob id nihil iuris amittere debet, sicut alter, qui secretò faciens peccauit mortaliter quo ius amisit, supposita infamia sequenti. Maximè: quia promissio, & iuramentum per se habent naturalem obligationem: & deformitatem infidelitatis, illa frangere. Et ad arg. Soti respon. Quod tum promissio & iuramentum non obligat contra ius. Supponit enim probandum, quod tum tacere sit contra ius, quod non est dicendum. Licet enim iure interroget in communi: sed non obligatur vnusquisque, nisi secundum modum, quo rem cognouit. Vnde qui per confessionem vel consultationem nouit, non tenetur dicere. In casu verò hæresis, non esset seruanda promissio secreti vel iuramenti, vt supra habitum est. Melius diceret Sor. quod iudex non potest obligare contra ius, quomodo loquitur D. Thom. in d. art. 1. ad 2. dicens contra debitum seruandi secretum non potest obligare. Nihil enim (inquit) potest præcipi ab homine contra id quod est de iure naturali.

QVARTVS casus est, quando quis rem alienam accepit in recompensatione sui debiti, modò debitum sit ex iustitia, & liquidum, & aliq̄ ad sint circumstantiæ quas infrà c. 5. referemus, cum id licitum esse probabimus. Tunc enim nec de se, nec de alijs tenetur manifestare, etiã si sub iuramento & excommunicatione præcipiatur. Imo addit Nauarr. etiam si expressè dicatur, vt reuelet eum, qui subtraxit rem gratia recompensationis. Ita docuit Cord. in d. q. 64. casu 4. & q. 111. ad fin. §. 2. assi. & in d. q. 43. citata. Et idem docuit de exhibenda scriptura in suum dānum q. 63. Est enim similis ratio. Idem docuit Nauar. c. 17. num. 114. & inf. c. 25. num. 46. Med. C. de rest. q. 3. causa 12. & q. 11. & latius Syluest. verb. furtum q. 15. Ang. verb. furtum. Ratio huius est quoniam excommunicatio ferri non potest, nisi vbi est mortale peccatum. At ille mortaliter non peccat, non restituendo, cum reuera nō alienum, sed suum proprium retineat, ergo, &c. De quo latius infrà, cap. 5.

DICES, saltē quando diceret specialiter, vt reuelet, etiã si in recompensationem acceperit. Quo casu Rosel. quē refert Syluest. & Nauar. putant teneri ad manifestandum, quod ille probat. Primò, quia oppositum est contra stylum auditorum Curie Rom. à quibus tales literas emanasse vidimus. Cum tamen non sit dicendum, quòd in hoc Curia erret. Tum rationabilissimè talis clausula apponitur, à prælatis. Quia multi sui amore excæcati credunt sibi deberi, cum tamen nihil eis ab altero debeat, imo fortasse ipsi debent. Et quia, vt plurimū tales decipiuntur, & decipiunt, talis clausula iustè apponitur. Verūm Nauarr. & Ang. simpliciter fatentur, non incurri talem excommunicationem in casu. Mihi placet dist. Syluest. Quia si clausula dicat, vt etiã qui causa recompensationis acceperunt, restituant, non tenetur restituere, neque reuelare, si timeat cogendum fore ad restitutionem. Quia tunc excommunicatio, & mandatum continet intolerabilem errorem. Si verò tale periculum non sit, sententia ligat. Quia de reuelando iusta est, maximè si præsumit illicitam aut nimiam esse recompensationem, aut debitum esse dubium. Sed quid si nescit, an iustè fecerit compensationem? Respon. Ang. quòd tenetur reuelare. Aliàs multæ fraudes fierent, & Nauar. in d. num. 115. Nisi vir esset magnæ fidei, vt dub. ab animo repelleret.

QVINTVS casus, quādo cogendus esset probare, quod denunciatur, cum reuera non possit, vel aliud detrimentum ex tali denunciatione acciperet in honore, vita vel rebus, &c. Cum tātò enim detrimento non tenetur cōtra proximum testificare, aut denunciare. Ita Cord. casu 5. & Nauar. c. 25. nu. 37. qui se refert ad c. 18. num. 58. vbi nihil dicit de hoc puncto. Et ita dicit, in d. c. 25. nu. 50. secundum Bal. receptum in c. Nuntius, de Testa. & in c. delectorum eod. tit. & Fel. ibid.

SEXTVS casus, quando quis ex leuibus personis res scit, quæ non sunt fide dignæ. Tum enim & sibi, qui leuitatis notaretur, & reo, qui ob id rigidius castigaretur, & fortasse iniustè, damnum inferret & tum consilium dat Cord. vt faceret ipse, quo ij, à quibus audiuit testificarentur. Sed mihi non placet tale consilium, quia si personæ non sunt fide

fide dignæ, manifesto periculo reum exponit iniustè infamandi, & ita omnino tacendum putarem. Tandem faretur Cord. in d. q. 64. in fine, quod latius probat, q. 63. & 65. Nauar. c. 25. num. 43. & c. 18. nu. 61. Henric. Gand. Quodlib. 9. in princ. Adria. in 4. de Correct. frat. §. Ostiensis col. 6. Ioan. Med. agens de sigillo confes. vt citat idem Cord. in annot. 229 super Sot. memb. 3. q. 3. corol. 5. Quod in ijs casibus, & quibuscunque reuelare non tenetur, potest iurare se nescire, interius intelligendo ad reuelandum. Quod nos alibi latius docuimus. Et hæc est communior, veriorque sententia, licet nonnulli contradicant, vt Sot. memb. 3. q. 3. conclus. 4. & 5. dub. 3. & conclus. 5. & 7.

DECIMA dub. An clericis liceat denunciationem facere cum agitur de causa sanguinis. Respon. sine controuersia rectè posse, modò protestentur, se non ad pœnam, sed ad cautelam denunciare, neque ex hoc incurritur irregularitas vlla. Ita Caiet. 2. 2. q. 32. artic. 7. Sot. de teg. secre. memb. 2. q. 5. conc. 3. Nauar. c. inter verba 11. q. 3. col. 6. Couar. in Clem. Si furiosus 2. p. §. 5. Canones enim id non prohibent, quod facere homines iure naturæ tenentur. Et ita eisdem can. est decretum, vt si præmittat protestationem prædictam, non incurrat, vt est text. in c. 2. de Homicid. lib. 6. & sic intelligere oportet Concil. Tolet. 23. q. 8. c. 1. à quibus, & c. Clericus, & c. sententiam, nec clerici: qui plura volent legat Couar. & citatos doctores, quod breuiter transcurro, quia non est nostræ disputationis.

VNDECIMA dub. sit de crimine, quod in damnum tantum ipsius peccantis cedit, vt concubinatus, gulæ, blasphemie, &c. An debeat secretè corrigi antequam denunciatur, an licitum sit statim denunciare, quæ præcipuè in religionibus locum habere videntur. In his seruanda sunt omnia supra dicta in 7. 8. & 9. dub. Quibus suppositis tota huius rei difficultas in eo posita est, an quando vides prælatum profuturum quātum satis est, & te similiter, vel certè pone, q̄ prælatus melius proficiet sed tu proderis sufficienter. Denique si dubites, num prælatus, an tu melius ac vtilius occurras damno ac peccato, an liceat sine correptione secreta illum deferre ad superiorem, siue vt patrem, siue vt iudicem? Et primum præsuppono, vt certum, atque ab omnibus concessum, quod superiori, vt iudici non est reuelandum, sine admonitione secreta. Esset enim contra ordinem à Christo positum, & non solum famæ propriæ apud superiorem, sed etiam apud omnes cum publicari debeat, detrimentum fieret. Et deniq; pœnæ subeundæ, quæ omnia iniustè irrogantur, vt patet ex supradictis. Cum enim perniciet reipub. vel tertij non timetur: sed tantum ipsius peccantis nocumentum, & ipse, vel pœnituit vel eius pœnitentia speratur, nulla certè ratione potest non esse contra charitatem illum prodere imo contra iustitiam. Secundò suppono, quod si mea admonitione emenda non speratur, nec etiam reuelatione, & correptione superioris, siue vt patris, siue vt iudicis, similiter non est prodendus. Nā tunc frustra infamaretur, sine fructu, imo cum deterioratione animæ ipsius: sed, vt supra dixi de peccatis publ. Deus est exorandus, & res patienter tolleranda. Tertio suppono,

pono, quòd si mea monitione non speratur correctio, per superioris verò auctoritatem & prudentiam speratur. Tum reuelari potest non solum illi, vt patri, sed etiam vt iudici, Et ratio est plana, quia pluris facienda est, quàm fama, anima proximi, & quàm quæcunque bona temporalia. Si ergo animæ illius profutura est correctio, & castigatio superioris, & aliter non potest ei subueniri, licitè posthabetur fama, &c. Ita D. Thom. quæst. 32. art. 7. in corp. Syluest. Corruptio. quæst. 5. & omnes ex illo.

233 **Q**UARTO est certum, quod si denunciatio est facienda ob hanc, vel illam causam, prius est denunciatio fraterna facienda, id est, superiori, vt patri, deinde, vt iudici. Omnia enim tentanda sunt charitate præcipiente, vt sine maiori detrimento subueniatur fratri. Solum igitur quæstio procedit. Vtrum superiori, vt patri, qui melius, vel ita bene ac ego, poterit remedium adhibere, possim sine monitione secreta reuelare, quod vt dicebam, frequentissimè vsu venire solet in religionibus. Cómisit v. g. religiosus crimen aliquod, est iam emendatus, aut scio ego, quod mea monitione emendabitur, & est omnino secretum. Num liceat tunc superiori detegere? In quo grauissimorum hominum hac nostra ætate vidi varias fuisse sententias. Quidam enim docuerunt id licitè fieri posse, & consequenter necessario esse faciendum, si speciali, vel generali mandato id fieri præcipiatur. Et potest hæc sententia, vt mihi quidem videtur, multis rationibus comprobari. Primum, quia ex non reuelando potest sequi perniciēs communitatis, & plura alia melius ac Deo acceptius vtiliusque religio prouidere potest, vel illum officio priuando, vel eum ciuitate aut loco mittendo, vel consilio, & metu terrendo, vt illum à futuro præseruet, cautioremque reddat. Hæc autem & similia videntur non æquè bene fieri posse à priuato fratre, igitur superiori pio, & discreto non nocituro, nec ad pœnam processuro poterit denunciari, sicque religionis puritas, & perfectio salua consistet: ex huius tamen rei incuria facile corruet.

234 **S**ECUNDO quia talis infamatio, vel nulla est, vel leuissima. Nam quod vir vnus pius & discretus meum crimen sciat, quem vt patrem mecum se gesturum scio, & habiturum se, ac si nulli diceretur, non est vlla, vel si est, certè modica infamia censenda. Tertio, quia mos est in Ecclesia vñtatissimus. Nam episcopi, & eorum vñtatores, & inquisitores solent edicta publica proponere, quibus præcipiunt, vt qui aliquod crimen sciuerint, statim referant, nec audeant rem cum alio communicare sub pœna excommunicationis, quod strictissimè obseruant religionum prouinciales, ac vñtatores: at pro Ecclesiæ pastoribus 235 aliàs doctissimis & sanctissimis est præsumendum. Igitur ordine fraternæ correctionis prætermisso, statim debent denunciare. Et tales sunt aliquarum religionum constitutiones à Sede Apostolica approbatæ, vt quicunq; errores, ac vitia eorum superioribus manifestentur, per quemcunque, qui extra confessionem cognouerit. Hanc sententiam, quæ plurimorum est doctissimorumque virorum huius ætatis tenuit Richar.

Richar. in 4. d. 19. q. 2. art. 3. Ang. verb. denunciatio, & videtur Dur. in d. dist. pro qua sententia Cord. citat. D. Tho. 2. 2. quæst. 37. art. 7. & Quodlib. 13. & Palud. in d. 19. & ita tenet apertè Gab. in can. lect. 74. sub litera T. & præcipuè sub litera V. vbi refert verba D. Thom. in d. Quodlib. in hunc modum scribentis. *In iis distinguendum est de conditione subditi, & prælati. Nam si scio, quod melius emendabitur per prælatum. Et prælatus est pius, & discretus & spiritualis non habens odium, vel rancorem ad illum subditum potest denunciare sibi, &c.* & Bonauen. in commen. super Luc. 236 cap. 17. Syluest. verb. Corruptio quæst. 7. expressè. Et videtur August. sententia, quæstione 1. ad cap. 5. Leuit. & refertur 22. quæst. 5. cap. hoc dicitur, vbi dicit. *Vtrum prodendus sit difficillima quæst. est.* Sed quia non expressit, cui indicandum sit, an ei cui iuratur, an sacerdoti, qui non solum eum persequi non potest irrogando supplicium, sed etiam orare pro illo, videtur mihi, quod se ab hoc peccati vinculo absoluar si indicat talibus, qui magis prodesse possunt, quàm obesse periuro, siue eum corrigendo, siue Deum pro eo placando, si & ipse confessionis sibi adhibeat medicinam, &c.

VERVNTAMEN alia ex parte sapientissimorum hominū est contraria sententia, qui omnino censent peccatum esse mortale, & contra Domini præceptum tam prælati præcipientis sine secreta admonitione 237 tale peccatum proderet, quàm ipsius, qui obedit. Ita docet D. Thom. 2. 2. quæst. 32. artic. 7. ad 4. vbi sic ait. *Quod si proclamationes, quæ sunt in capitulis religiosorum essent de culpis grauibus, de quibus frater infamaretur esset peccatum contra domini præceptum, sic illud publicare.* Et clarius in sol. ad quintum. *Quando prælatus (inquit) præcipit, vt sibi dicatur, quod quis sciuerit corrigendum debet intelligi, saluo ordine fraterna correctionis. Sed si prælatus expressè præciperet contra hunc ordinem, ipse peccaret præcipiens, & ei obediens, quasi contra præceptum Domini ageret, & non esset ei obediendum. Quia non est index iudiciorum occultorum, &c.* Et in dicto Quodlibero tertio apertè docuit. Quod si frater per me corrigitur, non debeo denunciare prælato. Vnde, quod subdit: *Si autem melius fiet per prælatum, &c. non sic est accipiendum, vt si parum plus iuuaretur frater ex dict. denunciatione prælato facta, statim denunciari debeat: sed quando ita melius fit, quod notabiliter iuuaretur, & vix tandem per me fieret, aut notabiliter minus bene. Quod ex eo constat. Tum ex præci-* 238 *tatis locis in dict. 22. Tum, quia prius planè dixerat, quod si per me frater est corrigendus, non debet deferri. Tum, quia, vt statim subdit concludens. Quod in omnibus his tenendum est pro regula, quod est seruanda charitas, & quod melius magisque expedire videbitur. Si autem æquè bene, vel parum melius per prælatum occurrendum est, non seruetur charitas, nec fiet, quod melius & magis expedit: igitur, &c.* Hanc sententiam expressè tenet Dominicus Sotus de telegend. secret. quæstione quarta, conclusionem tertia. Cordub. in eum locum, qui in hoc sensu intelligendum esse Diu. Thom. censet & apertè Nauarrus cap. 24. numero 12. & Adrian. in quarta quæstione vltima de correctione fraterna, quem refert Cordub. & Nauarr. Pro eadem sententia citatur Paludan, dist.

19. Armill. §. tertio & accusatio §. septimo S. Thomas Quodlibet. II. articulo 13. & 15. Caietanus quæstione 69. articulo secundo. Iuxta hunc enim sensum eos accipiendos putat Cordub. Idem tenet plane Gabriel in canonica lectione 74. sub litera V. sequens D. Thomam in dicto

239 Quodlibeto: pro hac sententia citatur Angel. verb. denunciatio. §. decimo, sed satis immerito: nam priorem Richardus, Durandus & aliorum sententiam secutus est. Et potest hæc sententia probari ex Augustino epistola 109. vbi sic ait ad medium. *Si oculorum petulantiam in aliqua aduerteritis, statim admonete, ne cepta progrediantur: sed ex proximo corrigantur. Si autem & post admonitionem iterum, vel alio die ipsum facere videritis, iam velut vulneratam sanandam prodat quacunque* (supple monialis, de his enim agit) *prius tamen vel alteri, vel tertia demonstratam, &c.* Et infra: *Prius preposita debet ostendi, si admonita neglexerit corrigi, ne forte possit secretè correpta innotescere cæteris.* Et pro eodem citatur Basil. in regul. 46. & infra. Et de Episcopis probatur in capitulo Accusatio. quæstione septima, Vbi Anaclætus epistola secunda ad Episcopos Itali. Sic ait: *Si quis aduersus Episcopos habet causam, prius ad eos recurrat charitatis studio, ut familiari colloquio ea sanent commoniti, quæ sananda sunt, & charitate emendent, quæ iuste emendanda cognouerint. Si quis autem priusquam hæc fecerit lacerare, auferre, aut infestare presumpserit, excommunicetur.* Et capitulo Si quis, eadem causa, & quæstione. Ait Alexander: *Si quis contra Episcopum, vel actores Ecclesie habet querelam non prius primates, vel alios adeat iudices, quam ipsum priuatum conueniat, &c.* De omnibus autem probatur hæc sententia. Primò ex ratione suprâ tacta à Diuo Thoma. Quia

241 occultorum homo iudex non est, antequam appareant per indicia, vel præsumptiones. Vnde in dicto capitulo Erubescant, ait Urbanus. *De manifestis criminibus loquimur, Secretorum autem, & cognitor Deus & iudex.* Tum ex Christi sententia Matthæ. 18. Vbi expressè id præcipit dominus dum ait: *corripe illum inter te & ipsum solum, si te audierit lucratus eris fratrem tuum, &c.* Imo non solum quando est certa emendatio fratris: sed etiam quando probabiliter, licet sub dubio aliquo modo speratur emendatio. Ob id enim dixit, *si te audierit lucratus eris fratrem.* Quid planius (dicunt isti) dici potest? ut intelligamus non esse fratrem statim prodendum superiori, sed priuatim commonendum. *Et si acquiescat lucratus eris sine infamiatione.* Et ratio huius diuini præcepti,

242 quod non solum diuinum: sed naturale est, id ostendit. Quia lex naturalis & charitatis vinculum (quo coniunctos esse, & diligere inuicem debemus) dicitur, ut quando sine præiudicio, vel communis boni, vel tertij potest simul conscientia, & bonæ existimationi fratris occurri, id fiat, sine alicuius partis famæ, scilicet, vel conscientia læsione. At sic est in præsentia, ut supponimus, potest siquidem conscientia proximi simul cum fama seruata occurri & mederi, ergo non licet illum detegere, sed aliter mederi & sanare, quemadmodum (dicunt præfati Doctores) non rectè faceret medicus, qui potens medelam adhibere sine incisione, vellet lacerando atque incidendo curare. Secundò, quoniam, ut Sotus objicit membro secundo, quæstione quarta, conclusione tertia,

contra

contra iustitiam facit, qui ante monitionem fratris crimen indicat prælato: Nam fama subditi apud prælatos, magno æstimanda est. Et ob hanc ipsam rationem, ut infra dicemus, ipse arbitratur, quod est mortale peccatum vni vel duobus grauibus viris detegere peccatum proximi. Quod enim grauior est vir, eo magis perditur, ait Sotus, de opinione. Et idem nisi in extrema necessitate, id est, quando aliter vel religioni, vel tertio, vel ipsius peccatoris conscientia, & emendationi non potest subueniri, non est prodendus.

HÆ sunt doctorum sententiæ, & rationes quorum non diuersum, sed vnum fuisse sensum aliquis fortasse arbitretur, si isto modo distinguat. Aut enim is, qui crimen cognouit verisimiliter potest cogitare fratrem iterum lapsurum, & tum priorem sententiam admittendam esse: sin verò iure existimare potest probabiliter minimè tale peccatum fore iterandum. Tum, quia scit omnem occasionem esse sublatam, & verè & ex anima defuisse, &c. secundam hanc alioqui sententiam locum habere.

H V I V S esse potest ratio quoniam in primo casu cum iure possit timeri reincidentia, ut ab ea præseruetur eius conscientia negotium utiliter geritur, simulque communi bono consulitur, quæ sane præferenda sunt eius, vel parua infamia, vel nullius. Dico *parua aut nullius*: quia cum prælato ut patri indicatur; pio & prudenti, certè est, ac si omnino nulli diceretur. Vnde inferius, numero 334. probabimus loquentem de peccato occulto proximi cum viro graui, cui dicere est, ac si nulli diceretur non peccare mortaliter, eo quod sit leuis infamatio, etiam si ex leuitate quadam faciat, sed esse tantum veniale, quod si bono fine faceret, ut ad consilium petendum, vel ad iuuandum peccatorem siue oratione, siue occasionem peccandi tollendo, & huiusmodi, non fore vllum peccatum, multò ergo minus peccabit si prælato, ut dictum est, quo illum præseruet, reueletur.

E T in hoc sensu planè locuti sunt illi authores. Ut Durandus id ipsum concessit etiam si non sit prælatus, sed alius priuatus, qui præseruare posset à recidiuo, in secundo autem casu, cum scilicet omnino talis relapsus non timeretur vlllo modo, cessat prædicta ratio, & Diu. Thom. aliique de secunda sententia doctores loqui videntur. Quare non oportet in hac re amplius insistere, satisfuerit siue hæc, siue illam sequaris doctorum relatum opinionem, illud syncerè, & sine importuna disputatione eligere, quod magis expedire, & ad Dei gloriam, & proximi salutem visum erit. Id hoc loco dubitari posset fortasse, an si ego vidi Petrum crimen commisisse, quem scio amicum habere pium, & discretum, cuius autoritate illi melius emendabitur, quam mea an liceat illi reuelare?

HANC sanè disputationem in hac specie tradit Bartholomæus à Medina in sua Instructione confessoriorum: cuius sententiæ, quoniam contrarium video Durandum quem statim refero, placet vno verbo explicare. Prædictus igitur Medina libro primo capitulo decimoquarto §. decimosexto, versiculo *Dudase*, putat non licere, quoniam (in-

quit) fit illi grauis offensa, qui bonam opinionem apud grauem amicum perdet.

247 **C O N T R A** verò sentit Durand. in dicta quæstione quarta numero quarto ad finem: probatque ex Augustino super caput quintum, Leuitici, quem supra retulimus ex capit. Hoc videtur 22. quæstione sexta, *Videtur mihi, ait Augustinus quod ab hoc peccati vinculo se absoluat si indicet talibus, qui magis prodesse possunt, quam obesse periuro, siue eum corrigendo, siue Deum pro eo placando.*

248 **N O S** igitur in hac sicut, & in præcedenti difficultate nihil de nostro dicimus, satis putamus doctorum protulisse sententias eorum rationes & fundamenta. Audire cupimus, magis quàm præcepta dare. Id dumtaxat dicam posse horum doctorum dissentionem componi, sicut & præcedentem iuxta distinctionem supra tactam. Si enim verisimile est fratrem omnino ad vomitum non rediturum, quia scilicet occasiones ablatae sunt, & ipse notabiliter est commutatus in mentem meliorem, &c. Barth. Medina sententia locum habebit, si verò relapsus, iure timeri potest Durandi sensus ex Augustino sit admittendus. Quod non desinam explicare exemplo quodam adducto ab Augustino, Gabriel. referente in canonica lectio. 74. sub litera T. quod etiam venerabile Hugonem cum exponit Augustinum admittere video. Sic igitur propono, scis fratrem tuum vulnere corporali grauer laborasse, sed iam sanum esse factum, aut proximè verisimiliter sanandum, non videtur opus esse medico. Non enim opus est medicus valentibus. Scis tamen, quod etiam si iam sanus sit effectus, esse tamen verisimile in eundem morbum ad mortem iterum incursum, quis non videat prudentiam charitatemque postulare, vt eius morbum non occultes, ne pereat. *Si crudelis est, ait Hugo, qui vulnus in corpore fratris calat, multo magis crudelis est qui vulnus in anima fratris, non indicat, quem tacendo perire permittit.* Vnde Iacobus Apostolus in epistola canonica capit. 5. *qui conuerti fecerit (ait) peccatorem ab errore via sua saluabit animam suam, & operit multitudinem peccatorum.* 249 Maximè, quia, vt supra dicebam, & inferius in hoc capitulo latius probandum mihi est, quando secretus cognitor criminis vni, vel duobus taciturnis viris refert, quibus dicere, est ac si nulli omnino diceretur, non est mortale peccatum infamationis, cum notabilis non sit famæ deperditio, vt constat, multò ergo magis licebit, quando ob eius bonum manifestatio fiat, quare mutatis circumstantiis, hæc vel illa opinio esset tenenda cum contraria dicere non videantur. Per quæ facile argumenta vtriusque opinionis soluere ac componere licebit. Hic tamen oportet animaduertere, quod licet cum prædictis circumstantiis licitum esset peccatum manifestare: sed non tenetur quicumque id facere: sed ij tantum quibus ex officio incumbit, qui sunt veluti fiscales in rep. Syndici vel deputati, vt criminalia animaduertant, & norent. Modus autem noster tangitur à Gab. in can. lect. 74. litera. T. casu. 6. sed de iis hæctenus.

250 **D V O D E C I M A** dubitatio sit, cum actum iam sit de inquisitione & denuntiatione, & de accusatione. Vtrum accusator antequam accuset teneatur

teneatur admonere proximum, vt satisfaciatur. Et videtur, quod teneatur admonere. Quia aliàs iniuste, & sine causa infamaretur apud iudicem, & etiam pœnam posset vitare monendo. Secundò, quia si in denuntiatione fraterna, & iudiciali ad pœnam est necessaria secreta admonitio: idem videtur, eadem, imò maior cum ratione dicendum de accusatore. Tandem quia Christus docuit, vt antequam diceretur Ecclesiæ id est iudici, testes adhiberentur, quibus postea posset accusatio comprobari. Primò certum est quod falso accusare peccatum est mortale, sicut falso testificari, & accusator tenetur famam, & omnia alia damna reparare, vt de se patet, & vocatur calumniæ peccatum graue atque detestandum, Secundò, quod si crimen est verum, sed ipsi tantum, vel alteri notum, similiter peccat mortaliter, cum infamet proximum publicè de eo, quod est omnino improbabile. Et ita ad damnorum restitutionem teneatur. Ipseque sibi damnum infert: Tum quia se infamat, cum calumniator iniustus sit habendus: tum, quia exponitur pœnæ talionis, non probando accusationem. Denique delinquit contra charitatem & iustitiam proximi, & contra seipsum. Nec est eadem ratio de denuntiatione, quæ siue fraterna, siue iudicialis sit, non infamat publicè, sed tantum apud prælatum. Nec se exponit periculo, cum denuntiator probare non debeat, vt omnes fatentur. Si ergo in denuntiatione tam fraterna, quàm iudiciali necessaria est secreta admonitio, multò magis erit cum per viam accusationis delictum omnino improbabile proximi divulgatur. Est enim inutilis infamatio & iniusta, vt dictum est.

T E R T I O fatentur aliqui, quod si crimen probari potest, non est necessaria secreta monitio, sed potest accusari, siue id fiat ob priuatum bonum actoris, vt sibi satisfiat, aut propter reipub. bonum, vt delicta puniantur, ad quod vnumquodque reipub. membrum ius habere videtur. Tum, quia sic alij à peccando deterrentur. Tum, quia illius confortio, & familiaritate alij inficiuntur. Denique, vt alij ignorantia non excusentur. Ita docet Nau. c. 18. num. 30. Adri. in 4. de Corrept. frat. col. 17. 252 versu. ad 2. Sor. de teg. secret. memb. 2. q. 5. cõcl. 4. ad fi. Glof. in c. Si peccauerit 2. q. 1. & Cord. de detrac. q. 2. cõcl. 4. & q. 3. cõcl. 4. ex Scot. in 4. d. 15. & Dried. de libertate Christiana, li. 2. c. 10. & habetur ff. de Iureiur. Eum qui. Probat Sor. quia finis accusatoris non est emendatio, sed vindicatio, atque punitio, admonitio autem est ad emendationem. Non ergo astringitur accusator admonere. Vnde quantumcumque pœniteat delicti, v. g. si occidit patrem, potest accusari. Secundò probari potest ex c. Qualiter & quãdo de Accusat. vbi dicitur: quod sicut denuntiationem admonitio, ita accusationem inscriptio debet præcedere. Addo aliud argumentum, quia ex quo delictum potest probari, iam ille videtur amississe ius seruandæ sibi famæ cum in alios peccauerit. Vt enim omnes Doctores ex Aug. exponunt locum illum Matth. *Si peccauerit in te frater, &c.* Non est sensus. Si peccauerit contra te, vt glo. interlinearis exposuit: sed sensus est: *Si peccauerit in te, id est, te sciente. Nam meritò in me peccat, qui me sciente peccat, cum sit mihi offenculo. Si ergo peccauit coram multis, iam in alios peccat, & ita non habet priuilegium Christi, qui lo-* 253

loquitur de peccato omnino secreto.

CONTRARIAM sententiam secutus videtur Sylu. verb. accusatio, q. 3. Caiet. 2. 2. q. 33. arr. 7. D. Th. in 4. dist. 19. q. 2. art. 3. q. 1. ad 4. qui utramque opinionem refert, & nullam improbat. Quamuis Sor. primæ sententiæ fuisse eum putet, cum eam referat secundo loco: Sylu. verò huius fuisse opinionis sentit quod non liceat sine monitione accusare: tum, quia Christus generaliter loquitur tum: quia curandum est de fama, si possumus. Eiusdem sententiæ est Durandus 4. dist. 19. quæst. 4. & idem Corduba in annot. ad memb. 2. quæst. 5. conc. 4.

254 MHI videtur. Primum, quod in foro causarum non est necessaria monitio, & ita fatentur Sor. Syluester S. Thomas &c. Et ita loquitur d. c. Qualiter & quando, sed satis est si præcedat inscriptio, & ita seruat vsus forensis. Secundò videtur, quod si ad bonum commune sit necessarium, imo ad priuatam satisfactionem petendam: si aliter haberi non potest, licitum est sine monitione accusare. Et ita fatentur omnes, & in particulari Syluester qui in secunda est opinione, etiam si delictum sit emendatum, ut docet ipse in dic. quæstione 3. & quæst. 9. Si autem nulla alia utilitas expectetur, quam ut delictum puniatur, & ea intentione quis accuset, maior dubitatio est. Et sane semper in hac re dubius fui tam in denunciatione iudiciali, quam in accusatione. Ex vna parte est ratio Sor. & ea quæ est à me allata. Vnumquodque enim reip. memb. ius habere videtur petendi, ut delicta puniantur. Est enim finis ille boni communis, ut alijs exemplum viuendi detur, & tranquillè viuatur, alij non inficiantur, &c. Ex alia tamen parte est charitas. Si enim nulla necessitas est, aut utilitas mea, vel tertij, vel reip. non video cur non teneamur lege charitatis proximum iam emendatum, vel emendandum liberare & protegere, potius quam tradere iudici, exemplo Ecclesiæ, quæ malefactores protegit. Maximè si correcti, vel corrigi sint parati. Quia id ex Euangelio colligi videtur. Nam excommunicatio 255 pœna est & illà præcipit Christus monitione præcedente. Vnde utramque opinionem Diuus Thomas insolutam relinquit. Quare non condemnarem ego sane sic accusantem aut denunciantem ad pœnam, & restitutionem famæ & damnorum, præcipuè vbi peccatum fuit iniustitiæ contra se, vel alium, & per modum quærelæ apud superiorem manifestat. Vix enim tandem obligari potest is, qui læsus est, ut alterum moneat, &c. Sed neque facerem, neque facere consulerem, quando ut dixi, nec satisfactio est facienda, nec aliud damnum imminet, nisi quod ille non est punitus. Sic fecit B. Ioseph, qui noluit Virginem tradere sed occultè dimittere. Vnde Augustinus sermone decimosexto de Ser. Domini relatus, capite Si peccauerit 2. quæst. 1. *Si solus nosti, quia peccauit in te, & eum vis coram omnibus arguere, non es correptor: sed proditor.* Et infra §. *Novit. Novit enim nescio quem homicidam episcopus, & alius illum nemo novit, ego nolo illum publicè corripere, & tu quæris inscribere, &c.* Imo plane arbitratur Cord. quòd etià si intercedat bonum commune, 256 & interesse partis, tenetur præuiam admonitionem præmittere ad accusationem non ratione boni communis, vel ad interesse proprium, sed ratione

sed ratione emendationis fratris, cuius salus non est postponenda, quomodocumq; contra eum agatur. Illud fortasse concordando sententias dici posset, non peccare contra iustitiam, nec per consequens vllam damnorum restitutionem deberi. Quoniam ex quo coram ijs, per quos probari delictum potest, peccauit, ius amisit secreti seruandi: quæsitumque est à quocumq; ius accusandi, & punitionem petendi. In quo prima placet sententia, at tamen peccatum esse simpliciter contra charitatem mutuamque dilectionem, qua tenemur proximorum defectus, eorumque damna vitare, dum commodè sine alterius præiudicio facere possumus sicut in frà dicemus de eo, qui infamatum in vno loco, vel olim, in hoc loco, & tempore infamat vbi peccatum vel nesciebatur, vel erat pœne oblitum.

Ad primum argumentum Resp. Quod sine causa non infamatur, 257 sed ob bonum commune ad quod pertinet valdè vtiliter delicta puniri, si ut dixi probabile est crimen. Aliàs esset illicitum, & perperam infamare, & deinde ut recta intentione fiat. In delictis tamen, quæ non concernunt ius alicuius, ut concubinatus, blasphemix, &c. magis postulat charitas à denunciatione, & accusatione abstinere, etiam si probari possit. Ad secundum fatentur in denunciatione fraterna esse necessariam monitionem. Quia est ad emendationem fratris. Vnde si illa iam est præsens, vel verisimilis, frustra, & iniuste fit infamatio. Secus est de iudiciali, quam ut dixi, satis probabile est posse sine monitione fieri, cum delictum potest probari, sicut & accusatio. Pro solutione verò tertij argumenti placet illam non inutilem quæstionem disputare, de inductione testium.

DECIMATERTIA ergo dubit. sit. Vtrum denunciationem de- 258 beat præcedere testium inductio? Et primum meo iudicio, non est quæstio de iudiciali denunciatione, vel accusatione. Hanc enim sine monitione fieri posse diximus, & per consequens sine testium inductione. Quæstio ergo procedit de denunciatione fraterna superiori facta, ut parti, & etiam de iudiciali, & de accusatione si eam teneamus opinionem, quæ requirit præuiam monitionem. Et prima opinio est Dur. in 4. d. 19. quæst. 4. & Altisio. lib. 3. trac. 25. c. 1. quæ etiam opinio tempore D. Th. circumferebatur, ut ipse dicit in sol. ad 1. arg. 8. & eam secuti sunt plures iurisperiti, ut refert Sor. memb. 2. q. 4. conc. 5. Hi asserunt tunc solum esse coram testibus fratrem admonendum, quando plures sciunt eius crimen, & tunc adhibendi sunt noui: sed illi ipsi, qui sciunt crimen, per quos probari possit coram Ecclesia, id est, coram superiore, si opus erit. 259 Vnde si crimen tantum est vni cognitum, & non pluribus, aut illi, quibus est cognitum non adsunt, siue frater secretæ admonitioni adquietat, siue non, illic est sistendum quousque vel testibus, vel iudicijs, vel aliter appareat. Et hæc sententia videtur apparentibus rationibus confirmari. Primum, quia frater infamatur apud testes inutiliter. Cur enim illi adhibiti testes credere poti⁹ mihi corripienti, quàm alteri debent? Aliàs quicumq; posset innocentem aliquem coram duobus, aut trib⁹ corripere, cum non oporteat illum aliter crimē probare, quàm suo testimonio, Oportet

Oportet ergo, vt fructuosa sit testium inductio, & non iniuriosa proximo, vt coram iis solùm corripiatur, qui iam sciunt crimen, & non aliter. Secundò, quia si peccatum est occultum omnino, quorsum testes adhibendi sunt noui? Non certè ad probandum præteritum crimen: nam id est cassum, cum probari per eos nequeat, neque ad obseruandum peccatorem, si postea labatur: nã id illicitum est, Aug. dicente: *Non debemus esse exploratores aliena vita*: imò ait Dur. potiùs esse manifestandum delictum iis, qui possunt impedire, quàm iis, qui capere possent peccatorem: neque tandem sunt testes afferendi, vt possit postea probari, eum fuisse admonitum, quia non potest ob id iudex ad punitionem procedere. Quid enim refert testes exhibere monitionis, nisi criminis testes exhibeas. Tertio, quia reus potest illum conuenire de infamia ad pœnam talionis, cum crimen secretum sit, & nulli sint testes criminis.

VERVM doctorum omnium est contraria sententia, quod scilicet si non sufficiat secreta admonitio inter te & ipsum solum, adhibendi sunt testes. Si tamen sit spes emendæ. Vt enim sæpè diximus, & in specie adnotat Corduba in annotatione in Sorum ad membrum 2. quæst. 4. conclusione sexta ex eodem Sor. ibidem, Diuus Thomas, Caietanus & Richard. vt ille refert Gabr. in canone litera T. & V. Adrian. Quodlibeto II. & in 4. de correptione frat. Syluester denunciatio, quæstione quarta & Dominicus Banes loco citato, si hæc desit, non est quicquam tentandum. Quia esset peius, & vt dici solet ratio eorum, quæ sunt ad finem sumenda est ex fine ipso. Ita sane docuit Diuus Th. art. 8. q. 33. & ibi Caiet. Adri. in 4. q. de correctione fraterna. Palud. d. 16. q. vlt. Richard. ead. dist. Gabr. in d. lect. 74. litera Q. & Y. Ant. 2. p. tit. 9. cap. 6. §. 7. Dominicus Banes vbi supra q. 3 Sor. eam latè versat de teger. se-cr. memb. 2. q. 4. in 5. conc. Cord. in annot. ad eum locum. Hæc ergo sententia meritò confutatur à Sor. & à D. Tho. in sol. ad 1. Est enim contra Aug. in illa epist. 109. quem supra retulimus, vbi loquens de religiosa impudicè peccante ait, *Si autem post admonitionem iterum aut alio quoque die ipsum eam facere videritis, iam veluti vulneratam sanandam prodant quacunque hoc poterit inuenire, prius tamen alteri aut tertia demonstratur, vt duorum aut trium possit ore conuinci.* Neque verò solutio Durandi ad rem est. Dicit enim Augustinus non esse locutum de crimine, sed de petulantia oculorum, quæ disponit ad crimen. Tum, quia dicit esse vulneratam & sanandam. Sentit ergo esse peccatum. Et statim subdit: *Quod autem dixi de oculo non figendo, etiam in cæteris inueniendis prohibendis, indicandisque peccatis diligenter fidelitèrque obseruetur,* vides planam Augustini sententiam de quocumque peccato. Hæc autem sententia probatur primò ex textu Euangelico vbi Christus dicit. *Adhibe tecum duos testes &c.* Vbi vniuersaliter loquitur Christus sine vlla limitatione ad peccata alijs cognita. Imo magis ostenditur esse sermo de peccato nulli nisi corripienti noto. Dicit enim *si peccauerit in te*, vbi teste Aug. relato in cap. Si peccauerit. 2. q. 1. sensus est, si peccauerit in te solo sciente: Nam qui peccat coram alijs, non in te, sed in alios peccat. Ratione etiã probat D. Th. quia non erat æquũ, vt de vno extremo ad aliud

aliud transfiretur, scilicet de omnino occulto, ad omnino publicum crimen, sed vt suauius peccator sanaretur. Et propterea primò ponitur omnino secreta admonitio. Secundò testium inductio, vt paucis manifestetur peccatum, qui possunt prodesse, & non obesse, vt saltem sine infamia apud multitudinem emendetur. Deinde quia salus conscientie proximi famæ eius est præferenda. Item si fama est ferienda ob eum finem, oportet, vt quantum fieri possit minus famæ lædatur. Si igitur spes emendæ est per nouorum testium inductionem, potest quis eos adhibere antequam denunciaret. Imo id facere tenetur, vt sic cum minore famæ detrimento sanet ægrotum exemplo medici corporalis, qui si parua incisione potest morbo occurrere, nec vult, nec debet maius vulnus inferre. Vnde colligit D. Thom. in sol. ad 1. & Sorus & Banez vbi supra, & est omnium consensus, quòd si ex talium testium inductione timeretur fratrem deteriore futurum (Tunc enim superiori dici posset, vt priuatæ personæ consulente August. vt supra diximus) totaliter esset à correctione cessandum. Sed rogas, an secreta admonitio sufficiat semel? Respon. D. Thom. in sol. ad 1. Sor. in dict. conclusione 5. Syluest. correctio, quæst. 5. quòd pluries est facienda, quoties spes foret emendæ. Numerum autem relinquit Sor. arbitrio boni viri, & ex citatis Aug. verbis id colligunt doctores.

ROGAS secundò quorsum ista inductio testium est facienda? Respon. doct. primum, adhibitis testibus magis confundetur, & emendabitur, vt August. epist. 87. vel multorum rationibus & autoritate plus persuadetur, aut metuens ne capiatur in crimine cautiùs viuet de cætero, aut minus tentabitur à Diabolo, cum plures sint, qui fratrem custodiant, vel vt proximo peccati cognitor ostendat se non consentire, sed malum iudicare, id quod arguit, vt ait, Chrysoft. homil. 61. in Matth. aut si peccet frater ex ignorantia nesciens aut dubitans, an sit peccatum, vt instruat, vt dicit Hiero. in eum locum. Sor. etiam & Banes existimant adducendos testes, vt obseruent fratrem, in futurum. Et ad illud Augustini quod *non debemus esse exploratores aliena vita.* Respondetur, quod id est verum quando non dat causam talis obseruationis, secus autem in eo qui dat causam, &c. Ego aliter responderem, quòd obseruare proximum ad murmurandum, & similes fines, quod frequentius fieri solet, est meritò à concionatoribus reprehendum, in quo sensu intelligo Augustin. Inde enim murmurationes, dissensiones, rixæ, &c. oriri solent. Sed obseruare proximum prudenter ad bonum ipsius, vel communitatis in qua viuit, non est illicitum imo sæpius necessarium, vt in repub. fiscus, & in religionibus bene institutis quidam religiosus designatur à prælato, quos obseruatores, aut Syndicos appellant, vt animaduertant ea quæ corripere opus erunt. Id tamen prudenter est faciendum, ne occasio sit turbationis in fratre, magis quàm profectus. Vnde ipse Altisio. apertè fatetur vbi supra, quòd si peccatum à me solo cognitum est iterabile, vt fornicatio, furtum, &c. Debet dicere duobus bonis viris, qui de facile (inquit) possunt deprehendere ipsum, & tunc corripere.

Ex dictis facile vnusquisque intelliget, quis sit iustus quis iniustus infamator proximi prætextu publicæ potestatis ordinisq; iudicialis. Ex quo facile potest colligi restitutionis obligatio. Omnis enim iniustus proditor ac infamator proximi restituere tenetur nõ solum famam, verumetiam omnia damna ex tali actione iniusta, consecuta. De iudice verò infamante per sententiam, & quamcunque aliam pœnam, plana est resolutio. Si enim ordine iuris id efficiat, nil restituere tenetur. Sin verò est infamator iniustus, de quo supra latè diximus. De læsore ergo famæ publica potestate satis dictum sit.

267 **SECUNDA PARS DE LÆDENTE**
famam alterius, vt priuata persona.

PRIMO certum est, quod imponens proximo falsum testimonium siue in iudicio siue extra, peccat peccato detractionis. Ita docet Nauar. cap. 18. num. 22. D. Thom. 2. 2. q. 23. per totam, & ibi Caiet. Barth. Med. in sum. lib. 1. c. 14. §. 35. Syluest. verb. detraçtio. & omnes communiter, & manifestissimum est: tum, quia contra ius naturale peccatur cum fiat aperta iniuria proximo: tum etiam contra ius diuinum. Vnde in 8. præcepto decalogi dicitur, *non falsum testimonium dices.* Et Paul. ad Gal. 5. *Si inuicem mordetis, videte ne ad inuicem consumamini.* Et Eccles. 28. id grauitè reprehenditur. Secundò etiam certum est, quod etiam si verum crimen detegatur incurritur peccatum detractionis, vt docet 268 Nauar. numero 24. & 25. Licet enim magis peccet falsum imponens, tamen ex parte nocenti famæ paria sunt. Tertio fatentur omnes, quod detraçtio dupliciter est mortale, vel quia intentione lædendi famam fit, vel quia ex facto reipsa læditur, licet non intendatur explicite, vt supra ostendimus. Et specialiter docet Barth. Med. §. illo 35. fol. 182. Caiet. verb. detraçtio, Armil. ibid. §. 1. Syluest. & omnes, quotquot hac de re disputauère.

PRIMA dubitatio sit. Vtrum reuelans peccatum alterius confessori, non potens aliter suum peccatū manifestare, peccet mortaliter? Omnes infra citandi fatentur, quod si timeretur publica infamatio personæ à sacerdote, tacendum est, & idem si timeretur aliud damnū pecunię. Secundò docent, quod si est alius confessor, qui personam non cognoscat, tenetur pœnitens petere licentiam à parochio. Non enim habet licentiam eo ipso cum alio confitendi, vt notauit Palud. Adria. & Nauarr. 269 Et ratio est meo iudicio: quia omnia peccata mortalia istius respectu alterius, quàm parochi sunt reseruata, ita vt nullam habeat iurisdictionem alius, quàm proprius sacerdos. Quæstio ergo tantum est quando ex manifestatione circumstantiæ persona cognoscitur à sacerdote, & non est copia cum alio confitendi: vel quia est articulus mortis, vel abest parochus, vel si est præsens non vult dare licentiã. Ponamus etiam, quod quamuis mutet habitum, vt Caiet. dicit. Non sufficit, quia parochus vult cognoscere, an sit sius ovis, & eam videre. Denique nullum est aliud

est aliud remedium, quam vel tacere circumstantiam complicitis, vel eam confiteri. Viguerius videtur docere omittendam tunc etiam totam confessionem, & sine illa communicandum, si currit præceptum. Quia tunc vtendum est regula de non habente copiam confessoris. Hoc tamen alibi impugnauimus. Debet enim seruari præceptum quoad potest. Canus verò, & Ledesma existimant saltem in articulo mortis licere detegere complicem. Quia infamiæ iacturam tollerare debet proximus, vt liberetur ab ea necessitate. Sed hoc rectè impugnatur à Sor. & Banes. Si enim alio tempore salubris est confessio omiſsa circumstantia, 270 cur non in articulo mortis, & si salubris est eam etiam confitendo similiter extra illum articulum. Rationes enim quæ probant tacendam esse, de omni tempore probant, aut de nullo. Nec ratio Cani valet. Quia ille non liberatur à morte corporali per illam manifestationem, nec ab spirituali cum licitè taceat, & gratia sacramenti non fraudetur, confitendo alia mortalia vel vnum veniale. Hanc quæstionem latè disputat Cordub. in sum. q. 1. inter alios.

IN hac ergo quæstione sic intellecta prima opinio tenet esse necessariò manifestandam talem circumstantiam complicitis, si mutat speciem, vel secundum aliorum opinionem si aggrauat notabiliter. Hanc sententiam tenet S. Tho. in 4. dist. 16. q. 3. art. 2. quæstiuncula 5. ad 5. & opus. 271 12. art. 9. Alex. 4. par. quæst. 77. memb. 2. ar. 4. Bonau. d. 21. 2. par. dist. art. 1. quæst. 3. in corp. & 1. par. opus. tit. de modo confitendi. cap. 1. Palud. d. 21. quæst. 3. art. 2. conc. 2. & d. 16. quæst. 3. art. 3. ad 2. Richar. d. 21. q. 2. ar. 5. Henri. Quodlib. 3. q. 23. Dur. quæst. 16. quæst. vltim. nu. 8. Gab. d. 17. q. 1. conc. 5. Antoni. 3. par. tit. 14. cap. 19. §. 11. Med. C. de confes. c. de circumstantia temporis & loci ad fi. fol. 54. Adrian. in 4. q. 1. de confessione. §. Sed oritur ex his, Sor. d. 18. q. 2. ar. 5. ad 4. Syluest. confessio. 1. quæst. 24. Gerson Alphab. 41. litera. L. & 42. F. Rosell. confessio. 1. §. 6. Almain. d. 17. q. 1. art. 2. §. Circa hanc materiam. Vict. in sum. quæst. 161. Cord. tra. de detraçt. memb. 4. quæst. 2. con. 3. & in sum. q. 1. Angel. Confessio. 1. §. 3. Et huius opinionis est Caiet. in sum. verb. confessio, condi. 3. Quamuis pro opposita sententia citatur à Ledes. Banes, & Can. Dicit enim quod si sit vir bonus confessor, de quo non est suspicio futuræ infamiæ potest explicari. Et apertius in opus. Quodlib. 2. resp. 5. ad fratrem Cherubin. Victor. de confes. §. 174. Pedraza in sum. in anno. 5. ad Naua. fol. 54. 272 & 55. & idem tenet Maior dist. 21. quæst. 3. argumen. 8. imò etiam Bern. apertè (ex quo Banes oppositam sententiam probat) huic sententiæ ad stipulatur in tract. formul. honestæ vitæ, in fine. Dicit enim mirabile documentum huius materiæ, vbi dicit, de nullo profus sinistrè loquaris, quantumcunque sit verum nisi in confessione, & hic vbi non potest aliter manifestare peccatum tuum. Et sanè ipse Nauar. in cap. inter verba, conclus. 6. corol. 31. num. 69. reuocasse videtur sententiam, cum dicit esse tantum veniale. Imò fatetur, quod extra confessionem ad petendum consilium licet reuelare peccatum tertij. Quod verò dicit esse veniale, vt infra dicemus, falsum est. Nam si non notabiliter lædit proximum, vt ipse fatetur ibidem, & aliis locis infra citandis, proxi-

273 mus non est rationabiliter læsus, cum teneatur leuem pati iacturam, propter magnum bonum alterius. Idem Alcocer c.ii. & huius sententia est Ledes. vt infra. Et meo iudicio, Petrus à Sot. etsi pro contraria citetur: Canus etiam citatur pro contraria, sed reuera idem dicit, quod Ledes. Ex quo illud, & cætera ferè omnia de pœnitentia transcripsit prædictus Ledes.

274 S O L V S ergo Nau. clarè loquens, & Bart. Med. lib. 2. sum. cap. 4. §. 1. & Dominicus Banes super 2. 2. Diu. Thom. quæst. 33. art. 8. dub. 8. par. 1. versic. *Primum fundamentum*, tenet contrariam sententiam: Naua. in quâ. c. 7. à nume. 2. & latius in d. cap. consideret. §. Omnis hæc varietas, secutus Innoc. & Hostien. in cap. Omnis, de Pœni. & remissio. & Marfi, vt refert Cordub. Probant autem Nau. & Banes suam sententiam duplici argum. Primum est, quia lex de non infamando proximum est naturalis, lex verò de integrè confitendo positiua, ergo cum non sit locus

275 utriusque prima est seruanda. Secundò, quia peccatum ex cuius confessione sequitur notabile damnum, animæ, vitæ, famæ vel rei familiaris tacendum est, vt omnes fatentur, ergo similiter quâdo sequitur infamia apud confessorem. Tertium addi potest, quia sacerdos, qui non potest confiteri aliquod peccatum: nisi reuelando confessionem, non potest illud confiteri peccatum, & hoc quia faceret damnum tertio, & frangeret ius naturale, ergo, &c. Addit Banes, quia quando quis confiteri non potest, nisi per interpretem non tenetur diuino confessionis præcepto, ea certè ratione, ne se infamet apud eum, qui absoluendi facultatem nõ habet, ergo multo minus obligabitur cum iactura alienæ famæ, maximè, quia nullum commodum sequitur infamato ex illa reuelatione, sicut mihi sequitur ex fructu sacramenti, quod suscipio.

M I N I videtur in hac re tenenda prima sententia, prout explicatur à Ledes. Cano. Pet. à Sot. Caiet. & Sot. Hi ergo docent, quòd si habitatio pœnitentis confessoris, & complicitis vir prudens iudicat esse leuè iacturam, confiteri debet. Vbi apertè supponunt hi doctores, quòd hoc præcisè, quod est manifestare complice confessario, nisi aliunde grauetur, non est notabilis infamia. Si autem tales sint circumstantiæ, quòd ex cognitione personæ sequitur notabile damnum vel famæ: quia publicabitur peccatum, vel corporis vel rei familiaris: non licet detegere, & id probat secundum argu. Nau. imò & tertium, quod nos fecimus. Quia reuelare confessionem notabile damnum est toti reip. Et sanè bene intellecti illi autores hoc videntur voluisse.

S E D quidquid de hoc sit prob. conclu. Quia non peccat mortaliter qui extra confessionem detegit peccatū mortale alterius non intentione detrahendi, alicui viro timorato, cui dicere est, ac si nulli diceretur. Putà, quia non oberit, & forte proderit. Et hoc fatentur omnes, imò ipse Nauar. in sum. Lati. c. 18. num. 33. cuius sunt verba recitata, quæ clarior habet in sum. Hisp. c. illo 18. num. 24. Huiusmodi autem est confessor in casu prædicto, ergo longè melius in confessione licebit. Tum, quia sigillum hoc potiori iure est, ac si nulli diceretur, quàm est sigillum timorati extra illam, vt satis ex se patet. Tū, quia ius diuinū de integritate confes

confessionis postulat, vt leuis infamia à proximo patienter sustineatur, vt impleatur. Secundò id probo quia si ipse proximus detegeret suum peccatum illi sacerdoti, non infamaretur notabiliter, quia persona, cui reuelatur est vnica, & sub magno sigillo. Si enim esset notabilis infamia, nullus teneretur confiteri sua peccata sacerdoti. Cum ergo sit eadem vnica persona, & sub eodem sigillo, non est censenda notabilis infamia, sed leuis, cum ab altero reuelatur. Verum respondet doctissimus Banes non esse simile. Quoniam mea infamatio apud sacerdotem compensatur ex diuina lege, quia hoc medio eripior propter fructum sacramenti ab infamia, & damnatione eterna: at proximo ex mea confessione nullum commodum sequitur. Verum in hanc solutionem vis argumenti nostri constans videatur fortasse. Quia quod ego commodum recipiam non imminuit, vel aufert rationem infamiæ, si infamia dicenda est apud vnum pium, & discretum in occultissimo confessionis foro. Accipe rationem isto modo. Nam, quòd ego verbi gratia adulterium, vel sodomiam aperiam sacerdoti in confessione: vel est infamia notabilis vel non: Quod si est, Igitur non tenebor confiteri, si quidem omnium sententia, cum notabili famæ detrimento nullus ad confessionem diuino præcepto tenetur. Cur enim si timerem sacerdotem fore meum peccatum proditurum confiteri non teneor, nisi quia cum notabili famæ iactura non obligant Dei suauia præcepta? Igitur si foret apud confessarium notabilis infamia, non obligaret Dei præceptum, sicut etiam si certo scirem, quod confessarius dum mea crimina audit, esset à me pecuniam furaturus, vel debitum non soluturus, fortasse, qui ex confessione sciet, id quo à soluendo est auerendus, sanè non teneret cum eo damno confiteri, &c. Et hæc omnia, quâquam fructum sperem ex sacramento, vt ex se constar. Igitur si magna infamia foret consequenda, quantumuis de fructu sacramenti participaret, non obligaretur Dei præcepto sua peccata sacerdoti dicere. Non ergo est notabilis infamia, vt ostensum est.

277 T E R T I O id ipsum non obscurè colligi videtur ex definitione notabilis infamiæ quam ponit clariùs inter omnes ipse Nauarrus in summa Lat. capite illo decimo octauo numerorum vigesimo octauo quod famæ notabile damnum est, quod est causa, vt infamato aliquod bonum notabile animæ auferatur, vel corporis, vel pecuniarum, aut putetur tali bono indignus. Si ergo, vt supponimus ex illa reuelatione non sequitur tale damnum. Quia nec propterea, quod pius & discretus confessarius sciat auferentur ab eo illa bona, vel reputabitur illis indignus: sed est ac si nulli diceretur, ergo, &c. Quare si confessor auferre posset tale bonum, vel illud non conferre ob illius indignitatem, esset tacendum peccatum. Et tunc non semper. Non enim propter quodlibet mortale excluditur quis aut reputatur indignus illorum bonorum. Vnde pater ad primum argumentum Nauar. Tandem licitum est, si quis non possit rem familiarem recuperare, vel eam est amissurus, vt petens aliquod consilium ne illa amittat, complicem reuelat illi extra confessionem sub sigillo secreti. Non enim est dicendum, quod ille teneatur

tantam iacturam pati, ne reuelat vnico homini pio, & prudenti, peccatum alterius, si aliud non est remedium vitandi tantum damnum. Signū ergo est læsionē famæ non esse notabilem. Aliàs si esset notabilis, non liceret res superioris ordinis in fratre perdere propter inferiores seruandas nostras, sicut nec liceret morti alterius cooperari, vt famam nostram seruaremus. Si autem apud multos esset peccatum detegendum, non liceret etiam in dicto casu. Signum ergo est esse leuem iacturam vni viro prudenti & pio siue extra siue in confessione dicere. Ex hac dubitatione habemus, quod ad implendum diuinum præceptum de integritate confessionis licet peccatum alterius in confessione detegere. Nam ex Concilio Trid. sessi. 14. c. 5. & 7. omnis circumstantia mutans speciem aperienda est, hæc autem circumstantia mutat speciem ergo. Sunt tamen aliquæ difficultates circa hanc dubit. appendices.

P I R M A diffic. est vtrum si non vrgeat necessitas præcepti, sed solum utilitas nostra, liceat id efficere verbi gratia ad petendum consilium, & vt gratia augeatur, & vt melius instruamur? Angel. & Syluester, Richardus & Adrianus locis citatis asserunt licere, idem tenet Alex. ad vlt. argumentum, Antoninus & Soto vbi sup. Rosell. Bonauent. & sum. confessi. lib. 3. tit. 34. Oppositum dicit Med. & Palud. Sed verior videtur prima sententia. Quia cum leue sit detrimentum, non tenetur quis utilitatem suam amittere. Maximè spiritualem propter damnum leue, quod per accidens sequitur tertio. Vtitur enim iure suo sine damno notabili proximi. Ratio verò Medina & Paludani, quod non sunt dimittenda præcepta propter consilia, non conuincit. Non enim tunc præceptum obligat, vt ego caueam leue damnum alterius, & amittam leue etiam commodum meum. Mihi enim cæteris paribus primo loco reneor benefacere.

S E C V N D A diffi. vtrum propter utilitatem alicuius liceat? scilicet ipsius personæ, cuius peccatum detegitur: Richardus docet, quod non expedit. Idem Paludanus. Imo ita facere esse illicitum, & sacrilegum docet Banes. Oppositum docent Gabr. & Bonauentura vbi supra. Licet enim dicant melius esse extra confessionem reuelare, tamen dicunt posse detegi in confessione propter bonum illius, siue correctionis fraternæ siue vt oretur pro eo, &c. Idem Antoninus, Alex. Diuus Thomas in opusc. Sum. confessione Pisani. Victor. qui non solum dicunt licitè fieri, sed meritorium esse. Syluester verò concordare videtur vtramque sententiam. Dicit enim cum hac secunda opinione reuelari posse, sed limitat dicens: quod vel extra confessionem dicatur, vel pœnitens faciat copiam reuelandi. Mihi videtur hæc sententia Syluestri vera & ita intelligendas esse opiniones. Aliàs frustra reuelaretur peccatum, vt benè docet Richardus, Palud. & Rosel. cum ille non possit sine sacrilegio ad fraternam correctionem procedere de peccato solum in confessione cognito. Vnde sententia Bonau. Gabr. & Ant. limitanda est, vt dicit Sylu. Imo Sylu. sententiam etiam limitandam putamus, vt solum verum habeat secluso scandalo, cum sit verisimile eos, qui vident confessorium peccatum corrigere, puraturos in confessione peccatum cognitum

cognitum, manifestare: vt in ea specie Dominicus Banes adnotauit. Quare cautela adhibenda erit. Legat curiosus plura in conuenientia à Banes enumerata in 2. d. quæst. parte. Nos enim ad alia vocamur.

D I C E S saltem, ergo licebit sub prædicto sigillo dicere, vt sacerdos oret pro eo, vt docere videtur Augustinus 22. quæst. 5. capite hoc videtur. Mihi videtur. Primò, quod Augustinus ibi loquebatur extra sigillum confessionis, vt patet. Secundò loquebatur supposita spe emendationis. Dicit enim id licere, si tamen ipse peccator confessionis sibi adhibeat medicinam, id est, recognoscat suum peccatum. Et ita videtur supponere secretam admonitionē præcedentem, & ita caput illud non est ad rem. Secundò tamen mihi videtur, quod si emendatum est crimen, non licet. Quia tunc non tantum affert commoditatis oratio, quantum damnum est eius crimen reuelare. Si tamen non sit emendatum, videtur quod etiam in confessione liceat, si aliter orationem, vel sacrificium non vult offerre, nisi cognita persona, & hoc etiam si ille non sibi confessionis adhibeat medicinam, id est non recognoscat suum peccatum. Quia sigillum non impedit manifestare Deo peccatum proximi, & illum placare, vt peccatorem conuertat, & hoc maius bonum est peccatori, quam quod vnus vir discretus, & prudens peccatum eius cognoscat in ordine ad suam spiritualem salutem. Et quantum ad orandum eadem est ratio siue in confessione, siue extra, nec ad orandum pro illo requiritur spes emendæ, vel admonitio secreta. Melius tamen est extra confessionem dicere. Nè cum opus sit correctione fraterna: alteri opus sit detegere, sed ille ipse facere possit. Et secundum hoc verum est, quod Anton. & Rosell. dicunt posse prælatum interrogare complicem in confessione. Si enim ad corrigendum vult scire, seruandum est, quod ex Richardo & alijs diximus. Si ad orandum seruandum est hoc secundum, vt etiam dicit Syluester. ex Rayn. Paludanus autem contra sentit quæst. 3. art. 2. ad fi. & Med. Si tamen ex necessitate id interroget, vt sciatur circumstantia, non peccat secundum omnes. Quod verò peccatum illius personæ cadat sub sigillo confessionis docet Richar. Palud. & Rosell. §. 13. & Capr. dist. 21. quæst. 1. concl. 2. & Dominicus Banes versic. *hinc sequitur*. Cuius rationem reddit prædictus Banes. Quia si complici aliquid diceret, siue per correptionem siue alia via, iam reuelaret confessionem. Est enim ac si apertè diceret. Scio tuum crimen in confessione alterius.

I L L V D tandem animaduertentur iudicio meo, quod si sequitur notabile damnum ex dicta reuelatione, in quo casu, vt dictum est tacere oportet, tenetur pœnitens actum internum confiteri, dicens se habuisse desiderium efficax peccandi cum illa, &c. Ex hoc enim nulla infamatio sequitur, & ita ipse tenetur quantum integrè potest confiteri. Tandem Bartholomeus Medina loco citato putat esse hæreticum asserere quod cum non necessarium est ad explicandam speciem seu circumstantiam peccati complicem explicare, est explicandum quæ iudicio nostro nimis dura censura videtur. Licet enim hæresis sit dicere esse licitum infamare proximum: tamen an sit infamia apud confessorum, & ea notabilis,

notabilis, & causa confitendi peccata, id est quod controuertitur, & ita non est tam celeriter hæresis hoc damnandum, sed de his latius alibi.

284 **SECUNDA** dubitatio principalis. Vtrum dicens peccatum notorium siue factum, siue iure, peccet mortaliter: verbi gratia habet quis læsam famam apud multos de ciuitate, narro factum ei qui nesciat. Num peccatum sit detractionis? Syluester verbo detrahitio, quæstione prima, putat esse peccatum mortale, nisi statim essent ad eius notitiam ventura. Id non probat Syluester. Sic tamen probari potest: quia hic apud illum bonam habebat famam. Ergo ita sum detractor respectu illius, ac si crimen esset omnino secretum. Contrarium sentit Nauarrus, c. 18. nu. 26. & 33. Caietanus opusc. 17. Resp. respons. 9. Maior in 4. d. 21. col. fin. Sot. f. Iust. quæst. 10. art. 2. Cordub. q. illa 2. concl. 6. quod mihi placet.

285 **PRIMO** ergo mihi videtur, quod colloqui de peccatis proximi notoriis, non est peccatum, nisi ex intentione, & sine colloquij (inquam) cum quibus sunt nota, ita ut secundum malitiam, aut bonitatem finis, sit iudicandum. Si enim narremus ea peccata ob bonum finem, scilicet, ut nos ab eis seruemus, ex èplo illorù, qui ceciderunt, aut qui pœnas dederunt criminum suorù, licitum est, & laudabile sic loqui, ut de eorù peccatis, qui ob hæresim sunt combusti, vel ob aliud crimen puniti per iudicem, aut à Deo, &c. Hæc enim ad Dei gloriam & proximorum utilitatem narratur. Si verò ex curiositate aut leuitate, aut ociositate, aliòve inuiti fine, de iis colloquamur, erit veniale peccatum, ut in specie docet Corduba, conc. 6. quod frequentissimè, in colloquijs, etiam timoratorum hominum accidere solet. Cùm enim fama lædatur, quæ læsa iam est, etiam apud eos quibus cum loquimur, nulla restat malitia, nisi venialis ex fine. Si verò mala intentione nocendi scilicet famam proximi, ut mala de eis opinio renouetur, intentione eos iniuriandi, erit mortale peccatum. Qui enim sic est affectus etiam si nota non essent, reuelaret, & ita ex intentione peccat mortaliter non tamen tenetur restituere quicquam. Quia reuera non lædit famam, ut patet.

286 **SECUNDO** mihi videtur, quod si quis ordine iuris sit infamatus, ut si publicè per sententiam est notatus, non est peccatum mortale iniustitiæ ijs qui nesciunt manifestare siue in eodem populo, siue in diuerso. Et primum, si verisimile est de proximo delictum sciendum fore ijs, quibus reuelo, omnium sententia est id fieri posse, ut dicunt Nau. Syl. & alij citati & D. Tho. in 4. d. 19. q. 2. art. 3. ad 1. & 2. Sed esto id non sit verisimile. Quia ex quo publicè sunt norati iam amiserunt iura secreti, & licet alia ratione peccatum esse posset, tamen contra iustitiam certè non est. Ius enim perdidit secreti per pub. vel confessionem vel probationem, aut sententiã. Is enim laborat infamia iuris ut patet. Quis enim dubitet, quin posset facile à quocunque inquiri & sciri licitè tale crimen: & per cõsequens, qui sic prodidit, nullam tenetur facere restit. vel satisfactionem. Maximè, quia iudicium etiã legum talem publ. pœnam imponentium intentio est, ut omnibus innotescat. Ut Sotus in solut. 4. in princ. Merca. c. 11. §. *Es-tambien*, Ioseph. Ang. in Flor. 4. sent. quæstione de Rest. fam. dub. 4. scribunt. Qui etiam docent, quod prima pœna condem

condemnatorum talium est infamia. Nam flagella, mutilationes, mori, truncari, vel dolores sentire, commune est, & naturale omni animali: sed erubescere, & honorem amittere proprium est hominis. Et ob id leges præcipuè volunt velut rationalem punire in opinione & honore. Et ob id non puniuntur in carcere, vel nocte: sed die, & in media luce & populo & diebus celebribus. Quam sententiam & fundamentum tenet Cord. memb. illo 4. de detrac. quæst. 3. conclus. 6. prædictam rationem magis explicans quodam simili. Ut enim si quis per sententiam iudicis condemnaretur ad direptionem bonorum, ut sint volentibus capere, exposita, non teneretur restituere, qui auferret. Iustè enim ille dominio illorum priuatus est: sic sanè cùm persona fama delinquentis est veluti exposita omnibus ad diuulgandum, idque iure, ut ceteri audientes pertimescant. Nec refert, quod malo animo, consilioque nocendi 288 faciat, ut supra dixi. Id enim ad restitutionem nihil attinet: ad peccatum secus. At autem quando quis non iudicialiter est notatus, & infamatus, ut statim dicam, sed per notorietatem facti, vel communem vocem, non iure perdit famam, nisi coram iis, qui sciunt.

AN verò sit peccatum aliud contra charitatem difficilius est. Et sanè, quod peccatum veniale sit, non dubito, cùm contra rationem esse videatur, licet infamatum iam, denuò infamare, & eius vulnera innovare. Mortale verò putarem, quando vel intentione detrahendi sit, ut supra dicebam, vel saltè ex tali locutione notabile damnù ei inferretur, siue in ipsa fama, quia notabiliter plus peccatum publicaretur, vel in alijs rebus. Tunc enim contra charitatem agere viderer: cùm causam damni dederim, quod vitari possem. In quo casu vera erit Syluest. sententia. Et sic est intelligendus Sotus lib. 4. q. 6. art. 3. ad 4. in prin. qui dicit esse contra charitatis iura prodere talem hominem ei, qui nescit, & Merc. c. 11. §. *es-tambien*. Secus est si bono fine facerem, ut si interrogarè ad informationem, vel officium, vel matrimonium. Tunc enim bonum consilium ac verum dare possem. Non enim decipere debeo innocentem interrogantem, ut nocenti subueniam. Vnde qui, ut aliquem ad religionem, vel ad Ecclesiam, aut collegium, vel ad ordines, vel ad matrimonium admittant, syncerè de alicuius genealogia, vel alia infamia, aut nota publica inquirunt, ut caueant, quod cauendum est, nec ipsi peccant, nec eis veritatem sub secreto dicentes, sed officium implent debitæ fidelitatis & charitatis. Si verò non sit infamatus ordine iuris, ait Nauar. non licere reuelare nescientibus etiam si sit notorium. In quo securus est Syluest. sententiam. Sed non explicat Nauar. quid sit aliquem esse infamatum sine ordine iuris. Potest enim duos habere sensus. Primo modo quando crimen per iniuriam est extortum etiam si verum crimen fuerit: ut si per iniqua tormenta vel iniustam inquisitionem, &c. Et si hoc modo fiat, non displicet Nauar. opinio. Quia sicut iniuriosè prima infamia est facta iniuriosè etiam continuatur, & 290 protenditur. Non enim tractu temporis desinit esse illa actio iniusta, quæ à principio fuit. Vnde cùm ipse tali infamiæ causam non dederit, apud quemcunque infametur, denuò iniustitia illi fit. Secundo potest

quis infamari sine ordine iuris ipso dante causam tali infamiae, ut quia ingreditur, & egreditur domo scientibus vicinis, & cunctis, & quod illum admittat, & simile est in aliis peccatis ob quod paulatim factum euulgatur, & narratur inter multos. Tum certè ille, sine ordine iuris, & absque publica & iusta sententia sit infamatus: tamen non peccaret, 291 qui referret ei, qui nescit. Ipse enim causam dedit tali publicitati. Et ita crimine facto publicè amisit iura secreti, & ipsi imputari debet, qui causam dedit. Vnde non peccat mortaliter qui illud dicit, nescienti illud: quamuis si plus notabiliter ob meum dictum publicareretur, vel aliud damnum illi eueniret, non excusarem à peccato mortali contra charitatem, non contra iustitiam. Cùm iam fama apud omnes, vel maiorem partem sit læsa, vel certè de facili posset ab illis sciri, si voluissent, cùm sit in omnium notitia. Si autem difficilè poterat venire in illius, vel illorum cognitione, putà, quia in loco remoto vel in eodè, sed à longo tempore, reuera peccat contra iustitiã. Oblito enim delicto, & non per sententiam, non habet ius vnusquisque publicandi, & ita reuera peccat contra iustitiam & restituere tenetur, ut docet aperitè Merc. cap. ii. versic. *Item son.* Tertio falsissima mihi videtur quorundã sententia, qui dicunt, quod si 10. homines peccatum sciunt, potest sine peccato cum quocunque de populo communicari. Quia dicunt, talis numerus facit peccatũ 292 notorium: vnde dici solet decem homines faciunt plebem. Id tamen tantum est verum ad alios iuris effectus: ad effectum tamen denigrandi famam, certè à vero abhorret. Quot enim putas in rep. sunt viri honorabiles tam seculares, quàm Ecclesiastici, quorum infirmitas nota est 10. aut 12. Iam ergo sine scrupulo eos detegere, & de eorum peccatis liberè confabulari liceret. Imo ex hac sententia sequitur, quod si sex homines scirent peccatum, sufficeret. Ij enim dicunt decem personas numerum facere plebis, & per consequens notorietatem facti, de quorum numero est Syluest. verb. notorium q. 4. & glo. in c. Vnio. 10. quæst. 3. & glo. Rayn. quam refert Syluest. & glo. in cap. de manifesta. 2. quæst. 1. Ij (inquam) etiam docent, quod notitia sex hominum facit notorium simpliciter, ut nititur probare Syluest. in d. q. Tum, quia iam daretur medium inter occultum & notorium, scilicet notum sex personis, quod scilicet non est occultum, nec etiam notorium, cùm immediatè opponantur. Tum, secundò, quia si parochia habet mille parochianos, si decem aut sex scandalizantur de concubina sacerdotis verè dicitur populus scandalizari. Denique ait Syluest. quod nisi notorium esset quod 293 sex hominibus est notum, nunquam posset probari aliquid esse notorium in aliqua ciuitate, vel prouincia, nisi numeratis omnibus hominibus ciuitatis, vel prouinciæ, ut facta fide, quod non sint plures probaretur maior pars populi, vel prouinciæ scire: hæc autem ridicula sunt. Igitur, quod 10. aut sex hominibus notum est, simpliciter est notorium. Hæc ergo vera sunt iudicio meo ad alios effectus iuris, puta, vel ad probationem delicti vel inquisitionem ex infamia inter vicinos 10. vel 6. sed ad effectum colloquendi & confabulandi non putarem esse vera, ut suprã objiciebam. Lex enim charitatis & iustitiæ obligat, ut proxi

proximorum peccata contegamus: nisi ita sint notoria, quod vel per sententiam publicæ personæ, vel per euidentiã facti, vel notitiam maioris 294 partis populi fama sit læsa. Aliàs, si sex homines sciant concubinatum v. g. sacerdotis liceret cõcionatori publicè prodere in particulari & reprehedere. Siquidem notoriũ & publicum est, quod sex hominibus est cognitum, & ut suprã dicebamus ex omnium sententia peccata publica publicè sunt reprehendenda. Quod certè ab omni ratione alienum est: & non sine magno scandalo diceretur notorium esse ad effectum vel reprehendendi vel confabulandi de peccatis proximorũ priuatim. Cùm non sit tam paruis terminis coarctatum, sed illud solum quod iuridicè est proditum per confessionem in iudicio, vel testes, vel sententiam, aut per facti euidentiã, ut si quis in foro blasphemaret: vel per frequentem populi vel maioris partis populi, vel certè nobiliorem partem peruagaretur, ut si in parochia sit ferè omnibus notum. Huiusque nostræ sententiæ est Cord. de detract. q. 2. con. 4. De specialiter verò infamato in vno loco, vtrum liceat illum infamare in alio? Quidam indistinctè docent non esse licitum. Quia licet in vno populo fuit infamatus, simpliciter non fuit infamatus. Ita Adrian. Quodlib. ii. quæst. 1. ut refert Sor. 5. de Iust. q. 10. ad 2. sub 4. conclus. e contra Caiet. quem refert Nau. & Sor. putat esse licitum. Cuius rei ratio contraria est, ait Sor. Quia cū eius iam sit læsa fama, nulla illi sit iniuria illum detegendo. Veruntamen Caiet. in eo loco scilicet in opus. 17. Respon. Respon. 9. nihil de hac quæstione agit ut patebit legenti. Solum vnum aut alterum verbũ facit de delicto publico in dub. 3. Ideo ipse Nau. putat notoria iuris posse in eum locum deferri ad què non peruenerunt, ut si quis per sententiam sit notorius, non autè, quæ contra ordinem iuris diuulgata fuerit, quod ipse non probat. Hanc sententiã tenuerat Sor. 5. de Iust. q. 10. ar. 2. con. 4. Quam ea ratione probat. Quia ille iure & publico præconio priuatus est fama in pœnã delicti, & ita cuiunque facta est facultas scelus vbique propalandi. Cuius sententia mihi placet, quippe quæ valdè conformis est iis, quæ suprã docuimus in punct. 2. Docet enim duo, pri- 296 mum non esse peccatũ iniustitiæ, cum onere restituendi, ut suprã docuimus. Secundò esse peccatũ cõtra charitatè mortale si iam emèdatus est, & bonum nomè in eo loco sit assecutus. Quod nos suprã probauimus, cum in eodem loco sit vel intèrione detrahendi, vel reipsa damnificandi, quod etiam in diuerso loco, quo quis domicilium mutauit locum habere, docuit Med. §. illo 35. Merc. cap. ii. expressè.

TERTIA difficultas, quid dicendũ sit quando infamatio sit in eodè loco peccati notorij, sed diuerso tempore: v. g. Ab hinc sexaginta annis fuit quis combustus publicè ob hæresim, aut descendit ex Indæis: & tamen hoc tempore pauci, aut nulli sciunt. Est autè senex, qui vidès illius familiæ adolescentè per mediũ forũ ambulantè vel inuidia vel loquacitate, dicit præsentibus: Ego vidi illius auũ cõbustum, vel publicè notatum, &c. Et est casus quotidianus in Hispania. Dub. ergo est. Vtrũ veritatem 297 olim notoriã licitum sit modò sic diuulgare. Videtur enim quod liceat. Quia illi sũt iure illa pœna multati, & ita eorũ nomina publicè ponuntur

in Ecclesiæ ad perpetuam memoriam, ergo videtur cuique facta facultas ea propalandi. Et ita, ut refert Med. §. illo 35. multi id licitum putant, moti ea ratione. Quia viri sapientes ac prudentes id sine scrupulo facere solent.

M I N I tamen videtur ex dictis sic esse resoluenda hanc questionem. Primò omittamus modo eos, qui non sunt per sententiã notati, ut sunt, quos vulgo *confessos* vocant vel *tornadizos*, qui scilicet, nunquã deliquerunt: sed conuersi sunt ex Iudaismo de quibus reuera existimo peccare mortaliter & contra iustitiam & charitatem qui eorum originẽ detegit longo iam tẽpore oblitam. Cum enim isti nõ peccauerint, nec in se, nec in parẽtibus, iniustẽ illis infamia inuritur. Licet enim peccauerint peccato infidelitatis: tamen ob id nõ digni erãt infamia, & opprobrio, imo eo, quod sunt conuersi laudedigni. Cũ ergo nõ sua culpa, nec ordine iuris per sententiam sint infamati, sequitur, &c. Ita expressẽ Mercad. c. ii. versic. *item son.* Barthol. Med. vbi suprã. Loquimur igitur de Christianis lapsis in hæresim, vel Iudaismum, & ob id publicẽ notatis. Dicendumque videtur non esse peccatum detractionis iniustã: esse tamẽ peccatum mortale contra charitatem. Quod non sit contra iustitiam ex eo videtur, quia ille ex publica sententia, atque præconio ius amiserũt famã, atque secreti sibi seruãdi, ut suprã dictũ est, & ea expressã intẽtione sunt puniti, ut omnibus sit manifestum eorũ, & crimen, & pœna. Quod membranã illã restantur, quã in Ecclesiis ad eorũ dedecus perpetuum affixã in Hispania *Sanhenitos* vocantur. Et licere eorum successores nõ peccauerint, tamen eorum nullum peccatũ detegitur, licet per accidens sequatur ignominia ex parentum criminibus. Nec isti maius ius habẽt, quã eorũ parentes. Ac per hoc nulla restitutio illis est faciẽda. Quod autem peccatum sit contra charitatem, probo. Tum, quia est opus natura sua contristatiuum alterius, vnde si illi præsentĩ diceretur grauis esset contumelia, & dedecus: Tũ quia bonã opinionis & nominis apud alios læsiuum est: & denique audientes malo suo exemplo scãdalizat. Maximẽ, cum viuẽtes, de quibus dicitur, innocentes sint, & sine culpa damnum illud à priuata persona accipiant. Denique, quia si notatus in hoc loco non potest absque mortali in alio, vbi bonum nomen afsecutus est, infamari, veluti suprã ex Soto nostrãque sententia dicebamus: multò minus licebit infamatum iam olim, cuius criminis, neque in hoc, neque in alio, vlla, vel modica erat memoria, reuocare.

300 Hoc enim occultius est natura sua, ac difficilius sciri poterat, quã aliud, quippe cuius sunt multi testes præsentẽs. Hanc autem sententiam planẽ secutus est Merca. cuius sunt certẽ, hæc verba ex Hispano in Latinum traducta cap. illo 12. versic. *Item son transgressore.* Item sunt (ait) transgressores eiusdem legis amoris proximi, qui elapsis multis annis, alienos referunt defectus, de quibus fortasse tam sunt emendati, ex humando & reuocando de sepulchris mortuos iam antiquos, ut eorum nihil maneat præter arida ossa. Maximẽ, si cum de vno loquitur plures, qui ab hoc descendunt, vulnerantur. Si ab hinc 30. annis quis hoc loco peccauit, &c. Quod verò possit esse peccatum contra cha-

tra charitatem, sine obligatione restitutionis probat Merca. ut in eo qui potest impedire facile homicidium, vel furtum, vel alterius detractionem peccat contra charitatem sine onere restitutionis, de quo infra larẽ cap. 6. Eandem sententiam sequitur Medi. loco citato.

V N V M tamen est notandum, quod si fiat bono fine, ut cùm inquiritur, siue iuridicẽ ad informationem Ecclesiæ, vel collegij ingrediendi, siue priuatim ad matrimonium contrahendum, &c. potest sine peccato talis defectus reuelari, ijs, quibus profit, & qui non obsint, rempublicando. Quod sanẽ in matrimonijs contrahendis vsu venire solet frequenter, non sine magno multorum malo, quibusdam falsa dicentibus, siue incerta asserentibus, siue plus grauando rem ipsam, siue ijs dicendo, qui nocere multum, prodesse nihil solent. Et hæc de propagatione publicorum peccatorum. Sed rogabis, an sit licitum interrogare de detento in carcere, cur sit captus? Respond. meo iudicio non esse peccatum, vel rogare causam, vel illam narrare. Id enim publicum est. Sed rogare & narrare particulariter de omnibus delicti partibus ait Nauar. illicitum est num. 41. Quia est causa detractionis aliorum.

S E D quid dicendum de eo, qui in hoc loco non est per sententiam infamatus: sed captus suspitione alicuius delicti, an liceat in alio loco dicere, vbi honore perfruitur illum captum fuisse, & accusatum homicidij, vel furti, vel hæresis? Videtur enim quod non peccet etiam contra charitatem. Quia id quod dicit, de se non est infamatiuum, cùm multi innocentes bonique viri capiantur, & liberi euadant per sententiam. Medi. lo. citato fol. 183. putat esse peccatum & contra iustitiam & restitutionem esse faciendam. Quia (inquit) licet mereretur famam perdere per sententiam, sed de facto non amisit, vnde non est factum ius cuique propalandi delictum. Quam opinionem veram putarem, si diceret se fugiendo liberasse. Quia tunc causam sufficientem dat infamiæ. Secus si diceret per sententiam liberum euasisse. Tunc enim potius est eius gloriam prædicare, ut in inquisitione fieri solet.

I L L V D in calce huius diffi. adijciam. Cord. enim in d. conc. 6. ita scribit. Si js qui semel est per sententiam publicam infamatus virtute, & rebus bene gestis famã recuperavit alio in loco, qui eius infamiam iam emortuam atque obliuioni traditam, suscitaret, tenetur ad restitutionem, sicut qui in bonis amissis iam recuperatis proximum læderet. Verũ si ista limitatio vera est, nescio quomodo locum habeat ipsius Cord. & communis sententia, quam secuti sumus, quod peccat contra iustitiam, nec restituere tenetur, qui infamatum per sententiam in vno loco, alio in loco reuelat, etiamsi sit verisimile cito ad eum locum huiusmodi infamiam non peruenturam. Vel enim huius infamatio, diuulgata est in eo loco, & tum planẽ non infert iniuriam, ut patet sicut qui idem crimen refert in eo loco, in quo fuit notatus publicẽ, si verò nondum diuulgatum est, iam ergo in eo loco bonam habet famam. Quid enim refert an illam rebus à se gestis pepererit, an ex eo solum, quod nihil mali commiserit. Cum enim vnusquisque præsumi debeat bonus, quamdiu non probatur, & constat esse malum, non mi-

304 nus fama bona gaudet, qui nihil adhuc indignum commisit, ac qui bonis actibus adeptus est, licet non tantum ac ille. Si igitur ille bono nomine, aut non malo, (quod idem est) sine iniuria priuari potest, quia non auferitur ab eo fama, quam in eo loco adquisiuit nihil peccando, sed antiqua iam publicè amissa, ita ob eandem rationem sine iniuria licebit famam auferre. Quia antiquam famam non nouiter adquisitam illi auferit. Sanè peccatum erit mortale contra charitatem. At contra iustitiam non video (si vera est illa communis sententia) quomodo peccet. Et certè vix intelligitur quo pacto restitutio fieri possit. Si enim in alio illo loco est publicè infamatus, quod facile sciri potest, inconfonans videtur, ut illi verè & solidè famam restituere possit, sicut supra diximus diff. 3. quod non peccat cõtra iustitiam, nec restituere tenetur, qui aliquem iam olim publicè infamatum, de quo non erat memoria, infamat reuelatq; eius crimen in eodem loco. Neque verò ratio Cord. conuinxit. Ait enim quod sicut non licet auferre bona ab eo, qui illis est priuatus, etiam si ille iterum ille iustè adquisiuit: ita cum famam amissam iterum adquisiuit non licet, &c. Non enim eadem est ratio: per sententiam enim factum est ius unicuique manifestandi crimen prædictum, non autem auferendi bona, & id propterea, quod bona iterum adquisita non sunt eadem, ac ea quæ amissa sunt per sententiam, at fama eadem est semper. Vnde quis ius habet famam auferendi semper habet, cum sit idem obiectum. Alioqui, si ratio eius ista probaret sequitur, quod nec in eodem loco liceret post annum: verbi gratia, crimen reuelare, si ille rebus bene gestis famam, circa aliquos adquisiuisset, qui eius infamiam non cognouerunt. Maximè, quia ut supra dicebam numquam liceret in alio loco reuelare, quoniam semper est verum, quod illic bonam habet famam, quamdiu nescitur quidquam infame de illo.

306 QVARTA dubitatio sit. Vtrum ad incurrèdum peccatum detractionis & restitutionis famæ obligationem, sit necessarium, ut id quod reuelatur sit peccatum, & an debeat esse mortale, & an satis sit esse peccatum morale? Quæstio hæc est scitu digna: quam placet distinctionis gratia sigillatim explicare. Primum ergo videtur, quod licet detractionis, & obligatio restitutionis famæ præcipuè incurratur ob reuelationem turpitudinis in vita ac bonis moribus: tamen etiam incurritur ob reuelationem aliorum defectuum natalis, ut sunt defectus natales, de quibus ante dicebam, vel defectus corporales, aut mentis, ut quod quis sit ignarus, indiscretus, cæcus, gibbosus: regulariter tamen non est peccatum mortale, nisi aliquod notabile damnū adiungatur ex tali reuelatione. Licet enim turpitudinem quandam ac defectum, vitiumque naturale proximi importent, & ita sint peccata venialia contra illius charitatem, si non bono fine narrentur, sed vel ad irrisionem, vel ex loquacitate, tamen de se non auferunt bonam famam ac nomen. Et ita docet Nauarrus capitulo decimo octauo numero vigesimo sexto & capite inter verba, conclusio. 6. num. 521. Maximè, quia hi defectus solent esse manifesti, ut de se patet. Secus est de defectu natalis, ut

suprà

suprà dicebam. Et apertè docet Bartholomæus Medina §. illo 35. folio 182. Probat ille, quoniam si de aliquo reuelares concubinarum vel furtum, mortaliter peccare, multò autem grauius, ægriusque fert vnusquisque, ut illum Sarracenum, vel nouum Christianum, aut confesum, vel Iudæum appelles. Hoc etenim notabiliter denigrat famam alicuius, ut supra dictum est. Sed neque hoc est verum de omni defectu natalium. Nam si quis diceret aliquem filium esse clerici tacito patre: vel ex adulterio, tacitis adulterijs, & huiusmodi, non esset peccatum mortale, sicut de cæcitate & alijs diximus. Non enim ob ista quis famam amittit. Dixi autem regulariter. Quia ratione damni dati esset peccatum mortale, ut si res esset occulta, & ob detractionem meam illius defectus occulti quis ab aliquo bono consequendo impediretur vel iam habitum perderet. Id enim contra charitatem proximi planè videtur, secus si ad informationem requisitus interrogaretur. Tunc enim ut supra dicebam, etiam in malis culpæ, veritatem dicere tenetur, cum teneatur fidele dare consilium. Quæ omnia tanquam quotidiana, atque parum à doctis explicata sunt animaduertenda.

DICIS de morbo Gallico. An liceat dicere hunc, vel illum hoc morbo esse infectum? Videtur enim non licere. Quia detegitur consequenter peccatum, quod est illius causa. Responderetur: Non esse peccatum mortale. Quia ex alijs etiam causis euenire solet, ut ex loco frigido, aut alia causa, maximè in iuuenibus, qui ut infrà dicemus ob talia peccata non infamatur. Rogabis secundo: Vtrum hos defectus naturæ dicere in faciem per modum contumeliæ, sit peccatum mortale. Videtur quod sic, quia Christus ait, qui dixerit fratri suo fatue dignus est gehenna ignis: fatuitas autem est defectus naturæ, & est communis contumelia apud Hispanos, aliquem vocare, *nescio asno uerto, corcobado*, &c. Ego sanè non puto de his omnibus nominibus certam regulam assignari posse. Sunt enim fere infinita turpitudinis etiam naturalis ista cognomina. Eam tamen puto dari posse, ut quoties nomen quod alicui in faciem dicitur, est notabiliter contristatum fratris, erit peccatum mortale contra charitatem, etiam si defectus sit naturalis & notorius, &c. quod ex circumstantijs personæ dicentis conuictum, & eius cui dicitur, & modi tollerandi perpendendum est. Si enim pater filium stultum, aut toruum appellet, etiam ex ira, non est mortale. Sed si hominem literatum fatuum in faciem ex ira appelles, notabilem causam contristationis præbes. Aut si fœminam deformem aut luscam, etiam si ita sit, aliàs grauem & probam nomines. Aut si eum quem scis ægrè ferre ista conuictorum genera, virgeas, non excusarem à mortali, ut apertè etiam docuit Bartholomæus Medi. §. illo 35. Cum notabiliter proximum contristes, aut confundas, ut si etiam enuchum in faciem appelles eum, qui molestè fert, ut sunt id generis permulti. Denique ut dixi arbitrio prudentis confessoris relinquatur attentis omnibus circumstantijs. Ut tamen cõmuniter dicuntur ista nomina ex leui quadam ira sine intentione notabiliter iniuriandi,

non

non putarem esse mortale fatuum aliquem vocare impertinentem, imprudentem, coclitem, claudum, gibbosum, magni nasi, &c. Si verò in absentia dicantur talia de illo loquendo, cum aliis, minùs graue erit veniale peccatum, etsi falsa dicantur, puto econtra esse grauius: quia cum in absentia dicuntur, potest fides adhiberi, at in præsentia nullo modo, cum notorium sit ipsum mentiri, qui cœcum illum appellat, quem non esse talem videmus.

311 **Q**UINTA difficultas sit: an dicens peccatum veniale proximi possit peccare mortaliter: an verò semper detractio mortale sit ex propalatione peccati mortalis. Quidam docent indistinctè necessario debere esse materiam peccati mortalis crimen, quod de proximo detegimus. Aliàs murmuratio non erit lethale peccatum, nec necessario habebit annexam restitutionem. Et potest probari hæc sententia. Quia ex reuelatione peccati venialis proximi, non infertur illi notabile nocumentum in fama. 312 Quid enim magis notum, quàm hominè labi posse, & solere in peccata venialia? siue ergo quia id est de se notorium: siue quia licet dicatur speciale peccatum, vt mendacium, vel verbum ociosum non perdit proximus honorem, sequitur, &c. Sic sentit Syluest. verb. detractio q. 1. & Antonin. 2. p. tit. 8. cap. 14. quorum sententia, si intelligatur ex natura rei recipitur à Nauar. in sum. c. 18. num. 24. Ex vi enim criminis detecti non infamatur proximus. Eamque ego veram putarem ob dictam rationem vno excepto genere peccati venialis, scilicet mendacio, in quo distinguendum putarem. Tripliciter enim potest quis de mendacio veniali proximum notare. Primò in absentia murmurando, & id dupliciter, vel notando illum de vno, aut paucis mendacijs, aut de consuetudine mentiendi. Secundò ei in faciem de mendacio improperando. Si hoc secundo modo facit seruo, & ex ira, putarem esse peccatum mortale. 314 Iam enim ita atrox & grauis hæc contumelia reputatur, vt & notabiliter proximus offendatur, & contristetur ex tali verbo, & non se sufficienter vlcersi posse putet, nisi a lapa inflicta aut fustibus? Si verò in absentia fiat per modum detractiois, si de vna vel paucis notetur tantum erit veniale, vt patet. Non enim ob id opinionem perdet. Si verò de consuetudine si notorius est (solent enim esse plures notoriè mendaces. Noui enim ego quendam, qui dicebatur. N. Médacia) de his loqui & referre eorum mendacia tantum erit veniale, nisi mortale fiat iuxta regulas sup. traditas. Si verò notorium non est sane videtur mortale. Nam reuera, qui consuevit frequenter mentiri, parui fit non solum à viris grauibus: sed etiam à communi populo, & ita notabiliter infamatur, & negligitur. Qui autem falso talia imponit planum est grauius peccare. Ego sane tale mentiendi vitium, ita abhorreo, vt eum, quem sciam mentiri consueuisse, non possim non despiciere ac parui æstimare, ad omnia quæcunque sunt viro bono committenda. Hanc sententiam multò rigidius tenere video Barth. Med. §. illo 35. fol. 182. Dicit enim indistinctè esse mortale dicere aliquè etiam absentem esse mendacem. 315 Quod tamen nisi prædictis limitationibus, falsum putarem: vt scilicet ex consuetudine, & in rebus alicuius momenti &c.

Adde

AD DE prædictis, quod referentes non tantum mendacia: sed etiam venialia peccata ex cōsuetudine facta ratione personæ, de qua dicuntur, possunt mortale peccatum detractiois committere. Vt video Cord. docuisse. Nam si de Episcopo ac religioso homine aliquod veniale peccatum proferas, quod habeat in consuetudine, vt quod soleat nimium semper ridere, aut verbis ociosis ac vanis delectari, nugis ac similibus actibus, non semel sed crebro vti, quòd inanis gloriæ & ambitionis sit cupidus, & alia huiusmodi, putarem reuera esse peccatum mortale detractiois. Quis enim cordatus horum hominum genus nō maximè despiciat, de bona eorum existimatione non multum minuat, quos sciat his scilicet ineptiis, & quotidianis, futilibusque leuitatibus, quandamque vilis, abiecti, humilisque animi ignominiam, ac sordem præ se ferentibus deditos? Quis eis graua negotia credat, quis reuerentiam, & timorem debitum præstet? &c. Itaque non parum, sed permultum de Episcopali, vel religionis gloria perdunt, qui similibus delectantur licet aliàs venialibus culpis. Atque idem est de oculorum petulantia colloquiisque, & conuersationibus fœminarum, &c. Quis enim huiusmodi conuersationes, colloquia, & vana verba non maximè in clericis abhorreat, penèque scādalizetur. Videant igitur Episcopi ac religiosi, qui perfectionis statum, vel habere, vel persequi tenentur, quantum suæ famæ, & boni nominis ex his, quæ parua videntur amittant, si ex consuetudine faciant. Et videant etiam ij, qui de talibus murmurant, vel in faciem eis talia conspuunt, se grauius peccare, ob circumstantiam scilicet personæ.

QUONIAM verò elocuti sumus de venialibus, qui ex colloquiis aspectibus, & visitationibus fœminarum emergunt, estque exemplum adductum à Gab. in can. le. 74. litera. E. placet hic breuiter de tactibus, osculis, & amplexibus fœminarum explicare. Quo modo sint peccatum mortale. Sunt enim nonnulli qui arbitrentur huiusmodi non peccata mortalia sed dumtaxat venialia esse, actus, scilicet otiosi ob delectationem facti, non ob finem rectæ rationis. Quam sententiam tenuit aperte Martinus de Magistris de temp. q. 25. Quem Caiet. & ceteri referunt. Eandem secutus est Gab. in can. le. 74. litera. E. Vnde existimat, quod potest quis peccare mortaliter, nisi corrigat de his venialibus, non in quantum venialia (correptionis enim fraternæ præceptum non obligat de venialibus) sed in quantum ad peccatum mortale disponunt de propinquo. Eandem sententiam, vt ipse refert secutus est Umbert. in expositione regulæ B. Aug. & probabilem videtur censere Sor. in 4. d. 39. q. 1. art. 2. agens de impotentia, dum ait oscula & amplexus de se esse peccata mortalia nisi inter coniuges, vt verior habet opinio, vbi satis innuere videtur esse sub opinione, licet minus vera minusq, probabilis. Imo videtur D. Thom. super c. 5. Epist. ad Ephes. vbi de iis tactibus sic ait. *Et hæc sunt peccata mortalia in quantum ordinantur ad mortalia. Nam aliquid etiam si bonum sit ex genere, in quantum ordinatur ad mortale est mortale.* Hanc sententiam erroneam putat esse Cordub. in annot. super Sor. de secret. memb. 2. quæst. 2. concl. 2. Cur autem sentiat erroneam esse istam

Tom. I.

E. c.

sententiam, ipse nec explicat, nec probat. Nos autem falsam, & fortasse etiam temerariã esse censemus, siquidem huiusmodi tactus impudicos peccata esse mortalia sensere, vt alibi latius exponam D. Tho. 2. 2. q. 154. ar. 4. & acerrimè Tho. Caiet. eius comment. ibidem Sor. in 4. d. 34. citata. q. 1. art. 2. & de sigillo ipse, & Ant. Cord. loc. cit. & idem Cordu. in sum. q. 3. punct. 4. Nauã. c. 16. nu. 11. Syl. delectatio. §. 4. 5. & 6. Ang. luxuria. §. vlt. Armil. verb. osculum. q. 1. & verb. impudicitia. q. 1. Bartho. Medi. in sum. c. 14. §. 18. Baltanas in sum. fol. 59. Cast. de hæresibus verb. coitus hæresi 3. Præcipua verò huius sententiæ ratio est. Quoniam hi actus cum ex libidine fiunt, natura ordinati sunt ad coitum, ac proinde eiusdem sunt speciei, & malitiæ moralis. Vnde experientia constat eodem modo immutare, ac delectare, ac ipse coitus. Quoniam verò in hac re multa erant, & distinguenda, & examinanda ad maiorem huius veritatis explicationem, quod nostræ disputationis ratio, & breuitas non patitur, ad alia properemus. Neque arg. oppositæ sententiæ valere, nec D. Tho. eius esse sententiæ rectè Caiet. ostendit, qui inter omnes lucidius acutiùsque hanc disputationem explicauit.

319 **S E X T A** dub. sit. Vtrum qui generalia verba turpia in aliquem profert, quæ scilicet possunt peccatum mortale & veniale sonare, peccet mortaliter, vt si de aliquo dicas esse magnum superbum, auarum, iracundum, &c. Syluest. q. illa 1. Antoni. 2. par. tit. 8. c. 4. Cord. quæst. illa 2. conc. 7. putant non esse peccatum mortale detractionis. Quia illa accipi possunt, vel pro inclinatione naturali, vel pro motu primo primo, vel secundo primo, ac denique pro peccato mortali. Ex quo nõ læditur fama notabiliter, cum audientes debeant in meliorem partem interpretari, & non scandalizari. Hanc sententiam improbat Nauarr. numero vigesimoquarto. Verùm non sentit forte contrarium his doctoribus. Ipse enim Nauarr. tum solum putat talem detractionem esse peccatum mortale, quando cum notabili damno, aut periculo sit, aut coram iis personis, de quibus credi potest eas etiam mortales culpas concepturas esse. Tunc enim (inquit) Nauarr. peccatum est mortale detractionis, nisi expressè, aut tacitè significet se de venialibus tantum culpis loqui. Quod illi doctores non negarent. Cum non semper, sed communiter (inquit Syluest.) de venialibus intelligatur. Et ita absolutè verior est prima sententia. Communiter enim sapius interpretamur de peccatis leuibus, aut de inclinatione, seu conditione naturali ipsius, de quo est sermo. Vnde nisi expressè vel tacitè significetur esse sermo de mortalibus, non est putanda detraçtio mortalis. Quamuis in his etiam consideranda est conditio & status personæ, cui detrahitur, vt supra dicebam de venialibus. Dicere enim, vt sæpe fieri solet de Episcopo esse auarum, aut iracundum, & de religiosis etiam viris, non omnino excusarem à mortali. In hæc enim peccata murmurationis facile video labi homines, & sine scrupulo, quod grauiter à confessoribus debet reprehendi. Et huius sententiæ videtur Nauarr. cap. illo 18. numero 25. putans ob has, & similes circumstantias reddi mortalem detractionem culparum venialium, & defectuum naturalium, aut propala-

tionem

tionem horum, aut falsam impositionem. Refertque in huius confirmationem, id quod quotidie videmus, (& vtinam non ita sæpè videre cogere) se nosse quendam virum insigniter eruditum, ac probum ab adipiscendo egregio quodam munere impeditum ob culpas veniales vanitatis, & iracundiæ: & alium ob defectum generis, visus & virium naturalium falsos, ab amicitia valdè vtili & honorabili esse repulsum, quos infra ad restitutionem damnorum teneri dicemus, cum de impediens per fraudes & mendacia loquemur. Vide quanto in periculo sint, qui putantes se leuia peccata, & defectus alterius dicere grauius vulnerant, & denigrant bonum nomen, & existimationem fratris. Econtra verò, quàm sint laudandi illi qui alienæ vitæ, nec exploratores, nec taxatores occultorum defectuum etiam leuissimorum proditores esse ita fugiunt, vt nihil sibi loquendū arbitrentur, quod quemquam etiam maleuolentissimum iure possit offendere. Quod si vnusquisque ad se, suosque defectus ac vitia oculos conuerteret, nihil esset, quod ad aliorum defectus ac peccata ita leuia, se conuerteret inquirenda, ne ei iure dici posset: *Eijce primum trabem de oculo tuo & postea videbis, vt eijcias festucam de oculo fratris tui.*

322 **S E P T I M A** dubit. Vtrum detegere quodcunque peccatum mortale proximi, vel falsum imponere, sit peccatum mortale detractionis? Respondetur omnium sententia non esse certam ac generalem regulam, quòd quoties quis mortale peccatum proximi detegit siue falsum imponit, peccet mortaliter. Et primum certum est, quòd si ordine iuris detegat, vel ad correptionem, vel accusando, vel malum reip. aut tertij impediendo, vel informando, &c. De quibus in parte præcedenti satis disputauit, & profequitur Nauarr. num. 30. non peccat, sed mereri potest. Secundum, si inordinatè detegit, tamen tale genus peccati non est damnificatiuum famæ, quia non ob id minoris æstimabitur, non est etiam læthalis detraçtio, vt si detegas peccatum, de quo quis se iactare solet, tale est in iuuenibus fornicatio, aut quòd vulnerauerit, aut iniuria affecerit alium. Id enim ipsi pro honore ducunt, nec ob id quidquam amittunt, sed ita facile de iis se iactant narrando, ac si se cœnasse narrassent. Ita Merc. cap. 9. & Pedraza. §. 2. Caiet. 2. 2. quæst. 73. ar. 2. dub. 2. Sor. lib. 5. de Iust. q. 10. ar. 2. concl. 4. & 4. de Iust. q. 6. art. 3. ad 4. Ioseph. Angles in flor. 4. sen. q. de rest. famæ dub. 3. diffi. 2. conc. 4. & idem est si dicas, descendisse in duellum, aut quòd non ieiunauit totam quadragesimam, cuius exemplum est de duce, qui tempore *dela resena*, ostendit plures milites quàm sint tempore stipèdij soluendi. Hoc enim ferè boni ingenij iudicatur, & honori id sibi dat miles vel dux: imo addit Mer. quòd quamuis falso ista dicantur nõ incurritur restitutionis obligatio, quamuis peccatū sit. Tamen si quis ita his vitiis esset deditus, nimia in quã luxuriæ, & tumultuosis rixationibus, & actionibus, proculdubio merito bonū nomen, & opinionè amittet. Ob hæc enim & similia vitia, & ob consuetudinem ludendi, & inordinatè expendendi bona, multos in republ. videmus, etiam honorabilium filios, non esse matrimonio coniunctos, ab omnibus despici, ac miserè viuere. De his igitur,

E c 2

329 nisi sub fidelitate interrogatus sis ad consilium, non potes absque morali peccato vel occulta crimina dicere, vel falsa imponere, quamuis quæ in consuetudinem abierunt vix occulta esse possint. Tertio putamus tunc esse peccatum mortale, quando peccatum illud mortale, quod propalatur est malæ opinionis generatiuum, bonæque famæ inimicum. Hæc autem supra referebamus esse permulta, vt stuprum in virgine, vel alia ad hoc viam parantia, adulterium in vxore, fornicatio clerici, latrocinium, periurium, vsura, sodomia, hæresis, falsatio vel literarum vel monetæ, blasphemia, Iudaismus, ebrietas, dæmonum inuocatio. Denique quæcunque vtilitatem quandam important, vt de mentiendi consuetudine supra dicebam. In his igitur siue falsum imponas, siue verum occultum detegas semper est mortale peccatum detractionis modo duæ adsint conditiones vt vel animo lædendi facias, si re ipsa non lædas, vel facto ipso lædas, si intentionem lædendi non habeas. Quod si vtraque conditio absit ab actu, vt neque re ipsa lædas, neque animo lædendi facias, quantumuis enorme sit delictum, non peccasti mortali peccato, vt si attentis circumstantiis personæ cui dicitur, & à qua dicitur, &c.

330 non sit tale periculum & nocumentum. Et propterea Nauar. vbi supra docet, quod cum aliqua circumstantia excusat, non est mortale peccatum quale ille putat esse, vt supra dicebam, cum ei dicitur, qui nõ creditur nociturus, neque intentione nocendi dicitur. An autem talis sit pater aut mater respectu peccatorum filiorum. Caiet. 2.2. q. 73. art. 2. & Cord. con. 5. respõd. affirmatiuè, de quibus meritò præsumi debet, quod non erunt nocituri, aut publicaturi, quod Nauar. limitandum censet, quando tale esset peccatum, & talis parens, vt id meritò crederetur. Et mihi ita placet. Non enim omnes patres sunt tam discreti ac probi, atque oportebat.

OCTAVA dub. An qui de aliquo homine infamato in grauiori peccato reuelat eius minus graue peccatum detrahat mortaliter? V. g. est quis notorius fur vel homicida, habet præterea occultum fornicationis peccatum, an liceat propalare hoc peccatum? Syluest. q. illa dicit licitum esse. Quia cum in re grauiori famam habeat læsam, nulla ei sit iniuria, si minus graue dicatur. Possent probari hæc sententia. Quia semel malus semper præsumitur esse malus. Igitur à fortiori magis malus rationabiliter præsumitur, minus malus: idem docet Cordub. quæst. illa 2. conclu. 5. & quæstione tertia con. 6. Porro istam sententiam alienam à veritate cenfeo. Licet enim in vna specie peccati famam habeat læsam: circa alia tamen infamatus non est, sed bonum nomen habet. Fit ergo ei iniuria, cum circa illud crimen infamatur. Cum enim peccata sint distincta, quæ consequentia esse potest, vt sit consequens omnia crimina infra illam speciem commisisse. Aliàs sequitur, vt si infamatus esset de grauiissimo omnium criminum, verbi gratia de odio Dei, liceret illum, si esset occultus hæreticus, & sodomiticus, &c. detegere, quod absurdissimum est. Adde, quod, vt supra dicebamus, non licet iudici infamatum de vno crimine rogare, an commiserit alia etiam eiusdem speciei. Multò ergo minus licebit priuata personæ de crimine

crimine diuersæ speciei confabulari, atque illud detegere. Denique illud esset affligere afflictum.

ILLVD non nego, quod si quis esset infamatus de multis eiusdem speciei criminibus: v. g. de centum furtis, non esset mortale vnum alterum furtum occultum reuelare. In eo enim non notabiliter fama læditur, quæ iam satis læsa est, vt ipse Cord. in specie fatetur in d. conc. 5. non autem si diuersæ speciei est, etiam si de maiori crimine sit notatus, aut infamatus, vt dixi, quidquid Sylu. & Cord. doceant, vbi supra: inquam sententiam citat etiam idem Cord. Adri. Flor. & Caiet. Per hæc patet ad rationem Syluest. Falsissimum enim est, quod ait, non esse infamiam: verbi gratia notorij homicide (exemplum est illius) quod sit fornicatus. Imò reuera est specie distincta, & maior. Secus esset, quando crimen minus non esset tale, vt dedecori detur, vt supra dicebamus de iuvene fornicante, & de ijs criminibus de quibus se iactare solet. Ad secundum à nobis factum Respon. quod licet in criminibus eiusdem speciei propositio vera esse posset semel malus semper præsumitur esse malus, quod Hispanicè dicitur: *Quien haze vn cesso, kara ciento*. Tamen de criminibus diuersæ speciei distincta est longè ratio & præsumptio. Imò nec de criminibus eiusdem speciei rationabilem præsumptionem putarem. Non enim est consequens, vt qui vnum hominem occiderit, alium atque alium occidat, & licet esset nonnulla suspicio, & præsumptio, non tamen id satis est, vt crimen occultum, si reuera commisit, plane detegatur vnde supra docuimus conuictum de vno crimine, non posse interrogari de alio, etiam eiusdem speciei, nisi ex circumstantiis vnum esset indicium alterius, vt si sit fur famosus, potest de alijs furtis interrogari. Est enim tale hoc vitium, vt vix vno sit contentus furto, qui illius labe est infectus. Et ita docuit Nauar. cap. 18. num. 42. Adria. Quodlib. 11. Qui etiam meritò docent teneri ad restitutionem. Et ratio est plana, cum iniuste lædat & efficaciter, bonæ famæ notabilem partem. Sicut qui pecuniæ notabilem partem auferret à proximo. Pro eodem refert Nauar. D. Tho. 2.2. quæst. 73. art. 1. & ibi Caiet. Sed illi nihil dicunt de restitutione, nec de peccato in hoc casu. Et ita est tenendum meo iudicio, quidquid de restitutione etiam neget Syluest. q. 4. casu vltimo. Idem docet Merc. c. 9. versic. *lo primero*. Qui adhuc de peccatis eiusdem speciei meritò docet, tunc solum non esse restituendum quando dicitur nouum peccatum eiusdem speciei in eo, qui de consuetudine est infamatus: sicut, qui diceret ludere mille aureos eum, qui consuevit etiam bis mille ludere, etiam si id falso dicatur. Non enim famam vel bonum nomen aufert, quod non habet.

NONA difficultas. Vtrum qui recitat se audiuisse crimen alterius, ipse tamen nihil certo asserens peccet mortaliter. Syluester quæst. illa 1. ex Scoto, putat non esse peccatum mortale. Ista enim ex natura talis actus non infamant apud audientes. Tum quia non id asseuerat. Tum, quia sæpe ex loquacitate talia dicuntur, quibus ex natura rei fides non est habenda. Qui enim credit sibi imputet, cum leuis sit corde, & sine sufficienti testimonio credat. Secus est, ait Syluester si aliquid adderetur

prouocans ad credendum. Effet enim mortale. Addo ego, vel si plus diceretur, quàm est audirum, illud affirmando. Si tamen malo animo faceret peccaret mortaliter ait Sylu. & restituere teneretur, Secus, si ex loquacitate, vt docet quæst. 4. casu 5. Idem docet Nauar. 18. num. 36. cum eisdem limitationibus, & in capite inter verba conc. 6. num. 450. Eandem sententiam tenet Caiet. 2. 2. quæst. 73. art. 2. dub. 2. atque idem censent esse dicendum, cum quis sub dubitatione alicuius crimen detegit, idem Gabr. in 4. d. 15. quæst. 16. dub. 2. Scot. q. 4. art. 1. Armil. restit. §. 41. Cord. q. 2. conc. 7. pro quo citat D. Th. q. 73. art. 2. sed D. Tho. ibi nihil agit hac de re. Verùm Sot. 4. de Iust. q. 6. art. 3. ad 4. versic. *Quartus denique modus* & lib. 5. q. 10. art. 2. & Merc. cap. 11. in princ. contrarium censent. Quia (inquiunt) qui illud audiunt, non possunt non concipere de nouo sinistram opinionem. Fama enim vires acquirit eundo. Cui ego sententiæ minimè consentio. Prior enim & autoritate & ratione magis stabilita est, vt patet. Vnde etiam alter poeta ait: *Rara fides, quia multi multa loquuntur*, Et ita nulla est restitutionis obligatio. Ratio verò Soti illicitam esse ac venialem detractionem probat.

330 Dices saltem erit obligatio restitutionis si malo animo fiat. Sic sane sentit ex nostra sententia Syluest. Sed melius docent Caiet. & Gabr. Si enim reuera efficaciter non nocet, quid refert intentio nocendi? Quod si quandoque contingat in effectu nocumentum ex leuitate potius credentis, quàm ex vi proferentis prouenit, cum ille solum recensendo, aut dubitando concurrat. Omnes tamen fatentur esse mortale ob intentionem nocendi. Imo quando referat leuibus, & procliuiibus ad credendum malum, aduertens apud illos esse famam lædendam, vt ait idem Cord. Si est ita grauis persona ipse referens, quod non solet, nisi vera, & certa referre, ex quo audientes sibi persuadent verum & credibile referri. Est enim virtualis lædendi intentio & contra charitatem, vt in specie adnotauit Gabr. & Scot. & Nauar. c. 18. num. 48. Adrian. q. 33. in fine, & Quodlib. ij. suppositi. 1. Cord. conc. 7. & q. 3. conc. 7. & Nauar. c. inter verba n. 876. Et sic posset intelligi Soti & Merc. sententia.

331 ILLUD mihi non placet, quod Cord. existimat in d. conc. 7. quod etiam si solum venialiter peccauerit referens scilicet ex leuitate, aut loquacitate, tenetur sub mortali reparare, si damnum proximo notabile sit secutum. Fundatur autem in ea opinione quam ex ipso, supra cap. 1. huius lib. retulimus & reiecimus. Quod ex læsione venialiter tantum iniusta oritur restituendi obligatio sub mortali. Verùm hanc sententiam ibi eliminauimus. Quando enim quis non tenetur ratione rei: sed solum ex iniusta damnificatione, fieri non potest, vt absque mortali peccato sit restituendi obligatio sub mortali. Ista enim coherere non possunt quod damnificatio sit tantum venialis, & non restituere sit mortale quàm iudicio meo assequi possum. Sicut nec coherere possunt ista alia duo, quod damnificatio sit inculpata, & restitutio sub culpa sit facienda (loquor vt dixi, quando non ex contractu vel ratione rei, sed solum ex delicto, seu iniusta læsione non lucratiua restitutio est facienda) vt in homicidio, famæ ablatione, rei combustione, &c. De quibus præcipue

332 cipue in hoc tomo agimus. Quoniam vel ille cum talem actum admisit sciebat, aut scire debebat prædictum notabile nocumentum euenturum, & cum sanè non venialiter: sed mortaliter delinquit. Cum saltem interpretatiuè consentiat in tale nocumentum. Si verò id nesciebat, aut scire non debebat, certè respectu illius casuale est notabile nocumentum: ac proinde vel non peccaret, vel tantum venialiter. Si solum paruum nocumentum putabat euenturum. Et cum solum tenetur restituere sub mortali, damnum intulit iniuste iniustitia notabili, cum vt sepe diximus non teneatur ratione rei, sed ratione iniustæ actionis, sequitur, &c. Vnde oppositum suæ sententiæ faterur ipse Cord. esse Scot. Gabr. Adria. Sylu. & communem. Ille tamen abusus est grauissimè detestandus, quo quidam dicunt, cum informatio ab eis petitur, vel etiam si non petatur audiui hoc vel hoc: & tamen nec à fide dignis acceperunt, sed à leuibus, mendacibus, inimicis, vel passione commotis, & quod peius est, & magis diabolicum, quia ipse falso apud se vel alium dixerunt, & tamen iurant se audiuisse. Hos enim peccare mortaliter & ad restitutionem teneri non est dub. In quo casu verissima est Sot. & Merc. sententia. Neque vllus negaret, ij enim eo modo facti sunt efficaces causæ damni secuti, possetque eis tale dilemma fieri. Nam vel illi à quibus audierunt erant fide digni, & tunc idem est ac si ipsi vidissent quoad damni illationem. Quia reuera fides adhibetur ex natura rei. Si verò non erant fide digni, cur ipsi, vel credunt, vel serio narrant? Non enim ipsi narrando sua autoritate fidem adhibebant, ac si reuera à fide digno accepissent, & omnino credidissent.

DE SIMA diffic. Vtrum reuelare peccatum alterius vni vel duobus viris grauibus, quibus dicere est ac si nulli diceretur sit detraçtio mortalis? Et supponitur non fieri bono fine vel ad remedium peccati illius vel confitèdi, &c. Sed inordinatè ex leuitate vel loquacitate Cai. 2. 2. q. 73. art. 2. dub. 1. putat non esse mortale & Cord. q. illa 2. cõ. 5. Quæ opinio Sot. non placet in d. art. 3. q. 6. lib. 45. q. 10. art. 2. cõc. 4. Quia (inquit) plus æstimari debet bonum nomen apud vnum virum graue, etiã si sciam nemini illum dicturum, quàm apud plures non tales. Quia licet minus periculum sit euulgationis, tamè apud illū perditur bona existimatio, & nomē. Cū enim de læsione famæ agim⁹, non ita in rigore iuris de fama loquimur, vt est multorum opinio & existimatio: sed sumitur pro existimatione etiam apud vnum. Et huius sententiæ videtur Nauar. c. 18. n. 19. qui definiens famā ait, *est existimatio bonorum*, & c. subdēs se dicere existimationem, vt non solū cõprehendat opinionem communem: sed etiam particularem, & singularē vnius vel alterius, quod expressè docet in c. inter verba, numero 507. Fauet D. Thom. 2. 2. quæst. 73. artic. 1. ad secundum. *Si vni soli* (inquit) *aliquis de absente malum dicit, corrumpit famam eius, non in toto, sed in parte*: Et ita apertè tenet Pedraza præc. octauo, §. secundo. Falsa tamen mihi videtur Soti sententia. Licet enim sit peccatum veniale detractionis: tamen illud est leue nocumentum, quod enim vnus aut alter, qui est ac si nullus sciret, meum crimen sciat, non est notabile nocumentum, vt bene Caietanus docet, imo ex do-

strina Nauar. colligitur in num. 20. Notabile enim damnum in fama, ait Nauar. num. 20. & 21. & c. inter verba num. 493. citans Caiet. in d. art. 2. solum est quando vel periculum est publicitatis, vel ex reuelatione
 333 vni facta timetur, aliquod damnum notabile animæ corporis aut pecuniæ. Quod verò sit notabile damnum corporis animæ, vel pecuniæ arbitrio prudentis relinquitur. Vnde colligo, quod cum maritus cum vxore confabulatur de secreto peccato alterius: si non est verisimile illam fore euulgaturam, sed tacituram, non est mortale peccatum: & idem est de similibus. Sola enim apud vnum bonæ existimationis amissio, non est dicenda notabilis infamatio, aut boni nominis læsio, qui casus quotidianus est & notandus. Et id etiam consonat sententiæ communi à nobis supra defensæ, de reuelando complice. Ob id enim est licitum. Quoniam apud vnum grauem, & discretum infamatio grauis non est, sed leuis omnino, vnde miror Dominicum Sorum, qui communis sententiæ fuit, ita in præsentia docere. Nec refert, si dicat non esse simile extra confessionem: nam si vnum prudentem, & taciturnum
 334 meum scire delictum notabilis infamatio esset, secundum se, non liceret in confessione detegere. Esset enim tum confessionis observatio præcepti contra ius naturale. Dum ergo ipse existimat, & bene, licite ob confessionis integritatem detegere: manifestum est non esse notabilem infamationem.

V N D E C I M A dubit. An audiens detractorem peccet mortaliter. De qua quæstione D. Tho. 2. 2. quæstione 73. art. 4. Caiet. verb. detractio, Nauar. cap. 18. num. 36. & 41. Syluester detractio quæst. 2. Adrian. Quodlib. II. q. 2. Barthol. Medin. c. illo 14. §. 34. Pedraza præcep. §. 5. & latius Cord. memb. 4. detract. q. 4. Sine controuersia fatentur. Primum, quod si est auditio formalis (sic loquuntur aliqui) id est, si sua audientia concauset alterius detractorem iuuando, incitando, vel in-
 335 terrogando, laudando, vel approbando, vel si eius auditio sit causa auditionis aliorum, vel denique si interius ei placeat, est peccatum mortale, non resistere, cum consentiat peccato alterius, & gaudeat de malo proximi. Sic intelligitur Bernardus relatus à D. Thoma: *Detrahens aut detrahentem audire, quid horum damnabilius sit, non facile dixerim.* Vnde in expresso fatetur Cord. in d. q. 4. maius esse peccatum isto modo detrahentem audire. Quia ultra peccatum detractio, quod admittit causando detractorem cooperatur etiam peccato ipsius detractoris, & ita peior est quam homicida, vt August. relatus 22. q. 5. capite qui prouocat docet de inducente ad falsum iurandum. Occidit enim animam suam, & detrahentis. Si autem non resistere sit ob bonum finem, scilicet ex necessitate, aut pietate aut iusto timore, aut quia non sperat fructum ex reprehensione: sed deteriore futurum eum, qui detrahit: non est peccatum. Si verò ex negligentia, non impediatur, cum posset, hic difficultas est maior. Videtur enim esse mortale cum non impediatur damnum proximi, cum facile possit, & non corripiat fratrem, vt tenetur,
 336 quin potius peccati alterius particeps videretur. Verùm Caiet. & Nauar. & Syluester, Barthol. de Medin. fol. 184. non putant in his esse facile præcipit

præcipitandam sententiam. Quia licet negligentia eius alter detrahat, & eius auditio sit causa auditionis aliorum, ex quo fama proximi eius negligentia læditur: tamen si purus sit animus, non est auditio, nisi materialis, nec causa auditionis aliorum, nisi materialiter, cum reuera si malum aduertisset, effugisset. Tantum ergo erit venialis cum ex leuitate, negligentia vel alia causa simili, auditum præstat. Et ita in specie sentit Cord. plerumque scilicet esse tantum veniale in d. quæst. 4. licet quandoque esse posset mortale.

S E D contra horum sententiam videtur esse, quod licet non peccet contra iustitiam, nec restituere teneatur damnum consecutum: tamen contra charitatis legem videtur delinquere. Si enim peccatum esset contra charitatem, vel non indicare latronem, vel non obuiare combustioni segetum, & c. cum facile verbo, aut facto id posses, quomodo non magis, cum facile possis detrimentum in fama proximi vitare, non erit peccatum omittere? Maximè, cum non modò delinquas in infamatum, cuius damnum permittis, sed etiam in detrahentem, quæ præcepto diuino fraternè corripere teneris, cum facile possis, & negligis? Et ita planè docuit Alcocer. c. 22. versic. *oyr de buena gana.*

V N D E tres casus colligunt prædicti authores, in quibus est mortale peccatum. Primus, si ex officio teneatur corrigere, & ex negligentia omittit obuiare detractio. Id tamen est etiam contra iustitiam, & restituere tenetur. An verò peccet mortaliter, qui cum facile posset non facit, iam diximus tantum esse veniale. Sed infra, cum de participantibus agetur latius disputabitur. Interim legatur D. Tho. in fine corp. & in solu. 3. & Caiet. dub. 1. circa prædicta loca. Secundus, si ex timore humano omittit, quod est intelligendum, vt bene Syluest. & Caiet. quando timor humanus ob quem dimittit esset peccatum mortale quod quando sit alterius est disputationis. Tertius, quando est articulus necessitatis, vt si ex tali detractio subsequeretur aliquod magnum malum, vel infamiæ, vel rerum, vel vulneris, & c. Sed tunc pensanda est qualis sit necessitas, & resistendi facultas, & qui fructus speretur, & c. Restituere autem solum tenetur, ait Nauar. quando referens existimat sibi esse credendum ac si affirmaret, vel existimare debebat. Quod latius probat in d. rele. nu. 876. Sed id omnino mihi non placet. Nam ipse non addit efficacem causam damni, vt supra dicebam, & ita credulitas nõ ei, sed aliorum leuitati in credendo imputari debet. Magis enim iudicium temerarium in credentibus est damnandum, quam in hoc detractio. Quamuis, vt supra dicebam mortaliter peccaret, si aduertenter illos esse credituros, & famam lædendam. Licet enim damna non
 339 det, ex intentione tamen implicita peccat mortaliter contra charitatem si intenderet, & placeret illi læsio, licet eius efficacem causam non det. Restitutio enim ex damno dato, non ex animo attendi debet, & ita docuit Caiet. Sed rogit. An talis audiens incidat in excommunicationem latam contra detrahentes. Nam Adrian. in d. Quodlib. II. putat incurrere. Quia non prohibens clericum percussorem est excommunicatus. Quia cooperatur saltem negatiuè ad talem actum, vt habetur in

c. Quantæ, de Sentent. excom. Igitur idem erit de non prohibente detractorem. Verum melius docet Syluest. excom. 8. notab. 3. dub. 1. & 3. & excom. ult. dub. 4. Cord. memb. 4. q. 4. concl. 2. Non enim est simile, cum in materia pœnarum, nō liceat ex simili arguere. Vnde dictum ca. non debet trahi aut extendi ad non prohibentem detractorem.

D V O D E C I M A dub. sit. Vtrum, qui falso & mendacio bonam famam adeptus est in rep. possit infamari? Adria. Quodlib. II. q. 1. putat id esse licitum. Quia virtutis officium est tales impostores, qui remp. se-
 341 ducunt, detegere. Sor. tamen sub distinctione putat esse respon. Quia si tales sint reip. perniciosi, vt si se fingeret Theologū Medicū, & huiusmodi, detegendus esset, & id planum est: Cum remp. offendat. Si verò, ait Sor. innoxie viueret, vt sunt aliquæ mulierculæ, quæ prætextu sanctitatis ex eleemosynis victitant, non essent detegendæ. Et idem est de omni alio, qui in rep. bonum nomen fraude est assecutus. Aliàs si id liceret, cur non etiã occultos peccatores prodere liceret, qui etiã falso & immeritò bonam famam habent, licet ipsi non falso comparauerint. Imo multò magis mihi videtur nō esse eos deregēdos, qui cum nociui non sint reip. fraude bonum nomen compararunt, quàm alij occulti peccatores, quibus sine eorum opera bona fama est attributa, licet immeritò. Ij enim vno peccato peccarunt, at qui alios detegeret, duo crimina, simul reuelaret, & peccatum ipsum quo sunt infecti, & hypocritism & simulationem, qua vsi sunt ad bonā famā acquirendam.
 342 Est enim duplex malitia, & ita maius damnum eis fieret. Quamdiu ergo non nocent reip. neque tertio, non est eorum bona fama lædenda, idem docet Cord. de detract. q. 2. conclus. 4. ad 2. Vnde rejicienda est distinctio Adria. de fama orta ex virtute intellectuali, vel alia naturali, vt si putetur peritus diues, nobilis, quam licitum putat veritatem propalando, auferre. Quia (inquit) hanc famam tenetur vir probus repudiare, & falsam aliorum æstimationem corrigere: at falsam æstimationem de bono virtutis, honestatisque vitæ non tenetur, sed vitam commutare tacendo, quo fit, vt in hoc casu non consentiat actu debito sicut in primo. Ac per hoc illi non fit iniuria, mortalis in primo casu, fit autem in secundo. Hæc inquam sententia mihi non placet, immeritòque eandem esse in vtroque casu rationem, docet Cord. in d. concl. 4. ad 2. cum fiat aperta iniuria habenti talem bonam existimationem, &
 343 opinionem occultam veritatem declarando, nisi vt suprā dictum est, quando talis veritatis apertio esset utilis aut necessaria ad præcauendum damnum reipub. vel alicuius tertij.

D E C I M A T E R T I A dub. sit. Vtrum, qui non detegit virtutes alicuius sit detractor? Respond. Primùm, si non tenetur eas manifestare neque lege charitatis, neque iustitiæ. Quia, scilicet non est articulus necessitatis, nullo modo peccat. Non enim tenemur omnes homines etiam iustos & perfectos semper commendare, ac laudare, imo in hoc vitiū esse potest ob excessum. Sunt enim multi qui, vel omnia laudant, vel si aliquid laudant, ita efferunt, vt & vani laudatoris vitium incurrant & oppositū vituperationis vitium admittant. Laudare enim aliquem

aliquem plus iusto, cum certum est ei talem laudem non competere, quid aliud est quàm ironicè, & bonis verbis reipsa vituperare? Adeo vt meritò multi erubescant, ex nimia laude, non modò ex humilitate, sed etiam ex irrisione, vel iniuria, quam sibi fieri putant. Secundò dicimus laudantem aliquem immodicè, ex quo famā alterius extenuat peccare mortaliter & teneri ad restitutionem, vt docet Nauar. cap. 18. nu. 44. & c. inter verba. num. 77. Adria. Quodlib. II. litera R. Sit verbi gratia exemplum. Agitur de aliquo, cui ablatum est officium, & vt creditur, quia iniquè gerebat, & quidam ex astantibus ita dicit, qui modo habet hoc officium est vir bonus iustè exequens officium, nullum opprimit, &c. Hoc enim est dicere alium contra fecisse. Tertio dicimus, q̄ tacere alicuius laudē in occasione, & articulo necessitatis detractio est, & in re graui peccatum mortale: ita sensit Nauar. c. 18. num. 37. Est enim doctorum cōmunis sententia esse triplex genus detrahendi proximo in fama. Primùm, falsum illi imponendo. 2. verum crimen detegendo. 3. veram virtutem contegendo. Sicut enim lege charitatis, & quandoque iustè tenemur proximi crimina non detegere: sed velare; ita eadem lege tenemur eius virtutem nō cœlare, sed detegere. Vnde, qui testificari tenuit in articulo necessitatis, id quod ad famam inno-
 345 centis pertinebat, detractor est, non minus quàm ille, qui cum audit vitia tacet, & non respondet. Quando verò sit mortale ex dub. præcedenti colliges, vbi de audiente detractorem agebam. Id aduertam, tum demum ad restitutionem famæ teneri, sic detrahentem indirectè, cum virtutē illius ex officio tenebatur propalare, vt testis in iudiciū vocatus vel prælatus ex officio. Alij verò à quibus priuatim informatio, & cōsiliū peritur de vita alicuius, & tacet eius virtutes, & bona mortaliter peccat, sed restituere non tenetur, vt suprā latè probauimus.

D E C I M A Q V A R T A dub. Vtrum, qui iniuriam sibi ab aliquo illatam refert alicui, peccet? Videtur enim, quod peccet cum detegat peccatum proximi occultum, de quo forsitan ille iam pœnitet. Mihi sane distinguendum videtur. Si enim facit intèrione detrahendi ad vindictam: Sunt enim multi, qui cum contumeliam retaliare non audeant eo, quod verentur eum, qui eos læsit, in faciem lædere iniuria & irre-
 346 uerentia, vel contumelia: id tamen faciunt occultè, auferendo saltem opinionem & famam, vt se vlcisci possint, si non honorem auferendo, saltem famam, quos cōstat mortaliter peccare. Si verò quis ea referat, siue vt consolationem capiat ab amico. siue vt conqueratur de illo, vt ita narrando causam, dolor remittatur, non videtur esse mortale peccatum. Vtitur enim iure suo, & alterius crimen per accidens est detestum. Vnde sicut, qui accusat, vel querelam ad superiorem affert, non peccat, licet exinde proximi infamatio sequatur, huic enim non est imputandum, qui suo vtitur iure: sed iniuriæ illatori, ita cum apud amicum, vel alium, vel vt consoletur sese, vel vt querelam suam explicet, & iustitiam, non videtur mortale peccatum.

D E C I M A Q V I N T A dub. An negans crimen, quod verè commisit ipse, vel alius occultè, sed sibi publicè obiectum peccet? Quidam

enim indistinctè docent mortaliter peccare, quia est mendacium per-
 346 niciosum in damnum reipub. cum delicta ob id maneant impunita. Et
 in damnum accusatoris, eo quod sit notatus calumnia, cum in proban-
 do deficiat, Syluest. tamen rest. 3. quæst. 3. Nauar. num. 46. & 48. c. 18. &
 cap. 25. num. 35. Sor. lib. 4. de Iust. quæst. 6. art. 3. Gabr. in 4. distinct. 15.
 quæst. 16. dub. 3. Hanc disputant quæst. imo Scot. d. 15. quæst. 3. artic. 4.
 Richard. art. 5. quæst. 3. Caiet. 2. 2. quæst. 62. art. 2. & quæst. 69. artic. 2.
 Angles in Flor. 4. sentent. quæst. de restit. fam. art. 1. diff. 1. conclus. 1. Et
 quidem hæc quæst. propter duo interrogari potest. Primum propter
 mendacium aut periurium de quo supra egimus parte prima. Secundò
 propter infamationem accusatoris, quod ad propositum est. Videtur
 enim qui tale crimen (quod verè commisit) negat, notare accusatorem
 de calumnia, & illum iniustè infamare. Adde, quod in priuatis solet
 hoc sæpius accidere. V. g. detrahit quis secretò proximo suo, audit
 Ioannes, addit ad eum, qui passus fuit nocumentum, & narrat ei, quo-
 modo alter, & quæ de ipso locutus sit. Tunc hic conuenit detracto-
 rem, vt vel conqueratur, vel vindicet iniuriam, respondet ille se nun-
 347 quam id dixisse, quæritur modò: Vtrum detractor peccet mortaliter in
 hoc, cum reuera illud dixerit, & mendacem faciat Ioannem qui id au-
 diuerat, & ipse vt iustus manet, atque innocens. Ioannes verò innocēs,
 vt fallax, & susurro, perturbatorq; amicorum. Dubium ergo est vtrum
 teneatur veritatem fateri, & consulere honori Ioannis, qui sanè casus
 est communis, & scitu dignus. Cui ego quæstioni sub distinctione cen-
 seo respondendum. Aut enim Ioannes, qui alteri detractionem detegit,
 licitè id fecit, aut non: Potest autem in duobus casibus licitè id fa-
 cere. Primò quia secretum non est de peccato aliquo, sed de alia re,
 quam alius illi commisit dicendam alteri: Vt si dico Petro, quod hoc
 vel illud vendatur in tali loco, vel à tali persona, & respondeat Petrus,
 se posse rem illam minori precio acquirere, audit hoc Ioannes, & nar-
 348 rat amico, qui postea cupidus agens de hac re cum Petro, vt sibi rem il-
 lam minoris acquirat, respondet, nunquam se id dixisse, vel quia ni-
 mium promisit, vel quia non potuit consequi, quod voluit, & ob ho-
 norem suum negat se vnquam id dixisse, quod sane vulgare est in re-
 bus præcipuè & causis quæ celeriter fiunt, vel promittuntur. Postea
 enim coguntur negare, quod promiserunt & in hoc casu certum est,
 quod qui retulit dictum Petri, potuit illud alteri nunciare. Secundò
 potest etiam id facere, quando peccatum quidem est. Sed illud probare
 debuit in monitione & correptione fraterna, & postea cum ipse non
 profecerit, refert ad eum, qui possit proficere. In his ergo casibus pec-
 cat, qui negat dictum suum vel factum, si quidem iniustè infamat de-
 nunciatorem omnino innocentem & falso ei attribuit mendacium &
 crimen. Quidquid doceat Angles vbi supra putans, tum tantum tene-
 ri, quando accusatorem calumniatorem esse dicit, non quando simpli-
 citer negat factum. Quis enim non videat. Tum denunciatorem inno-
 349 centem aliàs, iniustè pati, & mendacem reputari, cum nihil mali fecerit
 denun

denunciando, vt dictum est. Illud fateor, quòd si reus est planè conui-
 ctus, licet peccet mortaliter negando, tamen nihil restituere tenetur.
 Re enim non lædit famam, vel accusatoris denunciantis, vel iudicis
 condemnantis. Ex quo enim est plane conuictus probatione, non ad-
 hibebitur illi fides neganti, at si tantum est semiplene cōuictus, nescio
 quo pacto dicat Angles peccare mortaliter, sed non teneri ad restitu-
 tionem cum constet non habentem ius negandi veracem manere ne-
 gando, iustum verò denunciatores mendacem habendum fore. Si
 verò denunciator illicitè denunciaret, quia scilicet accusat de peccato,
 quod probare non potest, vel priuatim reuelat peccatum, quod prox-
 imus commisit causa murmurationis, vel quod ipse sub sigillo accepit,
 tum certè potest alter negare crimen, vt bene docet Angles in d. con-
 clus. 1. quod ex eo probo. Quia ratione mendacij non tenetur non ne-
 gare, nec iuramenti, vt supra disputabam, nec ratione calumniæ alteri
 iniectæ, quia ipse vitur iure suo, se defendendo. Ius enim habet, pec-
 cata sua secreta tegendi. Vnde non est mendacium perniciosum accu-
 santi, vt in præcedenti casu, sed magis accusans, vel detegens iniustè
 est sibi perniciosus: Quia tale crimen debet non exponere, & ideo im- 350
 putet sibi, si ex eo aliqua sibi sequitur infamia, alter enim iure vitur
 suo, suam innocentiam publicè defendendo, quam iustè conseruat do-
 nec sit conuictus nocens, & hoc considerent susurrones, & amicorum
 perturbatores, quorum munus & negotium est huiusmodi secretis, di-
 ctis, vel factis charitatem & amicitiam impetere atque etiam dissolue-
 re. Quæ vera etiam putat Angles, etiam si dicat accusatorem esse ca-
 lumniatorem. Ex quo enim probare non potest: calumniator est obij-
 ciens crimen, non minus ac si verè crimen commisisset, vt colligitur ex
 cap. 2. de Calum.

DECIMA QVINTA dub. sit. Vtrum detrahere de fama mortui
 sit mortale peccatum? Hanc quæstionem apud neminem legi, quia ta- 351
 men quotidiana est placet eam breuiter disputare. Moritur. v. g. cleri-
 cus vel fœmina nupta; de his postea reuelas concubinarum vel adul-
 terium admisisse, an pecces mortaliter. Viderur enim quòd non, quia
 nullum infers temporale damnum, cum iam bona temporalia illi ni-
 hil profint. Honor enim ex temporalibus bonis esse videtur, vnde qui-
 dam dicit mortuos quasi non sint, &c. Sed certè peccatū videtur mor-
 tale mortuis detrahere. Et primum, si peccatum in confessione audi-
 tum pandatur sine dubio peccatum est, durat enim sigillum cōfessio-
 nis post mortem, vt doctores docent in 4. d. 21. Quod non est tantum
 putandum ratione reuerentiæ debitæ sacramento, sed ob bonū ipsius,
 qui decessit. Reuerentia enim sacri debita est ratione pœnitentis ne
 illi fiat iniuria. Si enim proximo ex reuelatione nulla fuerit iniuria, sa-
 cramento nulla fuerit, sicut patet de eo, qui licentiam præbet cofes-
 fori, vt peccatum reuelat. Tum enim sacramento iniuria non fit, quia
 nec proximo, sicut iuramentum proximo factum non seruare pecca-
 tum non est, si ipse proximus consentiat. Deinde, quia licet ille non
 viuat, viuat tamen in opinione hominum. Bona autem apud homines 352

opinio, ac vitæ gloria iusta est, & honesta, atque alicuius, imo magni pretij. Quo fit, ut homines ex naturali inclinatione appetant gloriam, sui que nominis odorem in posteritatem relinquere, spe quadam immortalitatis accensi. Hinc maiorum institutiones, piorum operum memorias, & rerum bene gestarum præclara monumenta faciunt, at non est dicendum hanc nostram inclinationem honestumque desiderium esse frustra, & nullius momenti. Vnde quidam Romanorum princeps se bonis fortunæ à se obtentis, & honoribus delectari dixit, quorum priora nemo (ait) à me eripiet viuo, altera ne mortuo quidem. Et Ecclesiast. 30. *Mortuus est pater eius, & quasi non mortuus, Simile enim reliquit post se, in obitu suo non est contristatus, nec confusus. Reliquit enim defensionem domus suæ.* Bona igitur opinio, quæ ex virtute est apud futuros in quorum omnibus viuendum illi est, multum valet. Deinde, quia reuera ex tali detractatione scandalum generatur, in audientium animis: malumque exemplum quo nec mortuum videntur velle quiescere in pace. Insuper nocet viuentibus, qui mortuo sunt quodammodo coniuncti, ut filijs, consanguineis, amicis, &c. Præterea animæ ipsius defuncti immortalis fit iniuria, cuius gaudium si pœnitens obiit crescit ex
 352 bona fama. Quamuis si bona intentione fieret ad Dei laudem & proximorum ædificationem narrata etiam pœnitentia, non putarem esse peccatum, ut supra de sanctorum peccatis sæpe in Ecclesia cum pœnitentia relatis, dicebamus. Denique, sicut magni habendus est honor, qui ossibus sanctorum exhibetur, ita contra iniuria facta merito fugienda est, alioquin non esset peccatum mortale falsa testimonia de defunctis dicere in eorum dedecus apud homines, Si enim hoc est notabile damnum, erit etiam sane cum eorum peccata occulta panduntur, mendacium enim nisi cui esset perniciosum, nõ esset mortale peccatum. Sed an restitutio facienda sit maioris est quæstio. Videtur enim esse restituendum cum hæredes repræsentent personam defuncti. Ios. Angles in flor. 4. sent. q. de rest. honoris & bon. temp. putat non esse restituendum hæredibus, & merito. Iniuria enim personalis non transit ad hæredes, ut
 353 supra nos diximus de restitutione faciendâ ab hæredibus pro defuncto. An verò ipsi defuncto teneatur, id est, an teneatur se retractare, iudicio remittimus lectoris. Illud certum esse debet, quod si infamia defuncti redundet aliquo pacto in viuentem familiam, vel consanguineos, tenebitur læsor viuens satisfacere, ut idem Ioseph adnotauit.

DECIMASEXTA dub. Vtrum infamans cõgregationem vel aliquem ex illa scilicet ex collegio, vel religione teneatur ad restitutionem. Primò suppono, quod detrahere de statu religionis in communi hisce præsertim temporibus non modo graue detractationis peccatum est, sed etiã circa fidem periculosum. Vnde tales murmuratores cauere. Vel ut melius loquar cauere debent. Est enim grauis quædam suspicio de hæresi. Et inde colligo eos etiã esse cauendos qui aliquam specialè religionem approbatam à sede Apostolica infamant, vel de ea malè, vel
 354 sentiunt, vel loquuntur, vel impugnant. Hi enim parum abesse videntur, ut de statu religionis malè sentiant ac loquantur. Quare in his, & simili

similibus non præcipitare sententiam semper sapientis est iudicatum. Secundò peccant mortaliter qui infamant & male loquuntur de religionibus aliquibus in particulari, & sunt excõmunicati, ut docet Bart. Med. c. ill. o. 14. fol. 184. tales sunt detractores religionis S. Dominici, aut S. Francisci, siue per libellos infamatorios siue priuatim male loquendo, & huiusmodi excõmunicatio est Papæ reservata. Sed si rectè perpendas non sunt excõmunicati, qui priuatim de præfatis ordinibus male loquuntur, sed illi qui libellos famosos, vel cantilenas, vel ritmos faciunt, detinent vel publicant in infamiam dictorum prædicatorum & minorum, statumque eorum. Et ita concessit Alex. 4. in quodam priuilegio, quod incipit. *Exalto*, & in alio quod incipit. *Non sine multa*, ut refert Syluest. verb. excommunic. 7. excommunic. 48. ibidem etiã excõmunicantur prædicantes, docentes, vel defendentes quod prædictorum ordinum fratres non sunt in statu perfectionis, nec licet eis, &c.

Quo in loco adnotare libet, id quod nos supra latius probauimus, 355 non esse inquam de ratione religionis, aut religiosi verè ac propriè votorum solemnitate, quod & rationibus, & motu quodam proprio Gregor. 13. Pont. maximi confirmabamus. Nunc autem post illa scripta cognouimus hanc veritatè, ita paternis visceribus atque sapientissimis rationibus etiam atque etiam esse cõfirmatam, ut non modo per libellos infamatorios, non tantum prædicando, docendo, & defendendo contra sentire, sed neque id in quæstionem & disputationem vertèdo posse tractari sub excõmunicationis sententia sedi Apost. reservata, esse interdictum. Tertio planè videtur peccatum mortale cum tota religio, vel aliqua domus, vel monasterium infamatur, ut si dicas in tali religione, vel monasterio non esse obseruationem, vel quòd male viuatur vel simoniam exerceri, &c. nisi id aliàs esset notorium. Et ita docuit Sor. in d. artic. 3. vbi docuit, quòd neque in hoc casu sufficit superioris vel rectoris, collegij vel communitatis remissio, sed facienda est restitutio toti communitati. Cùm non solum superior, verum etiam alij cum
 357 illo sint infamati. Imo de statu religionis in communi detractare, suspiciosum his temporibus est hæresis, &c. Si verò peccatum dicatur alicuius priuati de collegio vel religione, si nomines personam, planè est culpa. Cùm etiam si alia quæuis esset persona infamaretur: cui tamen accedit infamia redundans in religionem ipsam. Si enim honor, qui religioso exhibetur sæpius non tam ob personæ merita, quam ob habitum, & status religionisque sanctitatem ei defertur: ita vice versa crimen ipsius in dedecus resultat religionis: ut merito dici possit religionis honorem in manu priuati cuiusque consistere. Et ita se gerere debere in vitæ exemplo, ac si totius religionis & communitatis honos ex se solo dependeret. Quamuis enim religio non maculetur ob alicuius hæretici religiosi vel simoniaci aut fornicarij crimen: at tamen splendorem quendam, & decorem, non potest non amittere apud homines, quibus etiã scandalo est talis peccati reuelatio. Tum ob contri-
 358 stationem eorum, & iudicia fortasse illicita & temeraria, in quæ audientes incurrunt. Tum etiam ob occasionem peccandi, quam accipiunt. Quod

Quod enim exemplo fit & maximè religiosorum hominum, iure fieri putant ceteri. Quamobrem tacita persona, explicato tamen monasterio vel religione, peccatum secretum reuelare plus videtur esse quam veniale peccatum. Vt si religiosum deprehendisti cum muliere, & postea dicas, monachum quendam talis ordinis vel monasterij hoc fecisse, &c. Certè non auderem à peccato mortali excusare, ob rationes suprà factas, & teneretur ad restitutionem ratione religionis vel communitatis infamata. Quamuis de alijs cõmunitatibus vel collegijs, aut Ecclesijs etiam cathedralibus, vbi non tantam profitentur perfectionem non esset mortale, vt si dicas talis Ecclesiæ quendam canonicum vel collegam talis collegij simoniam, vel fornicationem commisisse, &c. Id enim neque adeo nouum est, vt audientes, vel mirentur vel contristentur, scilicet scandalum, aut peccandi occasionem accipiant. Secus etiam cum peccatum est publicum, vel factum vel sententia, vt suprà habitum est.

359 SED nunquid peccaret mortaliter religiosus, qui se iactaret asserens maximè cum mēdacio se esse filium ducis, aut comitis, &c. Barth. Medin. §. illo 55. fol. 189: putat esse mortale. Quia est iniuria & dedecus religionis. Sed certè miror, quod ita facile inueniat peccatū mortale in re tam leui. Licet enim veniale peccatum sit ob quandam vanitatem seu inanem gloriam vltra mendacium: tamen religioni certè nullam facit iniuriam vel dedecus, imo magnum est ipsius habitus decus, quod nobiles, & huiusmodi habeat. Fateor quod si audientes ac videntes scirent ipsum falso se nobilem facere, grauius esset veniale. Esset enim nonnullum scandalum, ac contra debitam ædificationem.

360 Cùm inde seculares intelligant magis res mundanas æstimare, quam religionis. Sed neque in eo casu putarem esse mortale. Aliàs, qui verè esset filius, aut consanguineus illustrissimæ familiæ peccaret mortaliter se efferendo & gloriando, & vt aiunt Hispani, *preciando dose della*. Est enim eadem inædificationis ratio. Quocunq; ergo modo fiat peccatum est veniale, licet graue ratione personæ, nisi aliunde ob aliquod aliud dedecus, vel damnum religionis efficiatur mortale.

DECIMA OCTAUA dub. An qui audiens alicuius notabilem defectum siue culpæ, siue generis procurat cognoscere, peccet mortaliter? Mihi videtur. Primum, quod si faciat bono aliquo fine, ob rectam prouisionem, electionem, matrimonium, &c. non peccat mortaliter modò ab ijs informationem accipiat, qui non possint obesse. Secundò econtra, si malo fine faciat erit peccatum, secundum rationem finis, qui sit peccatum mortale, vel ratione periculi, scandali, &c. vel quia delectatur, de illo defectu & damno proximi. Ita docet Cord. in sum. quaest. 57. Tertiò videtur, quod ex obiecto, non est mortale vt docet

361 Cord. ibid. Quod ipse nulla ratione probat. Sic tamen probandum videtur. Quia, vt suprà ostendimus, reuelare proximi defectum etiam culpæ vni personæ, aut alteri, qui non possunt obesse, non est mortale peccatum: talis autem est persona, quæ sine mala aliqua circumstantia scire laborat, &c. Et id maximè est verum, quando sciri potest talis defectus

fectus sine interueniente altero à quo rogare oportet defectum: sed ipse per se scire potest, vt si velit legere in aliqua scriptura, vel eas quas *sanbenitos* vocant in Ecclesijs, &c. Et hæc omnia ex quadam curiositate aut leuitate. Quod idem sensit Nauar. c. 23. num. 26. referens D. Tho. 2. 2. q. 167. ar. 2. ad 4.

TERTIA PARS DE RESTITVTIONE & modo restituendi famam.

EX suprà dictis facile erat colligere, quis teneatur famam ablatam restituere. Omnis enim qui detractionem committit, si illa vel læsit³⁶² efficaciter vel causam efficacem dedit læsionis, restituere famam tenetur. Cum iniustitiam committat, & rem adeo pretiosam auferat. Quis verò taliter peccet iam satis declaratum est. Tamen adhuc placet specialiter ista declarare, vt facilius lector omnia assequi possit. Et primò certum est bonæ famæ ablatorem iniustum teneri ad restitutionem sub peccato mortali. Cùm longè amplius damnificet iste, quàm rerum familiarium fur atque iniustus detentor. Ex detractione enim iniusta multa mala ac nocumenta proximo irrogantur. Primò, quia bonum famæ maius est quàm pecuniarum. Vnde Eccle. 25. dicitur. *Melius est bonum nomen, quàm diuitia*, &c. Cõstat autem damnum pecuniarum, rerumque fortunæ esse restituendum, neque solum famæ detrimentum, quæ pretiosior est vnguentis optimis, infert detractor, sed multa ac grauiora mala infert alijs coram quibus alteri detrahit. Est enim quodammodo peccatum publicum cum semper vltra damnificatum & damnificatam aliam concurrant personæ in quibus malam de proximo opinionem generat. Nam audientes verba detractoria, vel in eis delectantur, vel ipsi iuuant murmurationem vel in iudicia temeraria incidunt, vel in dictis scandalizantur. Tum, quia ad bona temporalia multum conducit fama, vt ex se patet. Et probat eleganter D. Tho. 2. 2. q. 33. ar. 7. quibus priuatur infamatus, imo etiam alij innocentes ob alterius infamiam plura amittunt bona spiritualia & temporalia, quæ ob illius bonam existimationem, & nomen consequerentur, vt patet de prælati prædicatoribus, officialibus, & populi rectoribus, & patribus familias, quorū bona fama multa commoda spiritualia & temporalia affert subditis & familiæ, quos omnes damnificat vnus detractor. Tandem, quia damnum famæ serpit, vt cancer. Non enim est vt damnū corporis, vel rei familiaris, cuius quantitas cognoscatur à damnificatore, & non est maius quàm ille vult, at nõ sic³⁶⁴ est de fama. Quis enim æstimare potest in quot hominū cordibus ego, aut ij, quibus ego reuelauit, & ij quibus alij, qui à me cognouerunt, reuelarunt, malam opinionem generauerint, adeo vt per vnū meum dictum per annū fortasse dureret illius ignominia, & infamia, de ore in os. Vide igitur quanta mala detractio afferat, quātumque damnificet, vide quàm sit necessaria restitutio. Et ex alia parte quàm difficilis factu sit vt abstineas ab hac peste. Quæ rationes, cum satis conuincant famam esse

sub mortali restituendam, non opus est doctores in eius confirmationem citare. Lege tamen interim D. Thom. 2. 2. q. 68. ar. 2. q. 73. Scot. in 4. d. 15. q. & ibi Richar. Gab. ead. d. q. 15. per totam. Ant. 2. par. tit. 2. c. 2. Nau. c. inter verb. nu. 856. & in sum. c. 18. nu. 42. Syl. detractio. q. 4. Sor. 365 4. de iust. q. 6. ar. 3. & lib. 5. q. 10. ar. 2. Caiet. in sum. verb. detractio. Secundò certum est quod ab obligatione restitutionis non excusat abundantia illius, imò magis obligat, quia non sicut in pecunia, ita est in fama. Nam ut infra dicemus quandoque abundantia creditoris iuuat dilationem solutionis: at famæ abundantia vrget potius eam. Quia quo dignior est persona maiorisque honoris, eo maius damnum illi fit in retinenda eius fama, ut docet in specie Nau. 18. nu. 42. Maior in 4. dist. 15. q. 16. col. 5. Tertiò fatentur omnes, quòd animus nocendi famæ, etià ostensus opere, non obligat ad restitutionem nisi tale opus efficaciter & reuera damnificet, ut bene docet Nau. c. 18. nu. 42. & c. inter verb. nu. 865. & nu. 773. Adri. Quodli. 11. Vnde siue per inuidiam, odium, vindictam quæstum: &c. facias, si tamen illi malam opinionem non conceperunt, non teneris ad restitutionem licet mortaliter peccares.

366 PRIM A ergo dub. fit. Vtrum aliquis teneatur sibi famam restituere? Primò certum est, quod ex natura rei ad nullam tenetur restitutionem: quoniã ut supra probabamus, nec mortaliter peccat, nec vllò modo contra iustitiam, sed tantum est quædam prodigalitas venialis, quicquid Caietanus dicat 2. 2. quæst. 73. articu. 2. & in sum. verb. detractio, ut supra latè diximus. Loquendo ergo ex circumstantia extrinseca, cum scilicet ratione officij aut dignitatis mortaliter peccat se infamando, ut illic dicebamus, dub. est, an ad restitutionem teneatur suæ propriæ famæ. In hoc casu docet Nauar. cap. 18. numero 43. & 46. & in capitulo inter verba, numero 268. quod teneatur ad restitutionem. Et colligitur ex Soti sententia, qui ut sup. referebam. par. 1. dub. 1. casu 2. putat esse contra iustitiã, quod idem sentit D. Tho. in d. q. 73. ar. 1. ad 1. quod si peccatum est contra iustitiam consequens est, ut ad restitutionem teneatur. Probat Nau. ex Greg. hom. 9. in Ezech. Probat 2. ex declaratione cuiusdam dicti B. Aug. posito ab eo in d. c. inter verba. dictum verò Aug. habet in c. Nolo. 12. q. 1. & c. Non sunt audiendi. 11. q. 1.

367 VER VNT A M E N ego ab hac sententia libenter recedo. Non enim existimo in vllò casu obligationem restituendi incurri ex amissione propriæ famæ, si propriè de restitutione loquamur. Ut enim supra non obscure probasse videmur, nemo facit contra iustitiam seipsum infamando, etiam cum est persona in dignitate constituta licet peccet mortaliter contra charitatem, at vbi non est violatio iustitiæ nulla est restituendi obligatio. Aliàs teneretur talis persona ad restituendũ omnia damna temporalia, quibus multi sunt priuari ob suã malam famam ipso nihil committere iniustitiæ circa illud, quã quòd se infamauerit, quod est ab omni ratione alienũ. Dissoluimus ergo hãc controuersia existimãtes teneri talẽ personã ad procurandã suã bonã famã siue cessando à peccato publico siue si iã cessauit, satisfaciendo ac sedãdo scãdalizatos. Id autè nec ex iustitiã facere tenetur, nec ex charitate per se, scilicet ut sibi famæ bonũ restituat.

restituatur. Dominus enim est propriæ famæ, sed propter alios quibus & scandali, & peccandi occasio esset, nisi bonam famam recuperare stude-
ret. Et eadem profus ratione tenetur, si iniuste est ab aliis infamatus
procurare se ab infamia liberare, ut sic etiam scãdalum & peccata dam- 369
naque populi vitet. Ex quo deduces hanc nõ esse veram restitutionem.
Si enim cum ipse famam amisit inculpabiliter aliorum malitia, qui illũ
iniuste infamauerunt, tamẽ tenetur suam famam recuperare, manifestũ
est non teneri ad restitutionem vllam, cum nec ipse peccauerit contra
iustitiam nec vllò modo sibi ipsi damnum fecerit. Cerrum ergo est hãc
obligationem famæ recuperandæ, non oriri ex obligatione iustitiæ ut
fit verus restituendi actus, sed ex charitate qua tenetur peccatis, dãnis, &
scandalo populi occurrere, ad quæ etiam teneretur eadem lege si ex
alterius de populo infamia talia damna sequerentur, teneretur inquam
illius famam procurare, ut emergentia mala vitaret.

SECUNDA dub. ut, Vtrum qui aliquem infamauit teneatur restituere, si illius famam in alia materia auxerit? Videtur enim quòd satisfaciat. Sicut enim qui in pecunia damnificauit aliquem, satisfaceret, si 369
curaret, ut tanta pecuniæ quantitas vel cerè maior illi daretur alia via
sua causa: quæ tamen illi aliàs non daretur: vel si ipse in re æquivalenti
illum augeat: sic sanè satisfecisse videtur, qui in aliquo famam læsit, si
in aliis in duplo eius famam augeat, quæ illius causa augetur aliàs non
augenda. Reddit enim æquale, imò plus de fama, quàm quod abstulit.
VER V M alij existimant non satisfacere. Ita Nauar. cap. 18. num. 42.
& cap. inter verba. nume. 861. saltẽ (inquit) Nauar. quando mentien-
do infamauit. Pro qua sententia citat Adrian. numero 4. de restit. quæst.
34. col. 7. quod tamen non probat Nauar. Ego sic probarem: quia bona
fama ex virtute resultat: virtus autem consistit in indiuisibili. Est enim
dispositio perfecti ad optimum. Vnde vel tota habetur, vel nihil. Perfe-
ctum enim & pulchrum ex integra causa, adeo, ut vna bona circum-
stantia deficiente, nec perfectum, nec pulchrum, nec virtus sit. Quare
eo ipso quod quis de vno crimine est infamatus, reuera virtus in eo esse
non iudicatur, sed simpliciter malus. Quid ergo refert ex alia parte au- 370
gere, si semper malus est reputandus. Ac per consequens nunquam bo-
na eius fama restitui potest, nisi illud ipsum in specie resarciatur, ac re-
paretur. Secus est de pecunia, quæ in locum ablata, subrogari potest, &
damnum omnino reparare. Non enim bonum pecuniæ ex totalitate re-
sultat omnium partium: sed quæuis pars pecuniæ etiam sine alia vtilis
est. Quæ verò vtilitas erit quem furem affirmas, aut Sodomiticum, &
forsan falsò, si dicas eum eleemosynas facere, ieiunia seruare, &c. Si
tamen defectus detecti, non essent culpæ, sed naturæ, tum fortasse pri-
ma opinio locum habere posset. Quia illa fama ex tali vitio naturæ per
aliam æqualem vel maiorem, quæ non minus vtilis esset, cõpensari pos-
set: aut si aliquem surdum esse aut coclitem falsò dixisti, ob quod ami-
sit officium vel amicitiam valdè sibi fructuosam, si eum apud alium li-
teratissimam, ac prudentissimam teteris, ut inde tantum bonum, aut
maius obtineat, putarem sufficienter restituere ac reparare.

TERTIA dub. Vtrum quando infamatus ab aliquo suis optimis factis, & innocentiae suae argum. à se datis, ab infamia se liberauit, teneatur infamator nihilominus restituere? Adria. in 4. de restitut. quæst. 4. columna penultima Nauar. in c. inter verba. nume. 863. docent tene-ri ad restitutionem. Et potest probari: quia cum ipse causam efficacem damni dederit, lege iustitiae tenetur se retractare. Mihi tamen verius videtur, quod non teneatur, quod melius considerans Nau. in sum. ca. 18. nu. 18. dixit Sor. in illa solutione 4. in prin. Merc. cap. 9. versiculo lo. 3. quamuis raro contingere posset, vt quis suis factis vel dictis suffici-entier purgetur, nisi læsoris recantatio, & testimonium accedat. Quod isti autores non probant, sic tamen est probandum quia cum ille iam recuperauerit ablatam famam, & amplius non manserit damnificatus, non potest iuste conqueri, nec alius ei facit iniuriam non restituendo. Restitutio enim ad vitandum damnum est, quod reuera iam est vita-tum. Accipe simile: si ego pallium quod à me Petrus abstulit mea dili-gentia recuperavi, certum est non teneri Petrum mihi quicquam resti-tuere, sic, &c. Adde quod retractatio solum requiritur, vt alij bene de me sentiant, in quibus malam generauit opinionem, sed id iam est effe-ctum, mea opera, igitur, &c. Inutilis ergo est illa retractatio, & illi dici posset se retractanti, iam non propter tuam retractationem, & loquelam credimus. Ipsi enim vidimus, &c. Hinc est, quod supra nos docuimus eum, qui virginem deflorasset inuitam, in quo ad restitutionem tene-batur liberari onere restitutionis damna temporalia, aut totam dotem vel partem, si illa æquè bene nupsit, ac si deflorata non esset.

QUARTA dub. Vtrum damna temporalia, quæ incurrit infama-tus teneatur rest. detractor? Omnes fatentur teneri detractorem ad res-titutionem illorum. Ita Nauar. c. 18. nu. 43. Sor. 4. de iust. quæst. 6. ar. 3. Gab. quæst. illa 16. conc. 1. ex Gerson. Mercad. cap. 9. versic. *esto sentiende* Armill. restit. §. 41. sed an teneatur ad integram restit. dub. est Sorus: & Armil. putant tantum teneri ad arbitrium boni viri: ita docet Sor. ad 4. qui vniuersaliter loquitur tam de damno dato & iactura, quàm de bo-no impedito, sed melius docet meo iudicio Nauar. quod si ex tali infamia sequitur damnum in bonis iam quæsitis, tenetur ad rest. in integrum, siquidem illius dani fuit iniusta causa. Qui enim causam damni dat, &c. Si verò est sermo de bono querendo, vera est Sor. sententia, in quo casu præcipuè loquitur Sor. esse faciendam arbitrio boni viri. Vnde, qui aliquè iniuste infamauit ob quod officium vel aliud bonum, quod iam habe-bat, est ei ablatum, tenetur in integrum rest. damna. Si verò illa infamia impeditus est à consecutione tenetur arbitrio boni viri, & idem est de omni lucro cessante. Et ita sensit Merc. ponens duo exempla: Primùm si quia dixisti sceminam esse adulteram occisa est, teneris rest. vitam & 374 damna secuta. Si verò ob dictam infamationem non est beneficiū con-secuta teneris arbitrio boni viri, id tamen intelligit Merc. quando ma-lo animo impediuit, & sanè debet intelligi. Id enim tantum intendit: quod si bono zelo rem detulit, vt mala vitaretur electio, nō tenetur, & ita docet potius mereri, vt est eius planus sensus. Si enim ita esset impru-dens,

dens, & incautus, vt diceret defectum sciens, vel scire debens, dam-num illi parari etiam si bono animo faciat, non videtur excusari, est enim efficax causa damni contra iustitiam nec bonus aut malus animus ad rem facit, quod Merc. ipse expressè aduertit.

QUINTA dub. Vtrum qui aliquem falsò infamauit, teneatur dice-375 re se esse mentitum, & si verè infamauit, an possit dicere se esse menti-tum? Sylu. detractio q. 4. Respondet quod tenetur dicere se esse menti-tum Gabr. in 4. d. 15. q. 16. conc. 2. Scot. q. 4. art. 1. Sor. 4. de iust. q. 6. art. 3. in sol. ad 4. Nauar. c. 18. num. 44. Pedraza præcep. 8. §. 1. Armil rest. §. 41. Cord. lib. 1. quæstionarij q. 31. art. 2. & tract. de detract. memb. 4. q. 3. conc. 9. S. Tho. 2. 2. q. 62. art. 2. ad 2. & ibi Caie. Merc. c. 9. versic. *però de dos maneras* & melius c. 10. in princip. Barthol. Med. fol. 185. Et ratio est plana, vt ait Sor. quia aliàs non seruaretur iustitia in reddendo pro-ximo, quod suum est, cum aliter, nisi se retractando, vel dicendo se fal-sum dixisse, aut fuisse mentitum non possit reddere, si tamen satis esset dicere deceptus sum in eo asserendo, non opus esset meo iudicio pla-nè confiteri se mendacem fuisse, aut falsum enarrasse.

DICES quod nullus tenetur, cum æquali damno proprio alterius damnum reparare, non ergo tenebitur se ipsum infamare dicens se ef-se mentitum, vt alterius famam conseruet. Ad hanc obiectionem bene respondent Sco. & Gab. dub. 1. & Cord. conc. 9. quod mentiendo in 376 perniciem proximi amisit ius famæ suæ alterum infamando, & ita cum famam suam iniuste possideat, & alteri debeat iuste, non mirum, si cum iactura suæ, quam iniuste retinet, teneatur alterius famam, quæ iuste illi deberetur, conseruare. Secus si esset maximus excessus infamato-ris & infamati, vt si esset Rex, & vassallus, prælatus, & subditus. Dices si debitor indigeret pecunia extremè aut grauiter non teneretur resti-tuere debitori extremè aut grauiter indigenti. Quia cum æquali dam-no sibi magis tenetur, ergo &c. Respon. Primum id non est ita certum, vt infra disputabimus. Secundò, non est simile. Nam qui pecuniam solu-ere debet, iuste possidet, & est innocens, vt si contractu licito habeat. Item si furto, vel alia iniusta via retinet, adhuc est diuersa ratio. Nam qui pecuniam restituere debet necessario debet se tunc spoliare pecu-nia: diffamator verò non se spoliat fama, nec se propriè diffamat, ait Sco. sed amouet à se falsam laudem, qua erat indignus ob peccatum mendacij perniciosi. Facto enim ipso, quo in perniciem proximi est 377 mentitus, sufficienter, & radicaliter se infamauit. Affert exèplum Sco. & Gabr. de fornicante videntibus duobus aut tribus. Illi enim etsi il-lum accusent, non diffamant: sed ipse in facto publico radicaliter se in-famauit, suamque dignitatem læsit. Hanc autem Sco. doctrinam non hinc examinamus, sed id tantum docere volumus non esse simile, ac de te-nente pecuniam alienam, ne simile dānum incurrat. Vnde sup. docui-mus, quod, qui proximum conijcit iniuste in periculū vitæ tenetur cum propriè vitæ detrimento, si aliter non potest eum eripere, multò ergo magis id de fama erit verum.

DIFFICULTAS tamen est inter doctores, an teneatur iurare se ef-

se mentitur, & testes ad suum mendacium probandum adducere: Putat enim Sor. teneri iure iurando & testibus probare damnificati innocentiam. Quia (inquit) homines procliuiores sunt ad credendum malum, quam bonum: & ita tenetur maiorem fidem facere de innocentia quam fecerat de illius crimine. Verum placet mihi magis Nau. sententia, qui c. 18. n. 45. censet satis esse iuramento dictum reuocare. Cuius ratio est. Quia qui causam damni dedit, satisfacit profecto, si maiorem causam reparationis dederit, at qui iuramento dictum reuocat, maiorem causam dat credendi virtutem, quam dederat verbo simplici credendi vitium. Vnde si non credunt, ipsi malefaciunt, & alteri non est imputandum. Tunc enim malam opinionem mea causa non habent, sed sua sponte & temerario iudicio, sicut si à principio antequam infamarem, peccarent ex temerario iudicio audientes: sic cum sufficienter illius innocentiam ostendo, male adhuc de illo crederet, temerarium est proprij; iudicij peccatum, vnde tale genus restit. nūquam est vitatum.

CIRCA secundam verò partem fatentur, omnes quotquot ego legerim, quod cum crimen detectum erit verum, non est fama restituenda dicendo se esse mentitur. Quia in eo mendacium admitteret. Ita docet Nau. nu. 45. Gab. q. illa 16. conc. 3. Sylu. q. 4. verb. detractio. Sco. q. cit. versu de 2. S. Th. 2. 2. q. 62. art. 1. ad 2. Merc. c. 9. versu. *esto se entiente*. Alcoc. c. 22. ver. *quando*. Pedraza præc. 8. §. 2. Armil. §. illo 41. Cor. cō. illa. Quomodo ergo fiet restitutio? Respō. prædicti, quod debet dicere, nolite mihi credere, id quod dixi: Fatuè enim & malè locutus sum. Verum id putat non sufficere Host. in sum. de penitentia, ver. quid de occasione, & Maior 4. d. 15. q. 1. col. 4. & ita addunt parum aut nihil ad communem sententiam, vt dicat, *Putabam me verum dicere, sed re bene considerata inueni me præuè locutum*. Hic tamen restituendi modus non placet Nau. Cai. & Cord. & meritò, quia reuera ex hoc magis infamatur apud sapientes & doctos, qui intelligunt talia circumloquia, & magis confirmantur in mala opinione concepta. Et ita putat ipse melius esse, vt fama illius restituatur illum laudando sepius apud eosdem, & virtutes eidem tribuendo nulla mentione facta mali præteriti: idem Cord. q. 62. art. 2. circa solu. ad 2. in fi. & in sum. verb. rest. & Sor. in sol. illa ad 4. Merc. c. 9. versu. *Esto se entiente*.

Ego saluo meliori iudicio existimare simpliciter dici posse, se falsum dixisse, & mendacio infamasse, neq; in hoc interuenit mendacium. Licet enim reuera commissum sit delictum, tamen non est publicum sed secretum, & ita sensus est, quod non dixit verum publicè. Sicut confessor potest simpliciter asserere se nihil scire de illo peccato. Quia licet reuera sciat in foro sigilli sacramenti: tamè ad dicendum publicè nescit, idemq; est de omni alio secreto. Et reuera intelligere non possit, quomodo possit negare delictum, quod verè comiserit: quia negat vt publicum: & non possit dicere falsum esse qd comiserit. Si enim sine mendacio negat: verum ergo dicit aliquomodo, cum dicit non comisi: Est enim verum pub. Quia conformatur eius dictum rei vt publicè in quo est innocens. Si igitur veritatem publicam dicit se non comisisse, ergo ei qui contradicit potest in aliquo sensu dici, falsum.

falsum dicere, aliàs dū contradictoria essent vera in eodē sensu. Igitur in eo sensu quo ille verum dicit, cum negat, in eodē falsum dicit, cum confitetur, & reuelat, & ita potest dicere falsum dixisse, cum reuelauit secretum, quia rem carentem veritate publica affirmauit publicè, & ita in eo sensu verum dicit se falso imposuisse ac per hoc famam sine mendacio integrè restituere potest per retractionem. Quod ex eo amplius confirmo, quoniam iuxta opinionem D. Th. communemque ferè doctorum sententiam, licitum est priuata scientia cognitum innocentem condemnare, si per publica documenta probatus est malefactor, vt satis copiose est à nobis relatum supra c. 3. Id autem non liceret: nisi vera sit nostra præfata doctrina. Si quidem iudex tam facto, quam verbo sententiæ mendacium admitteret, cum illum dignum pœna, criminofumque esse pronunciat. Cur igitur à mendacio liberabitur? Sane eadem taxat ratione quoniam veritatem publicam dicit, cum facto & verbo sententiam pronunciat. Verum est enim dicere illum esse criminofum veritate publica: licet scientia priuata se res aliter habeat. Sic igitur in proposito, &c. Vnde colligo minus verè Cord. q. 37. qq. ratione 1. pro sua opinione docuisse contrarium. Cum enim nostram habeat sententiam quam supra c. 3. docuimus non licere inquam iudici (si officium dimittendo facere potest) innocentem sibi certo cognitum probatum tamen malefactorem condemnare ad mortem. Putat enim ita esse dicendum quia aliàs mendacium committeret iudex. Id enim ex prædictis infirmum esse constabit.

Quo d si respondeas ad hanc rationem, iudicem facto, aut verbo non mentiri, cum non dicat talem esse criminofum, sed solum dicat esse dignum morte, vt patet ex sententia. Sic enim respondet Sotus. Contra hoc est, vt bene Corduba objicit, quod reuera non solum dicitur reus mortis, sed etiam dicitur voce præconis condemnari, quia latro vel homicida, & in ipsa sententia ob id condemnari dicitur. Adde, quod etiam si dicat dumtaxat quod est dignus: vel reus mortis, mentitur. Re enim vera dignus non est. Nam adhuc in ea sententia quod potest condemnari falsum est, quod sit dignus morte, aut quod mortem mereatur. Aliorum enim falsa testimonia, non faciunt illum dignum morte licet iustè ea mors illi per iudicem infligatur. Vnde tandem ipse Corduba soluens in hoc suam rationem, *aliter excusarem* (inquit) *iudicem à mendacio, quia scilicet verum dicit veritate publica* &c. Vt nos diximus, & in specie etiam docuit Couar. primo li. Var. capite primo numero sexto in sol. secundæ rationis. Adde, quod potest dicere se nesciuisse quod dixit, & falsum dixisse, falsitate inquam practica. Constat enim omnem peccatorem errare, ac dictamen practicum falsum habere. Vnde cum ille detraxit de proximo dicens verum crimen occultum, reuera habuit hoc dictamen, reuelandum est proximi secretum crimen: hoc autem iudicium constat esse falsum: & ita non solum potest dicere se male, temerè, seu stultè dixisse, sed etiam falsum iudicium habuisse, intelligens de iudicio practico, & ita reperio hanc opinionem defendi à Bartholo. Med. li. primo sum. capite 14. §. 34. folio 185. & §. 31. versu sic.

fic. *cabeca* 7. fol. 173. reg. 4.

S E X T A dub. Vtrum qui verè infamat aliquem teneatur facere tantam restitutionem quàm qui falso? Sor. lib. 4. de Iust. q. 6. art. 3. putat non debere tantam eum, qui verè infamavit: Quia cum non tantum peccauerit, non tenetur ita sicut alius restituere. Verùm meritò Nau. hanc sententiã excludit. Obligatio enim restituendi non attendit quantitatem peccati, ut cunque: sed peccati contra iustitiam id est nocumèti illati. Vnde ad quantitatem restitutionis quantitas damni illati seu iniustitiæ attendenda est. Licet ergo qui falso accusat vel infamat plus peccet ratione mendacij adiuncti, tamen æquè peccare potest qui verum dicendo infamat, quoad iustitiam, imo plus, si plus nocumèti afferat. Et cum restitutio sequatur quantitatem iniustitiæ seu nocumèti dati, sequitur, &c. Forfan possemus Sor. defendere. Ipse enim communem opinionem sequitur, quòd is qui verum dicendo infamat, non tenetur, nec potest dicere se esse mentitum, ad quod tamen tenetur, qui falso infamat propterea què dixit teneri ad maiorem restitutionem, ut patet, in quo sensu vera erit illius sententia. 385

S E P T I M A dub. Vtrum restitutio famæ condonari possit ab iniuriato? Ex sententia Caie. & aliorum quos suprâ retuli p. 1. diff. 1. asserentium hominem non esse propriæ famæ dominum, peccare què mortaliter se infamando aut consentiendo in propriæ famæ amissionè, planè deducitur, non posset talis famæ restitutionem condonare. Cuius sententiæ fuit Maior. in 4. d. 15. q. 16. col. 4. Verùm, nos aliam sententiam sumus secuti, ex qua deducitur liberum esse cuique, vel certè non esse mortale peccatum eam remittere. Et ita in specie docuerunt Ant. 2. p. tit. 2. c. 1. §. 3. Adria. in 4. de rest. q. 33. & Quodlib. 11. Nau. c. 18. n. 46. Sor. de regen. secr. memb. 2. q. 3. & 4. de Iust. in sol. 4. conc. 2. S. Tho. 2. 2. q. 64. art. 5. & q. 73. art. 4. Cord. q. illa 4. co. 14. Angles Flor. 4. dub. 3. diff. 2. in q. de rest. famæ, Dominicus Banes sup. 22. q. 33. art. 8. dubit. 2. ad 7. 386

Iam verò. Quam claritatis gratia, sic explicandam censeo.

P R I M V M in casibus in quibus est licitum famam amittere, quos suprâ explicauimus, licitum est, & laude dignum restitutionem condonare ei, qui me infamavit. Si enim mihi licitum est famam propriam, quam habeo iustis de causis velle perdere, multò magis licebit amissam quam non habeo, etsi mihi debitam nolle recuperare. Et secundò consequenter, ubi veniale est famam prodigere, etiam videtur veniale restitutionem condonare. Genus enim prodigalitatè est bonum, quod tibi debetur negligere & nolle recuperare, sicut iam habitum, ut in bonis fortunæ exemplificari potest. Tertio videtur, quòd non quòd cunque est mortale famam amittere, est mortale restitutionem condonare. Quia ut suprâ dicebamus in 3. casu, peccatum est mortale se peierando infamare: & tamen ex natura rei non tenetur restit. acceptare. In alijs ergo casibus in quibus mortale esse dicebamus se infamare, ut cum est publica persona, vel cum ex sui infamatione propriæ vitæ iactura futura timeretur vel cum est in damnum tertij, ut si religiosus vel monialis se infamavit in propriæ religionis detrimentum, ut suprâ latè dicebam 387

pecca

peccatum erit mortale restitutionem condonare. Sicut enim eam primò amittendo peccavit ob mala secuta, sic cum eam recuperare negligit, cum possit, quo prædicta mala vitaret, ita sanè peccat, ac primò, ut patet. Et ita sensit Nauar. numero illo 46.

S E D maior dubit. est. An in casu quo peccet mortaliter sit valida remissio, ita ut iniuriato condonante, non teneatur detractor ad restitutionem? Respon. Nauar. esse quidem validam. Quod probat, quia damnum infamiæ principaliter tangit infamatum, & ratione illius bonum publicum, vel alterius, ut autem condonatio valeat sufficit, ut sit eius ad quem principaliter pertinet, ut patet ex cap. Quamuis pactum, iuncta glo. de Pact. lib. 6. Et glos. in l. de vno de Re iudi. Cum adductis ibi ab Hyppol. Affert exemplum Nauar. si mille modij tritici mihi ab ali- 388

quo commutantur, non solum mihi, sed etiam ciuitati, & pauperibus damnum sit, quibus esset vel venditio, vel eleemosyna præstanda, & tamen, quia mihi principaliter damnum sit, possum condonare. Ita Adria. in d. Quodlib. 11. ut refert Cord. memb. 4. de detract. quæst. 3. concl. 14. Hæc tamen doctrina mihi non probatur. Falsum quippe esse videtur, quòd damnū infamiæ sit principaliter, priuatæ personæ in casibus quibus diximus esse mortale. Qui enim infamat personam publicam, principaliter certè damnificat publicum bonum, cui illius fama erat necessaria. Ob id enim diximus suprâ esse peccatum se infamare, non quia se infamat: sed quia bonum publicum ex sui infamatione læditur, quo damno publico cessante non peccaret mortaliter se se infamando. Vides quo pacto fama prælati sit principaliter tenenda, non ob ipsum, sed ob proximos. De quibus publicis personis Aug. dixit. *Tibi necessaria est vitatua, alijs fama tua.* Causa enim principalis ea esse solet, quæ ita afficit ralem actum, ut ea cessante conuertatur illius natura. Si ergo cessante damno & scandalo proximorum, nõ esset mortale prælato suam famam 389

perdere, consequens est, ut principaliter sit prælati fama seruanda ob publicum bonum. Et ita ex hac causa non est dicendum condonationem non esse inuvalidam. Sed ob aliam potiùs, ut infrâ dicemus, quod aperitiùs ostendo: Quia alias ex ea doctrina sequitur, ut non solum esset valida remissio, verùm etiam licita, cuius contrarium docet Nauarr. Imò & sui infamatio à principio esset licita in dictis casibus. Quia si principaliter damnum infamiæ & condonationis tangit infamatum, cum ipse liberè remittat, cæteri ad quos minus principaliter pertinet, non sunt rationabiliter inuitè læsi, nec possunt conqueri de damno, ut in exemplo ipsius Nauar. constat, nam empturi illud triticum, & pauperes, quibus esset eleemosyna facienda, non possunt iustè de damno exposculla- 390

re: sed potest ille val. dè & licitè debitum condonare, cum accessorium sequatur naturam principalis.

Ergo igitur verum puto, quod Nauar. docet esse validam licet peccato obnoxiam condonationem in dictis casibus, cuius ea est ratio. Quia licet principaliter fama seruanda esset illius ob bonum aliorum, tamen reuera ille est dominus famæ, & licet peccet mortaliter contra charitatem se infamando & condonando: tamen nulli facit iniuriam remittendo.

Cum ipse & non alij ius habeant & dominium illius rei, vt supra dicebamus. Donatio autem propriæ rei iure naturali valida est, dum iure humano, non est irrita. Quod ostendo exemplo eiusdem Nau. Nam si esset casus, vt proximi fame perituri essent, nisi eis triticum venderem vel darem: sed ego illud alteri non extremè indigenti, darem, vel combustorem absoluerem: tunc sanè principaliter est tale triticum seruandum ob proximorum vitam seruandam, ob quod est mortale illud expendere inutiliter, vel condonare combustionem, & tamen quia meum est valet, vel donatio, vel remissio facta ei, qui combussit, vel perdidit. Et hanc opinionem, & rationem plane tradit Sor. in fine illius solut. ad

391 4. Cui adde aliam rationem. Quia alias vltra restitutionem factam publicæ personæ deberet restitutio fieri etiam Collegio, vel ciuitati, quod nullus dixerit, absolute ergo superiore liber manet infamator. Vnum autem est, quod ad calcem huius difficultatis ipse adnotandum censeo, vt mihi persuadeam quandoque valere remissionem eius qui immediatè infamatur, quando non valeret: sed adhuc lege iustitiæ esset restitutio faciendâ. Si enim ita quis infamatur, vt cæteri licet damnificentur, sed non in fama, sed in aliis, vt si infamatus sit Episcopus, & prælatus, ex quo damnificantur subditi non in fama. Quia ipsi infamati non manent: sed solum damnificati, in quantum (vt supra dixi) fama prælati aliis necessaria est: tamen vera est dicta Nauatr. sententia, quam & nos sumus secuti, non tam ob eius rationem, quàm, quia vt diximus ille solus, qui infamatus est, dominus est famæ. Licet charitatis lege aliis sit eius fama seruanda, & quodammodo obligata, idque principaliter. Si autem

392 ita quis infamatur, vt infamia illius vergat in infamiam aliorum: ita vt illorum damnificatio sit infamia, quia reuera manent infamati: & fortasse plusquàm ipse, vt patet de religioso cuius infamia ita tangit religionem, quod ipsa manet infamata. Tum putarem non satis esse condonationem seu remissionem, ita vt nec licitè, nec validè remittatur: sed non obstante remissione teneatur infamator se retractare lege iustitiæ, & in hoc sensu recipienda est Caiet. & aliorum sententia. Remissio enim infamiæ nisi ab omnibus damnificatis infamia fiat, valida non est. Præcipuè cum non fit à magis damnificato & infamato. Sicut enim videmus honorem religioso exhiberi non tam ratione personæ, quàm habitus & dignitatis, ita iniuria magis fit religioni, & habitui, quàm ipsi, vt persona quædam est, & hinc est quod etiã si religiosus nollet remittere, solius prælati vel monasterij remissio sufficeret, cui conuenit actio, & idem est si quis infamaret aliquem de hæresi, vel alio simili crimine, ex quo filij alioqui nobiles, habiles ad officia, & à tributis exempti, manerent infames, & omnino damnificati, &c. Tum enim sola partis remissio non liberaret infamatum à restitutione. Hæc verò intelligenda sunt quando fama remorè & mediatè infamato non proueniebat ex immediatè infamato remittente, sed aliunde ex rebus à se gestis vel successione maiorum suorum, &c. Si enim proueniret ab illo per quem ipse famam bonam habet remittente, valida est remissio & infamator restituere nõ tenetur, vt latè docet, & probat Cordub. memb. 4.

de sigillo

de sigillo. quæstione tercia, conclusione decimaquarta, dub. 1. Et iuxta hanc distinctionem admittenda est sententia Ioseph. Angles in Flor. 4. Sententiarum vbi supra dubio tertio, diff. 2. absolute docentis restitutionem remitti non posse cum infamia redundat in familiam vel descendentes. Radix autem istorum est. Quia quando ex mea infamia cæteri, licet damnificentur: sed non infamantur, vel si infamantur, tum fama quam haberent per me habebant, vel habituri erant. Tum inquam ego solum dominus sum, perfectamque possessionem habeo famæ, ac proinde facta à me remissio valet. Quando verò illi infamantur perduntque famam, quàm aliunde quam ex me habebant, iam ipsi do- 394 mini sunt iusque habent perfectum, cui mea cessio & remissio derogare non potest. Quod frequentius, vt supra dicebam fit in religionibus, vbi æstimatio, quam alij de monasterio perdunt non per me habebant: sed ex se suisque maioribus. Quorum & rerum gestarum gloria fuerit, & vita integerrimè acta. Et ita non putarem in hac specie valere remissionem monachi infamati, quidquid dicat Cord. vbi supra, & hinc est, quod religiosus se infamans tenetur lege iustitiæ sibi famam restituere, non vt sibi: sed vt religioni famam restituat, quæ non ex ipso, sed ex sese: vt dicebam, bonum nomen assequatur. Sed circa hæc potest esse dubitatio an condonatio generalis sufficiat, vt detractor excusetur à restitutione, vt si quis, qui alium infamauit petat veniam omnium detractionum de illo. Respondet Nauatr. numero quadragesimosexto, quod solum excusat à restitutione earum detractionum ad quas verisimilis intentio detracti extenditur, quod arbitrio boni viri mihi relinquendum videtur.

OCTAVA dub. An qui se mutuo infamauerunt per compensationem liberentur à restitutione? Sor. in sol. ad quartum, Adria. in 4. d. restit. famæ. Ledes. 24. q. 18. ar. 2. dub. 5. Cord. in 4. de detract. q. 3. conc. 14. Ioseph Angles in 4. de rest. famæ dub. 3. omnes putant, locum habere 395 compensationem. Et probant quia fama potest, per pecuniam compensari, & ita sicut in nummis, ita etiam in fama locum habet huiusmodi cambium: sed fundamentum hoc supra ostendimus esse falsum. Tum etiam quia liceret ante factam vtrinque detractionem per viam compensationis proximum infamare. v. g. infamauit te aliquis, liceret tibi illius crimen occultum detegere per viam recompensæ, quod nullus diceret, imo & Sor. negat expresse, nisi quando reuelatio criminis illius esset necessaria ad eius contra me testimonium labefactandum. Tum enim licitum esset, vt ipse Sorus fatetur. Quod verò sequatur, probo, quia si pecunia æstimabilis est, & si eadem est ratio de compensatione in nummis, vt Sor. conatur astruere: ergo, sicut in pecunia licet 396 damnificato alterius pecuniam in compensationem accipere, ita liceret detracto alterius famam auferre. Aliter probat Angles ex cap. Tria fraternitas, de Adult. vbi dicitur paria crimina, pari compensatione tolli: sed idem proorsus argum. efficit aduersus hoc fundamentum Nau. nu. illo. 46. Caiet. 2. 2. q. 62. ar. 2. circa solu. ad 2. dub. 1. Maior in 4. d. 1. q. 16. putant non excusari. Ratio est. Primū ex quibusdā dictis Panor. in c. bona

Hh 2

fides, de Depositis, quæ autem sint ista dicta Nau. non refert, sed pone opinionem eius expressè tenere si placet. Rationem enim quærimus. Est ergo secunda eius ratio, quia per reciprocam infamiam non tollitur damnum illatum, sicut tollitur debitum vnius per recompensationem in debito alterius. Et placet mihi hæc sententia. Nam recompensatio in pecunia est virtualis quædam solutio. Idem enim est ab eo accipere siue ille voluntariè det, siue ego accipiam, ac non soluere, quod ego debeo, cum à me eius ratione mihi accipiam. Cuius rationis radix est, quia tam pecunia eius, quam ego ei debeo, quam mea, quæ ille mihi debet, eiusdem valoris est, æstimationis atque vtilitatis, estque præterea quid reale, quod ille ex me habet, & ego ex illo, at fama mea, & illius non sunt eiusdem rationis, & vtilitatis, nec illi mea, nec sua mihi, & ita altero reuente non est æqua & iusta compensatio, præcipuè, quia fama non est quid corporale, quod ego retineam, vt ea fruatur, aut vtar, aut ipse mea. Ac propterea non habet locum compensatio, & idem est dicendum de contumelia. Nam si quis me dehonestaui in faciem, etiam si à me sit iniuria læsus, tenetur restituere honorem, & ego illi ob dictas rationes. Et maximè, quia aliud foueret contumelias, & murmuraciones, dum quis putaret se posse alium infamare & conuitiare, quia sit vicissim ab eo læssus iniuria, & non solùm ea spe, quod facta iniuria non teneretur restituere, & veniam petere, sed etiã ea spe, quod liceret referre vicem, sicut licet in pecunia, nõ solum recompensare se ex debito alterius, sed etiam ab eo accipere. Maximè, quia vix tandem seruari potest æqualitas quæ necessaria est in omni compensatione. Si enim tu me de adulterio infamasti, quæ iustitia erit, vt ego te vel Sodomiticum, vel hæreticũ appellem? Vera igitur est Nau. sententia. Adde: quod omnis compensatio, vt licita sit, debet esse iusta, & æqualis, quod in fama est ferè impossibile, cum vtriusque infamatio ferè semper sit de alterius speciei vitio. Appellas illum siue in faciem siue occultè latronem, vel adulterũ, ipse te ebrium, vel vt dicunt confessum, quo ergo pacto in tanta inæqualitate damni iusta erit cõpensatio, secus in nummis, in quibus, vt patet æqualitas seruari potest. Dices quando in re familiari duo se mutuo damnificauerunt, vt quia vnus segetes alterius, & alter illius cõbussit, locũ habet compensatio, & tamen nihil reale & vtile apud alterum mansit, sic ergo in præsentia. Resp. quod solutio, quæ alter alteri facturum erat, quid reale erat, & ita illam vitare est virtualiter accipere, non sic in fama & honore. Nam retractatio, quam alteri facere debeo, & cum qua manere volo, nec utilis est, nec æquipollet meæ famæ ab alio ablatæ, vnde longè est diuersa ratio: Docet etiam bene Nauar. in d. nu. 46. si infamatus ab aliquo conuersetur familiariter cum eo, licet ex eo videatur iniuriam remittere, non tamen remittit restitutionem sicut nec alia debita ob familiaritatem debitori condonantur, atque idem putarem esse dicendum de contumelia, Dehonestaui verbis grauibus, & iniuriosis Petrum, cras tecum loquitur vel sua virtute, vel quia te indiget: non es à restitutione honoris ablati excusatus, sed teneris ad restitutionem honoris vel veniã petendo, vel reuerentiã exhibendo, &c. vt acrius supra cõnondum

nondum Nau. pro hac sententia legisset probasse mihi videor.

NONA dub. Vtrum cum periculo vitæ fama sit restituenda? Et generaliter quo detrimento excusetur, quis à restitutione famæ? Pro huius quæstionis, quæ præcipua est in hac materia, explicatione animaduertere oportet Caiet. 2. 2. q. 62. art. 3. tres rerum ordines constituere, in supremo ordine constituit vitam, & bona alia corporalia. Omittimus enim modò spiritualia bona animi. In 2. bona honoris & famæ. Postremò bona pecuniæ, & rei familiaris. Docet ergo Caiet. generalem regulam pro omni restitutione faciendam, nempe, res inferioris ordinis, non est restituenda, cum iactura rei superioris, vt pecunia cum detrimento famæ, nec fama cum iactura vitæ. E contra verò secus, nam vita restituenda est, cum detrimento famæ, & fama cum periculo & iactura pecuniarum. Secundam regulam adhibet, vt res eiusdem ordinis, cum iactura rei eiusdem ordinis sit necessariò restituenda. Has autem regulas veluti Metaphysicas immerito conatur euertere Sor. 4. de Iust. q. 6. art. 3. ad 4. versi. *grauius autem*. Cuius rationes hæc sunt. Primò, quia nemo ambiget quandoque esse pecuniam cum detrimento honoris restituendam, vt si eam furatus es, & secreto restituere, non potes, teneris neglecta fama restituere. Vnde cæteris paribus ait Sor. magis est consulendum pecuniæ innocentis, quàm famæ nocentis, *cæteris inquam paribus*, id est, quando magnum esset pecuniæ detrimentum, & magnum etiam famæ. Idem tenet Merc. c. 13. versi. *lo primero*, & Cou. in reg. pec. 1. p. num. 6. versi. *Sed & 3.* & 1. Vari. c. 2. num. 8. qui cum Soto fatetur, etiam de periculo vitæ in fine, illius num. 6. & planè Barthol. Med. §. illo 35. folio 184. Secundò probat Sor. & Couar. quia tantum potest eris alieni cumulari, vt æquet, imo superet, valorem famæ: ponit exemplum de argento, quod licet sit inferioris ordinis: tamen tanta esse potest quantitas, vt æquet, imo excedat auri valorem. His ergo rationibus conuincit Sor. eam regulam esse falsam quod res inferioris ordinis non est restituenda cum detrimento rei superioris. Vnde colligit eam regulam valdè esse perniciosam reipub. quam vt vllus credat absit, qui suæ vult conscientie consulere.

SECUNDO docet Sor. secundam regulam non esse veram. Putat enim ipse, quod secundum legum communem ordinem, & morem nullus teneretur, cum periculo vitæ alterius vitam etiam insignis viri conseruare. In quo (inquit) fallit secunda regula, quod scilicet res debeat semper restitui, cum periculo rei eiusdem ordinis. Hoc autem non probat Sor. Tertio docet saluo meliori iudicio, quod potest talis casus euenire, quo quis teneatur cum periculo vitæ restituere vitam alterius, imò famam & honorem, & quod plus est etiam pecuniam, vt si quis illustrem familiam de hæresi aut crimine læsæ maiestatis infamasset, ita vt nisi mendacium retractaret familia maneret infamie labe infecta, teneretur, cum mortis periculo restituere. Hanc Soti opinionem antea tenuit Mai. in 4. d. 15. q. 17. Adr. in 4. de rest. quos refert Nau. c. 17. n. 89.

HANC tamen Soti sententiam planè reiiciendam censeo. Quicquid enim ipse in Caiet. infurgat, verissima est, & non metaphysica, sed

moralis valde Caiet. doct. sup. recitata. Quam merito receperunt viri graues, & docti, ita tenet idem doctissimus Caiet. 2.2.q.62.art.6. circa
 403 respons. ad 2. & in opus. 17. respōs. respons. 14. dub. 2. tom. 2. opus. Nau. c. 18. num. 47. & c. 17. num. 89. & c. 16. num. 44. Syluest. verb. detract. q. 4. casu 2. Cord. lib. 1. q. 31. & in sum. q. 102. & quæst. 68. Ioseph. Angles in flor. 4. Sen. q. de rest. fam. con. 1. & 2. Placet ergo more nostro sigillatim singula explicare.

PRIMUM enim verissima est illa regula, quod res sit restituenda cum iactura rei eiusdem ordinis quando damnificatio adhuc pendet in futurum. Ut si mea causa alter sit occidendus, & meæ vitæ detrimento possum eripere, & si mea causa patitur infamiam, cum honoris mei dispendio, & consequenter pecuniam ablatam, vel damnum datum cum pecuniæ meæ amissione teneor reparare. Quod quidem fateor, ipse Sot. ubi supra, & omnium est concors sententia. Et in specie adnotauit Med. q. 3. de restit. causa 4. in sol. 4. Cuius certè ea assignanda ratio est. Quod in pari causa, & damna duorum melior est conditio innocentis. Igitur si mea & proximi vita periclitatur, mea proximi fama, &c. & illius innoxij, mea verò noxiæ, & iniquè certè illius detrimento.
 404 lege charitatis & iustitiæ est tali concurrentiæ obuiandum, quod supra ex Sot. multorumque sententia ostendebamus. Et docet in specie Couar. reg. peccatum 1. p. numer. 6. §. 3. adultera. Angles concl. illa 1. & præcipuè tertia. An verò cum iam damnum non pendet in futurum, ut si iam proximus est mea causa occisus, teneor ego restitutionem vitam meam offerendo facere, infra latè ostendimus, cum de Homicidij restitutione agemus. Et consequenter si fama proximi reparabilis, non esset per meam retractationem, vel aliam famæ meæ amissionem, eadem prorsus ratione non teneor, qua infra ostendemus non teneri vitam pro irreparabili vita alterius ponere, in quo ipse etiam Sotus concedit. Sed vel alia est compensatio faciendâ, vel cessandum, ut dicemus. Stet igitur hoc certum, quod si reparabile est damnum proximo datum, teneor
 405 cum æquali meo damno reparare. In quo omnes conueniunt. Vnde illa Caiet. regula verissima est. Quare secundum illud Sot. dictum à me relatum non est contra Caiet. ibi, licet ipse fallere illius regulam in eo casu putet. Nunquam enim id Caiet. asseruit, quod scilicet quis teneatur, pro vita iam amissa alterius suam periculo exponere, licet id Scoti tribui soleat, ut infra videbimus, cum agemus de eo quod pro homicidio restituendum est. Id autem quod diximus de maiori damno, intelligit Couar. etiam in eodem genere bonorum & ordine. Nam §. illo 3. docet: quod si æquale sit detrimentum famæ debitoris ac fuerat creditoris, tenetur sanè ut omnes docent. Si verò maius sit detrimentum debitoris etiam in ipsa fama non tenebitur. Quod intelligo, quando notabiliter excederet famam restituentis, ut si esset Episcopus, & creditor esset homo communis, ut infra dicemus.

406 SECVNDO igitur patamus circa secundam regulam pro nullius etiam honoratissimi honoris fama restituenda vitam esse obijciendam periculo, & multò minus pro pecunia illius, vitæ vel famæ detrimento.

mentum pati, quantumvis Sot. & Merc. frustra conetur. Primum quoniam lex Dei tam naturalis quam diuina suauius est, in omni ratione ac æquitate consistens, & per consequens eum rigorem, ac inæquitatem, non modò non præcipit, sed etiam abhorret, ut quis voluntariam mortem pro honore alterius, & voluntariam infamiam pro pecunia alteri restituenda patri velit, vel teneatur. Quod autem sit inæqualitas vitæ ad famam, & famæ ad pecuniam, quis non videat? inæstimabiliter certè vita honorem excedit, honor pecuniam. Iniquum igitur esset cum tanto detrimento inferiora ista bona restituere, tantum abest, ut lex iustitiæ ad id obliget. Alio qui plus teneretur damnificans restituere, quam abstulit, quod iustitiæ ratio non exigit. Cui rationi addo, quod ut infra dicemus, & aperte fateatur ipse Sot. in d. sol. 4. qui pecuniâ rest. non potest sine maximo rei familiaris nocumèto, eo durate excusatur. Si enim cætum aureos quos debes soluere non posses, nisi domum, quæ sex millia aureorum valet, pro mille vendèdo, quis te audeat ad restit. obligare? Cōsidera igitur quæto plus vita præstet famæ, & fama pecunia magna minori. Inter illa enim maior est distantia quam inter hæc, cum in his sit proportio, in illis nullo modo. Quis enim vitam aut famam pecunia æstimet? Si enim libertas non bene pro toto venditur auro multo minus, vita & bona fama. Adde, quod in diuinis literis hæc comparatio ita expressa est, ut tutum non censeam dubitare. Dicitur enim Ecclesiastici 41. *Curam habe de bono nomine. Hoc enim magis permanebit tibi, quàm mille thesauri & magni.* Et Prover. 22. *Melius est bonum nomē quàm diuitia multa.* Vides igitur quam sit falsum Sot. fundamentum. Quod honor pecunia æstimari potest. Et ita potest pecuniæ quæritas crescere, ut æquet honori æstimatione. Quod si
 407 fundamentum veritate vacat sententia eius certè ruet facilè. Vnde Ari. 4. Ethi. docet honorè esse maximū externorū bonorū: & probat D. Th. 2. 2. q. 129. ar. 1. & q. 131. ar. ad 3. & q. 103. ar. 2. ad 1. Vnde Liuius dec. 1. li. 3. quæ sup. referebā: *Fama dāna (inquit) maiora sunt, quàm ut æstimari possint.* Sicut igitur nunquā pecunia ita crescere potest, ut æquet valorè bonæ famæ, quæ est supr. omne pretium, ita nec fama ita crescere potest, ut æquet valorem vitæ aut membri. Si igitur inæqualitas tanta est, quomodo iustitiæ lex, quæ ad æqualitatē seruandā inclinatur, obligabit in villo euentu vitam pro alteri⁹ fama, imo nec pro propria, aut famam pro alteri⁹ pecunia exponere? Adde, quod ex sententia Soti in d. art. 3. cum detrimento maioris famæ, minor non est restituenda, sicut de pecunia diximus. Quomodo igitur, cum vitæ detrimento vel cum iactura famæ pecunia restituenda erit? Hæc autem infra probabo dub. 12. punct. quinto.

SECVNDO moueor in hanc sententiam. Quoniam mulier, quæ suscepit filium ex adulterio ob quod amplissimo patrimonio defraudatur verus hæres, non tenetur, ut restitutio fiat se prodere, ne cum sui honoris dispendio restituat, uti doctores notabiles docuerunt, ita Med. C. de restit. quæst. 3. causa 4. Scot. in 4. d. 15. quæst. 2. ad arg. Palud. dist. 27. quæst. 2. art. 4. conc. 3. 4. & 5. Richard. d. 15. q. 4. art. 5. ad 9. Caiet. in opus. respon. 14. Gabr. d. 15. q. 2. con. 2. Castr. 1. de lege pœn. c. 11. Nauar. c. 16. n. 43. & c. 17. n. 85. Couar. reg. pec. 1. p. num. 3. 4. 5. & 6. Ant. in sum. defecerunt

defecerunt, tract. vlt. de rest. c. 7. §. quomodo & 2. p. tit. I. c. I. §. 8. & tit. 2. c. 7. §. 4. Ant. Gom. super. l. Tau. 80. n. vlt. Sor. 4. de Iust. q. 7. art. 2. ad 2. Syl. verb. adulterium. q. I. Ang. ib. In quo casu ipse Merca. maximè dubitat, sed in hanc sententiam magis inclinatur. Si igitur communis est omnium sententia, quod mulier non tenetur, cum periculo vitæ vel famæ amplam pecuniam restituere, manifesta est prædicta Cai. doctrina quod res inferioris ordinis non sunt restituendæ cum dispendio rerum altioris ordinis. Alioqui obligari debet dicta mulier cum famæ suæ vel vitæ dispendio restitutionem procurare contra omnium sententiam, imò contra decret. Innoc. 3. de pœn. & remissi. off. vbi cum Inn. 3. esset significatum, quandam mulierem in pœnitentia fuisse confessam, quod timens ne viri possessio deuolueretur ad alios, quarundam herbarum succum potauit, & sic venter eius intumuit, & inde grauidam se ostendens, sibi partum supposuit alienum: timensq; maritum, nolebat facinus ipsi detegere, qui prolem credit sine dubitatione esse suam, quæsitumque esset à Pontifice: An talis mulier esset absoluenda, sic respondet, quod sicut mulier, quæ ignorante marito de adulterio prolem suscepit quamuis id viro suo renuat confiteri, non est ei pœnitentia deneganda, ita nec illi debet pœnitentia denegari, sed competens satisfactio debet per discretum confessorem iniungi. Hæc Innoc. 3. vnde apparet contrariam sententiam non esse tutam. Itaque pecuniam etiam amplissimam cum vitæ detrimento esse restituendam, vt Sor. concedit, & Adria. q. I. de rest. §. Sed restat, & Quodlib. I. art. 2. & Couar. omnis rationis metas excedere puto, & præter omnes supra dictos doctores, quibus in hac parte consentit Maior in 4. d. 15. q. 17. & in 3. d. 37. q. 34. est prædicta decretalis, qua nihil potest esse expressius, & rationes supra factæ id euidenter conuincunt. Quibus adde, quod si quis esset in extrema necessitate teneretur restituere rem alteri non extremè necessariam, quod nullus cordatus concedat. Sed dicunt aliqui quod doctores & Pontifices, ita docentes non tam ob vitam noxiæ femine quam ob scandala, & aliorum peccata in ea occidenda, & malè tractanda, decernunt esse tacendum. Sed friuola est ista ratio, nam tale illorum scandalum ipsis imputaretur, non mulieri, quæ virtutis actum faceret veritatem propalando, & restituere volendo, aliàs nec illi liceret veritatem explicare, ne aliorum peccatis cooperaretur, quod alienum est à veritate. Vnde ipse Sor. fatetur si facere vellet fore magnum virtutis opus. Planè ergo ratio doct. & Pont. est, quia non postulat ratio, vt cum vitæ dispendio patrimonium etiam amplissimum debeat restituere. Atque idem est dicendum de detrimento famæ, licet Adria. & Maior contra sentiant, & Hostien. in sum. lib. 5. c. de Pœni. & remiss. quos cum moderatione quadam sequitur Couar. scilicet si fama sit non tanti momèti, & patrimonium grande, quod ipsum Sotus docuit non modò de fama, sed de vita.

Sed certè immerito, hi à communi cæterorum doctorum sententia recedunt. Omnis enim fama bona nisi læsa sit iam aliquibus indicijs, vel suspicionibus omnes thesauros excedit, & omne pretiũ teste scriptura, & in d. c. Inn. generaliter loquitur nõ distinguendo inter hereditatem

rem magnam, vel paruam & inter famam magnam, & inferiorum, vt hi doctores nouitate quadam ac parum solidè distinguunt: dicit ergo esse licitum siue timore vitæ siue famæ id faciat. Omitto quorundam Iuristarum responsionem, vt glo. in d. cap. Et eiusdem Adrian. ad d. text. quas bene Medi. refellit ostendens ibi esse sermonem de pœnitentia sacramentali, id est, de confessione, & absolutione à peccatis. Ponit enim tanquam diuersa pœnitentiam & satisfactionem discretam: quasi dicat apertè pœnitentia, id est, absolutio sacramentalis non est neganda, & satisfactio pro peccato iniungenda. Tertio, hanc conclus. probo ex eo, quod bonum nomen pretiosius esse videtur, quàm libertas, vnde honesta fœmina plus eligit cum seruitute honestam habere famam & gloriam, quàm cum ignominia, & dedecore libertatem: sed nullus tenetur pro soluendo, vel restituendo amplissimo patrimonio se in seruitutem redigere, aut se vendere, nec se igitur tenebitur infamare. Prædicta tamen limitat Nauar. cap. 19. num. 91. in fin. vt sint vera de iactura famæ, quæ ex virtute est. Fama enim quæ ex alijs rebus orta est, vt ex ingenio, arte, solertia, scientia, diuitijs, &c. amittenda esset, iuxta Sor. & aliorum opinionem, & limitationem. De his duobus famæ generibus sup. nos de nostro mentionem fecimus, nec displicuit ita distinctè apud Nauar. reperire, cuius se iterum mentionem facere dicit cap. 18. num. 20.

SPECIALITER autem de infamantibus publicas personas graues & in magno honore habitas per libellos infamatorios, paschines, picturas, colores, vestes, &c. quibus significatur sine verbis, quantum volunt, esse scilicet sacrilegum, Iudæum, vsurarium, Sodomiticum, latronem, &c. dubitat Merc. cap. 10. casu 2. an cum vitæ periculo sit restituenda fama, & sane in principio respondet affirmatiuè, dum dicit: *Si es necessario perder la vida, o disponer se a perderla, lo ha de hazer.* Sed infra dicit se nolle quæst. determinare, sed quòd consulantur Theologi & ita hic author saltem probabile esse censuit. Sed hanc speciem determinatè tenet Ioseph. Angles in d. conclus. 2. & dub. 5. Sed falsum est iuxta supra dicta. Pro nulla enim fama vita est periculo obijcienda, vt est à nobis probatum. Vnde immeritò idem putat esse dicendum, ac quado sua causa proximus est in periculo vitæ. Id enim sub dubitatione relinquendũ non erat, neque verò puto Angles in hac specie locutum. Loquitur enim quando ex infamia ducis, vel similis magnæ personæ, vel ciuitatis, vel exercitus, vel alia grauia dissidia, & necesse oriuntur, vt si infamaretur de proditione, &c. quod verissimum est cum iam non tam agatur de fama reparanda, quàm de communi bono, & salute scandalisque vitandis.

DECIMA dub. cum fama restitui non potest iusta de causa, siue ob vitæ periculum: vel ob seditionem, vel scandalum, vel quia iam non crederetur quantumcunque se retractet, &c. siue alia causa, teneatur quis pecunia illam compensare? Et sanè ex opinione Sor. & Couar. apertè conuincitur teneri. Et expressè docet Cord. quæst. illa 3. concl. 9. quia si fama pecunia æstimari potest consequens est, vt si in eo ge-

nere non potest per æquiualens satisfaciat, vt si quis centum aureos in auro accepit, si auro satisfacere non posset, teneretur argentei maiorem copiam vsque ad æqualitatem restituere, & ita tenet expressè in d. lib. 4. de Iust. quæst. 6. artic. 3. ad quartum, versic. *Nihilominus*. Et de sigillo membr. 1. quæst. 2. conclus. 5. & quæst. 3. conclus. 3. Et in hanc sententiam citat D. Thom. qui 2. 2. quæst. 62. artic. 2. ad secundum docet, quod si fama restitui non potest per illius reparationem, teneretur detractor alia via compensare, vt dictum est. Hæc autem via est quam dixerat in solut. ad 1. loquens de restitutione vitæ scilicet in pecunia, 415 vel in honore, &c. Pro ea sententia citatur Scot. distinct. 15. & docet Merc. cap. 11. & Armil. §. 41. & Pedraza præcept. 8. §. 1. dub. 4. & §. 2. Anton. 2. part. tit. 2. cap. 2. §. 3. & 8. & Cord. conclus. illa 9. Qui alia ratione probat prædictam sententiam exemplo mutilatoris, & homicidæ. Ij enim (ait Cord.) tenentur cum membrum, & vitam restituere non possunt, in æquiualeanti alterius generis recompensare. putâ in pecunia, &c. Mihi non placet hæc sententia, quin potius si in eodem genere restitui non potest, scilicet famam reddendo non puto teneri ad restitutionem pecuniæ, nisi forsan damna aliqua sint secuta. Illa enim resarcire pecunia tenebitur, non tamen famam ipsam, quod ipsum à fortiori de vita est dicendum, & cõcedit idem Sor. & Merc. quod scilicet si reparari non potest, nec in pecunia est restitutio de iustitia vt placuit Syluest. verb. detract. quæst. 4. casu 2. Nauar. cap. 17. num. 90. & 416 cap. 18. num. 47. Et ratio est plana ex suprâ dictis (quamuis ipse Nauar. oppositum dicere videatur, num. 42.) quia fama sicut & vita non est pretio æstimabilis, sed est supra omne pretiũ, & ita iustitia, quæ æqualitatem perit, non potest obligare ad impossibile, quod verò possibile est scilicet pecunia, nullam potest habere æqualitatem, aut proportionem, igitur de rigore iustitiæ nulla debetur compensatio. Accipe simile, occidisti animam alicuius ipsum ad peccatum metu mortis cogendo vel in peccato illum occidendo, vel puerum sine baptismo relinquendo, non teneris vllam in re temporalis facere restitutionem. Quia nulla est proportio temporalis ad spirituale. Est autem de ratione iustitiæ proportio, imo æqualitas. Sic igitur quia inter temporalia, ita se habet vita ad honores, & honor ad pecuniam, quod infinite se excedunt, & nulla sit inter ipsa æqualitas. Vita enim inæstimabiliter honores excedit, honor diuitias, hinc est, &c. Damna tamen quia temporalia, sunt compensanda lege iustitiæ, & sic intelligo D. Thom. vbi suprâ. Aliàs sequitur, quod si infamator nollet in propria specie restituere restituendo famam, sed pecuniam teneretur pecuniam recipere 417 infamatus, & detractor non teneretur ad amplius. Nam si vt Sorus, & Mercad. docent, fama pecunia potest æstimari, igitur tantum posset pecunia crescere, vt ex rigore iustitiæ æquaret valorem famæ, quod ipsi fatentur. Sicut ergo soluens 50. aureos in argento maiori quantitate satisfacit, nec potest esse rationabiliter inuitè læsus, ita, &c. Et ita nullus esset, qui se retractare vellet, sed pecuniam offerret alio manente miserabiliter infamato, quod certè non videretur concedendum. Imo si possibile

possibile esset vitam restituere semel amissam, non teneretur eam, sed pecuniam illius valori æqualem restituere: quod certè cordatus non dixerit, sed duntaxat satisfaceret restituendo vitam, si posset.

DENIQUE ex dicta sententia sequeretur, quod non satis esset se retractare (yncerè, verè, & iuramento, sed teneretur si ei fides non adhiberetur, in pecunia, & alijs temporalibus bonis restituere: quod licet Cord. in specie concedat, tamen verè concedendum non est. Alioqui in malitia audientium situm esset, hunc obligare ad pecuniariam restitutionem vel deobligare. Si enim credere nolunt tenebitur, non tenebitur si credunt. Cùm ergo constet eundem esse hominem loquentem, cùm infamat, & cùm se retractat, tam sufficientemque rationem innocentia præbeat, quàm præbuerat crimen reuelando, imo maiorem: maximè, cùm iuramentum adiungit: cùm difficilius soleant 418 homines se mendaces profiteri ac dicta sua retractare, sequitur, quod cùm id tandem facit, sufficienter naturalitèrque debitam restitutionem faciat, quod si illi non creditur, non mihi imputatur, sed ipsis qui sua malitia vel leuitate in ea credulitate perseuerant, siue qui alia via quàm ex me cognouerunt. Vnde sicut suprâ dicebam de referente, quod restituere non tenetur. Quia etiam si alij credant, at eorum leuitatis est, non mea causa, qui sufficientem credendi occasionem nõ dedit: ita in nostro casu, cùm sufficientem rationem deponendæ falsæ malæque opinionis dederim per synceram retractationem, & iuramentum eorum leuitatis, & malitiæ est non credere, vnde vel alia via sciebant, & ita ego non sum causa illius malæ opinionis: vel si nesciunt, ipsi peccato 419 peccato iudicij temerarij, vt patet. Vnde constat minus consideratè Cord. affirmasse prædictam nostram sententiam esse periculofam. Nam & eius nullam rationem reddit, & rationi magis est consentanea. Cum clari viri eam docuerint, Syluest. Nauar. &c. Secundo etiam constat minus grauitèr minusque verè docuisse respon. ad rationem Sylu. quod qui pecuniã pecunia vel alia re temporali restituere non potest, tenetur in fama, & honore satisfacere creditori subeundo labores, vt diuulget bonã famam, & egregia facta creditoris. Certè miror cordatissimum & doctissimum virum in eam doctrinã deflexisse. Quis enim cogat debitorem, eo quod debeat 100. ducatos, soluere autem nõ possit, præconem esse laudis alienæ, idque nisi faciat peccare mortaliter peccato iniustitiæ, & peccato non restitutionis. Sed ait ille, quod ad id posset locare operas, fateor, si vellet esse illius laudator & præco. Quod si non vult vel quia creditor dignus non est, vel si est, ipse in eo officio versari, nec solet, nec volet, rationis certè metas egreditur, vt ad id efficiendum lege restitutionis & iustitiæ teneatur. Aliàs ob 420 eandem rationem teneretur debitor subire propriam infamiam, si creditoris interesset, & in pecunia soluere non possit, vt sic ex sua fama, quæ pecunia æstimari potest soluat cum in propria specie soluere non posset, quæ omnia doctus non dicat. Illud concedamus huic sententiæ, quod cùm læsus iniuria, ius habeat exigendi in iudicio læsionem potest, vt desistat ab actione iniuriæ pecuniam petere, & accipere.

VND E C I M A dub. an excuset à restitutione famæ, quod præcedens infamatio, sit tam antiquata? Videtur, quòd non, quia non debet esse melioris conditionis detractor ob dilationem infamationis, aliàs multi expectarent, & differrent restitutionem vsque ad longum tempus, vt cum obliuioni data esset infamatio liberi essent à restitutione. Bene respon. Syluest. detractio. quæst. 4. Cord. q. illa 3. conclus. 9. in 1. par. conclus. Angles in flor. 4. Sent. quæst. de rest. fam. dub. 2. conclu. 1. Nauar. cap. 18. num. 47. Anto. 2. par. tit. 2. cap. 2. §. 3. non esse opus rest. Esset enim multo peius. Cum enim prior infamatio iam sit obliuioni tradita, perinde est ac si non esset facta, & ita eam renouare esset bis
421 infamare. Et propterea non soleo eos laudare, qui de peccatis quantumuis publicis aliorum, loquuntur non solum ijs, qui ea nesciunt, de quibus suprà egimus, sed etiam ijs qui sciebant habitualiter, sed reprehendere eos oportet. Est enim refricatio, quædam ac renouatio infamiæ per actualem memoriam & cogitationem inde subortam. Damna tamen à tempore illaræ iniuriæ, vsque ad obliuionem sunt restituenda, vt Nauar. docet, siue laudando, siue beneficijs, siue etiam pecunia, si temporalis rei damnum fuit, vt paulò ante dicebam. Specialiter tamen dub. esse potest de adolescente, qui apud æquales se iactauit aliquam cognouisse, idque falso, an senex factus, cum peccatorum recordatur, vt doleat, teneatur famam illi restituere. Caiet. 2. 2. par. 61. art. 2. ad 2. dubitat. Tum quia non constat auditores fuisse oblitos. Sæpe enim multorum post longum tempus recordamur, quorum statim
422 non meminimus. Maxime, quia ea quæ primis temporibus accepimus, firmiter hæere solent, quando per tot annos illum de more confitentem videmus non retractasse. Cui sententiæ & rationi Nauar. subscribit num. illo 47. Pedraza in sum. Præcept. 8. & ita censet omnium sententiam limitandam esse, vt sit vera, quando talis est obliuio, vt sit tanquam si non esset dictum, & Cord. q. illa 3. con. 9. Dum enim (ait ille) non constat eos audientes esse oblitos, semper est præsumendum eos recordari.

S E D vt verum fatear, ego non video quomodo hæc dicatur à Nauar. limitatio communis sententiæ, & non potius destructio. Nam vel nullus esse potest casus, in quo obliuio locum habeat, vel certè prædictus. Qua enim ratione potest detractor intelligere rem esse obliuione ita deletam: vt sit, ac si non esset dictum, nisi ex ratione temporis & antiquitatis sui dicti? Qua enim alia ratione rerum obliuiscamur, nisi temporu decursu, non reperiò. Imò quo diuturniores erunt detractio-
423 nes factæ, eo magis Caiet. rationes (si conuincunt) conuincerent. Dicemus enim vt Caiet. dicit in d. casu, nos non esse certos, an res auditoribus venerit in obliuionem, cum multorum non recordemur, quorum post tempora reminiscimur, & 2. quòd tanto firmiter creditur crimen, quanto quis detractionem, quam fecit per tot annos & tot confessiones non reuocauit, atque ita vix tandem, si has admittamus rationes vllò in casu vera erit communis sententia, quam tamen ipse Caiet. in fin. comment. circa solut. ad 2. licet non omnino, sed tantum quando
verum

verum dicendo infamauit, admittit. Si enim falso infamauit, tenebitur non obstante obliuione: sicut in casu adolescentis dixerat, quod durum videtur Nauar. vbi suprà.

M I N I ergo viderur. Primum, quod siue verum, siue falsum dixerit, cum infamauit, si res venerit in obliuionem non tenetur, imò peccaret famam restituendo. Esset enim commemoratio ac confirmatio infamationis alterius, magis quàm restitutio atque excusatio, vt prædicti autores fatentur. Quod enim mendaciter infamauerit nihilo plus obligat, vt Nauar. sentire videtur. Quod si res iam obliuione est oblitterata, quid prodesset misero infamato illius satisfactio, nisi, vt vulnera, quæ consenuerant, recrudescant, quod denuo recolare damnificare esset magis, quàm reparare. Vnde nec mihi placet, quod Nauar. ait, vt non omnino hanc Caiet. sententiam de falso infamante dimitteret. Dicit enim quod debet rogare eum vel eos coram quibus detraxit: an meminerint se illis dixisse crimen de tali homine, quod si negatiuè responderint, roget eos, ne eum peiorem existiment ob aliquid suum crimen, testans se falsum dixisse. Hæc enim omnia recordatiua potius sunt eius, quod erat deletum penitus: & ita tantum studendum censeo in eo, vt verissimile sit auditurum esse, vel non esse oblitum. Si enim non creditur oblitus statim est restitutio faciendæ, siue verum, siue falsum fuerit crimen. Si prudenter creditur esse oblitus, tum nihil esse omnino dicendum de crimine præterito vero vel falso: sed eum de virtute illi vitio contraria laudare. Vt si eum dixisti
425 fornicatorem: eum vehementer castum prædicare, & si quæ indicia sint de aliorum memoria, vel ex temporis paucitate, vel eorum verbis, tum planè se retractare. Et sane distinctio illa de mendaciter, vel verè denigrante famam proximi siue à Caiet. asserta, siue à Nauar. recepta, inutilis est. In vtroque enim casu teneris famam restituere, quoad hoc enim nihil efficit obliuio: vt vnum excuset, alterum secus, vt maturè ponderati illucescet. Qui in respon. ad primum cuius sententiam refert, & sequitur Cordub. quæst. illa 3. conclus. 9. (in quo nos acquiescimus) docet, quòd si criminis sint iam oblitri, tamen infamia durat, tenetur infamator se retractare coram ijs apud quos perseuerat infamia, nihil de crimine in particulari rememorando.

D V O D E C I M A dub. est an hæres teneatur pro fama à defuncto ablata recompensare, saltem in pecunia? Adrian. Quodlib. II. litera T. Pedraza præcept. 8. §. 1. dub. & Cordub. memb. 4. quæst. 3. conclus. 3. & 13. Nauar. in sum. Hispanic. cap. 18. num. 43. & in Lat. num. 46. Palud. in 4. distinct. 15. putant teneri. Existimant enim isti cum Sot. & alijs suprà
426 citatis, quod cum fama in specie restitui non potest, debet in alio recompensari, & ita sicut ad alia debita, & restitutiones temporales tenerur hæres, ita, &c. Probant etiam ex cap. parrochiano de sepulturis. Vbi obligatur hæres ad damna à defuncto data, etiam si ei nullius utilitatis extiterint. Sed nos putamus contra. Primum enim in propria specie non tenetur hæres famam restituere, quod & ipsi fateri videntur. Et ratio est plana, quia illa non aliter in sua specie restitui potest,

quàm dictum retractando, vt supra dictum est, quid autem vtilitatis est in retractatione hæredis? Nihil enim ei adhibebitur fidei. In pecunia verò restituere non tenetur, etiã si ipse læsor sit viuus, vt supra ostēdimus, igitur, &c. Cap. verò citatum non est ad rem, cum ibi Greg. 9. de restitutione rerum temporalium loquatur, nō de fama, vt apertè constat ex initio capitis vltimi, vbi pontifex numerat ea, ob quæ tenetur, hæres pro defuncto, quæ omnia sunt damna in re familiari, & eodem modo respond. ad c. in his, de rapt. & cap. à nobis, de sent. excom.

- 427 **DECIMATERTIA** dub. Vtrum accusatus, & denunciatus male negans delictum obiectum teneatur ad restitutionem infamiæ illatæ accusatori? Non est q. quando falso accusatus est aut denunciatus. Cōstat enim id non imputari, innocenti accusato, sed iniquo accusatori. Sed q. est cum de crimine vero accusatus est, aut denunciatus sine secreta monitione. Et sane si non dicat eum esse mendacem vel calumniatorem: sed solum modo se non fecisse, aut accusatorem decipi, aut iniquè accusare, omnes fatentur non teneri. Ita Nauar. c. 18. nu. 12. Cord. q. illa 3. conclu. 9. Et ratio est: quia quando delictū est occultum, & ipse non tenetur confiteri, ius habet se defendendi crimen contendo, ac si esset innocens. Publicè enim innocens est, accusatūsq; iniuste. Vnde sibi imputabit accusator, si deficiens in probatione calumniator habeatur. Tota ergo controuersia est. An si dicat accusatorem illum mendacem, aut calumniatorem restituere teneatur. Nā Caiet. in illa solut. 2. putat eum teneri, quia (inquit) quamuis licitum sit accusato negare tale delictū, etiã si tunc infamia imputetur actori, tamē q. eum reus appellet mēdacem illicitum est. Vnde licet q. non probauerit ipsi imputetur: tamē quod maneat mendax, & criminator falsus nō illi sed iniquitati accusati imputatur, qui ad mentiendum non cogebatur, cum posset aliter subterfugere accusationē, scilicet nec affirmando, nec negando, ex quo confiteri nō tenebatur. Sed verius videtur oppositum, estq; cōmuniō sententiæ Scot. Richar. Nauar. &c. Moueor ea ratione. Nā reuera, si nō tenetur delictum fateri, igitur negare potest se fecisse, quod si potest, certè etiam potest dicere alterū calumniari. Si enim negat ideo excusatur, quia negat, vt proponūtur illi scilicet vt publici: igitur etiã potest dicere actorē falso accusare, quia veritate publica, carēt, quæ ille vt vera publicè proponit. Neque video quo differat negare illum verum dicere, aut affirmare dicere falsum, nisi quod hoc fit actu (vt aiunt) signato, illud exercito. Vtroque enim casu alter noratus manet de calumnia siue ex mea negatione veri, siue assertionem falsi. Et ita non solum, quod non probet, vt vult Caiet. illi imputatur, sed etiam quod non verum veritate publica proponat, & ita vt publicus calumniator & mendax habeatur. Sic etiam Sor. in illa sol. 4. Syl. rest. 3. q. 3. Cord. Docet autem Merc. c. 11. quod extra iudic. in confabulationibus non potest dicere, q. accusator mentitur, quamuis si cum iracundia diceret sibi falsum testimonium imponi, non (inquit) esset aliquid restituendū. Sed certè nisi vera sit illa sententia quam supra conabar probare contra ipsum Merc. (quod licet dicere se esse mentitum, quia est

sensus

sensus, quod nō dixit veritatem publicè ita in hoc sensu liceret dicere accusatorem falsum dixisse, aut nō verum, quia non dicit verum pub.) hæc sententia Merc. non esset, vera. Ira enim excusare nō posset à mendacio, nisi reuera propositio eū sensum facere posset. Vnde ipse Merc. reddens rationem ait, quod non esset restituendum, si cum ira dicat accusatorem mentiri vel falsum testimonium dicere. Quia (inquit) habet suam verā significationem, & sensum legitimum. Hæc ille, in quo planè illam opinionem probare videtur, docet autem Merc. quod si accusator legitimè probauit, tenetur negans se retractare & honorem restituere quia reuera negauit, quod probari videtur, & non erat occultum omnino. Ex quibus patet minus verè docuisse Cord. concl. illa 9. sequendo Caiet. quod tenetur restituere, si se defendens actorem calumniatorem esse dixerit, vt satis ostensum est.

TERTIO docet Nauar. q. etiam in casu quo tenetur veritatē pro palare, vt si essent indicia vel semiplena probatio, &c. non tenetur de infamia accusatoris, etiam si negauerit delictum, quod confiteri tenebatur, cum nō respon. accusatorem calumniari, sed decipi, &c. hoc non probat Nauar. potest tamen probari ea ratione, quia cōmuniter accusans non perdit famā apud iudices, etiam si probare non potuerit, nec creditur cōtra conscientiam egisse. Potuit enim decipi, aut cogitasse habere probationem, &c. Vnde ob hanc rationem putat Nauar. & Caiet. 2. 2. q. 62. art. 2. ad 1. dub. circa solutionem, ad 2. q. non solum cū negat tale delictum, sed & cū dicit accusatorē calumniari, si tamen sibi non credatur, eo q. iudices credant accusatorem, licet non probauerit intentum, tamen contra conscientiam non accusasse, sed potius illū esse veracem, & denunciatum mendacem, licet non conuincatur: vel si culpa est in accusante, tamen creditur accusationem potuisse procedere ex leuitate vel errore. In eo ergo casu non perdit famā in effectu accusator, licet accusatus, & denunciatus quantum in se est efficacem, & iniustam causam dederit infamationis accusatoris, omnino innocentis ritèque accusantis. Quod si in effectu perderet tenebitur, vt docet Richar. d. 15. q. 15. art. 5. Scot. q. 4. art. 3. Nauar. num. 48. Si enim confiteri tenetur iniuste, & negat, & falsum actorem affirmat, quare tenebitur de damno secuto. Illa verò Caiet. dist. lo. cit. quod dum quis non tenetur, confiteri veritatem mentiendo, non infamat accusatorem, vt accusator est, sed eum infamat, vt homo est, quam latius vide si placet apud eum, inani quadam subtilitate magis, quàm solida veritate dicta videtur, vt docuit Sor. in d. solut. 4.

DECIMA QVARTA dub. an præter supradictas sint aliæ causæ à restitutione famæ excusantes? Respon. Primum, quod si famam auferendo non peccauerit, saltem mortaliter vt si legitimè accusauit vel denunciauit vel ijs, qui possint prodesse & nihil obesse. Secundò, si in effectu non sit famæ læsio subsecuta, etiam si animo nocendi quis alteri detrahat, excusatur à restitutione vt supra omnium sententia dicebam, quia nō dedit iustā causam infamiæ vel dedit, tamen vel ei non est adhibita fides, vel quia alter ea de re se iactare solet, vel quia erat

notorium

notorium, etiam si audientes tum de illo non cogitant, vel quia lætio
 433 fuit parua. Ita Sor. 4. de Iust. quæst. 6. artic. 3. ad 4. Tertio econtra si in
 effectu læsit, sine animo tamen & culpa vlla in nocendo, non tenetur
 restituere, vt supra dicebam, cum iniustitiam non commiserit. Quæ
 regulæ in omni restitutione sunt obseruandæ. Si tamen oculatius rem
 consideremus, hæ regulæ deficere videntur in restitutione fame. Licet
 enim damno dato in vita proximi, & in re familiari nemo teneatur,
 nisi sit in culpa lata, vt supra ostendi cap. 1. tamen non ita de fame læ-
 sione dicendum arbitror, imo certe etiam si omnino fortuitò, & sine
 vlla prorsus culpa, etiam leui aut leuissima teneris damnum datum in
 fama resarcire, quamuis non damna temporalia secuta. V. g. intendis
 434 quia ad eius remedium, vel alio sine licito, vel ex iniquitate & malo
 animo: tamen te sic referente alius intelligit de alia eiusdem nominis,
 nobilissima puella, & castissima, idque omnino præter tuam intentio-
 nem errore quodam inuincibili, intelligis deinceps alteram esse infa-
 matam ob tuum dictum, in quam certè tu non peccasti: non dubito
 quin tenearis ei restituere famam manifestans veritatem, & te omni-
 no nolente & ignorate tale quidpiam de ea esse prolatum. Licet enim
 vt supra dicebam, quando tantum tenemur ratione delicti, vt in ho-
 micidio, & combustione domus, nõ oriatur restitutionis obligatio de
 damno sine vlla culpa: tamen secus in damno fame. Cuius ea est ra-
 tio, quia damnum vitæ, & rei familiaris non potest facillè restitui: sed
 oportet te grauari, & re simili priuari, vt restituas: quod sine culpa fa-
 cere deberes: at fama vel verbo tantum tuo restitui potest dum sincere
 & ex animo affirmes te errore, magis quam malitia dictum illud
 protulisse. Itaque & facilitas est in verbo, & nulla verecundia, aut de-
 435 decus admixtum, sicut in eo, qui sua culpa infamauit. Tantum ergo
 malum, quantum est infamia proximi tam facili remedio, non vitare,
 iniquum est omnino contra charitatem & iustitiam. Et ita putare ne-
 cessario talem restitutionem faciendam, quæ non tam proprie restituo
 est, cum voluntariè non læseris, quam boni tua occasione amissi
 quædam instauratio. Et idem est in omni alio casu, quo sine tua lata
 culpa proximi bonum nomen abstulisti. Maxime, quia non arbitror
 hanc esse proprie restitutionem cum ex præcedente iniustitia, nõ oria-
 tur vlla, vt constat. Probauit enim supra lib. 1. restitutionem omnè pro-
 prie loquendo esse iniusti illati damni reparationem ac reformatio-
 nem, procedit ergo hæc fame redditio ex obligatione legis charitatis,
 qua debemus proximorum bono consulere damnòq; occurrere si fa-
 cile possumus, quam ob rem si tu nõ læsisti verbo, aut facto tuo, etiam
 inculpatè, sed alius, teneris non minus veritatem dicere: sub mortali, si
 facile posses bonam existimationem deperditam vindicare, quod ar-
 gument. est prædictam non esse propriam restitutionem vel iustitiæ
 actum.

436 TERTIO excusat vel quia infamatus ita infamis est vel infamator
 ita leuis, & sine autoritate, vt nec ille habeat, quod perdat ob id nec
 isti

isti credatur, quicquid dicat, vt adnotauit Nauar. cap. 18. num. 48. &
 Adrian. Quodlib. 11.

QUARTO, docet Nauar. excusare à restitutione. Quando pecca-
 rum cum sui autoris pœnitentia refert, vt absque aliqua infamia cum
 honores.

Ego verò in hac doctrina addubitare soleo. Aut enim pugnantia
 dicit, aut vera non est. Nam vel peccatum, quod dicitur de se non infa-
 mat, vt si dicatur fornicatio iuuenis, & huiusmodi, & tunc etiam si absq;
 pœnitentia referatur, non peccat mortaliter nec est restitutio facièda.
 Si verò de peccatis loquitur, quæ bonum nomen lædunt, vt est monia-
 lis fornicatio: certè non video quo facto ita referri possit, vt ob pœni-
 tentiam, in eius honorem cedat. Licet enim pœnitentia ædificet audi-
 tores, & ipsa honore digna iudicetur: tamen reuera, bonumq; nomen
 in ea specie amisit, mallèque pœnitentiæ suæ honorem amittere apud
 homines quæ de tali crimine diffamari. Ego certè quod ad me attinet, 437
 si (quod Deus auertat) crimen aliquod commissem quod dignitatem
 atque honorem læderet, nollem certè, quantumcunque pœnitentia re-
 ferretur de illo notari. Cum semper necesse esset ruborè ac infamiam
 perferre. Quis enim credat licitè honorabilis viri Sodomiam, vel hæ-
 resim, furtum, vel ebrietatem referri, etiam si adicias eum peccati pœni-
 tuisse? Aliàs, si quia pœnitentiam simul refert insignem, liceret etiam
 peccatum in confessione reuelare. Si enim laus inde pœnitenti accre-
 sceret, non esset contra sacramenti sigillum. Quod si nec in confessio-
 ne, nec extra confessionem secreto acceptum peccatum reuelare fas
 est, etiam si simul notabilem pœnitentiã referas, nisi de consensu pœ-
 nitentis: idem certè est dicendum de crimine secreto. Quando autem
 Dei magnam gloriam concerneret, de consensu illius saltem implicito
 liceret peccatum & pœnitentiam referre, vt modo in Ecclesia sancto-
 rum peccata & pœnitentiam recensemus ob Dei gloriam, & aliorum
 ædificationem. Sic Thomæ incredulitatem, Pauli persecutionem in
 Ecclesia, Petri negationem, Magdalenz, Marthæique scelera recen-
 semus, &c.

QUINTO potest dubitari. Vtrum magnæ fame amissio excuset à
 restitutione fame exiguæ? Vt si infamator sit prælatus vel alius illu- 438
 strissimus: infamatus verò infimæ sortis Nauar. c. 18. nu. 48. putat, quòd
 nisi alia iusta compensatio fiat, vel condonatio obrineatur tale dispen-
 dium est subeundum. Contrariam sententiam sequitur Sor. 4. de Iust.
 q. 6. art. 3. ad 4. Cord. 1. qq. q. 3. art. 2. Merc. c. 9. vers. esto se entiendo, &
 melius c. 10. casu 1. Couar. reg. pec. p. 1. nu. 6. vers. Tertio adultera, & in
 hoc mihi placet Sor. quamuis, nec ipse, nec Nauar. consequenter lo-
 quantur. Et sane, quòd Nauar. non omnino sibi cõsentiat ex eo osten-
 do, quòd ipse fateretur, vt supra vidimus, famam non esse pretio æstima-
 bilem, quomodo ergo dicit, vel compensatione aliqua vel cõdonatio-
 ne tantum restituendum æquans compensationem condonationi, vt 358
 compensatio illa sit sufficiens restitutio, nisi forsan illam compensatio-
 nem intelligit Nauar. non pecuniariam vel in simili materia inferiori,

sed inæquali materia, quia illum laudando, vt infrà dicam. Quicquid ergo fit de hac consecutione in dictis Nauar. eius certè sententia mihi non placet. Sicut enim in pecuniis nõ postulat ratio, vt quis maximum derrimentũ patiat pro longè minori restituendo, vt suprà dicebam.

439 Ita certè ratio non consentit, cum insigni detrimento, infimi famam restitui, nec ille est rationabiliter inuitè læsus, si tantæ dignitatis virum velit se retractare vel sese mendacem infamatorem, aut leuem fuisse confiteri.

T y m igitur mihi videtur, quòd de rigore iustitiæ nõ tenetur suam amittere famam, vt probaui, nec etiam pecunia recompensare, quia non est boni nominis iustum pretium, & ita iustitia, ad id inclinare nõ potest, vt suprà dicebam. Tenebitur tamen arbitrio nostro laudando illum in illa eadem materia famam restituere, vel secundo condonationem petendo, quam si ille nolit concedere, non tenebitur amplius. Est enim ac si non esset potens restituere, & tum habet locum id quod à Nauar. dicitur de recompensatione. Non vt ille dicit, sed sic intelligendo, vt teneatur pecunia oblata eam impetrare, non quod pro iniuria dare teneatur pecuniam. Sed pro condonatione consequenda. Si enim tenetur condonationem petere, efficaciter & fideliter petere debet, ita vt si eam facile potest pecunia oblata assequi, facere debeat. Dixi facile. Quia, si nimium ille peteret, non tenebitur amplius facere.

440

S e x t o non excusat esse infamatam de grauiori crimine, vt suprà dicebam, vt bene Nauar. & Adria. docent. In quam sententiam citat Nauar. D. Tho. & Caiet. licet oppositum sentiat Syluest. detract. 9. q. 4. casu vltim. Septimò potest dubitari. An excuset factum esse peccatum (quod ego iniuste reuelauit) postea publicum? Docet enim Syl. detract. 9. q. 4. Sot. in d. sol. 4. versic. 4. *modus*, Armil. §. 41. verb. restit. qd si per aliam viam fuit crimen publicatum, nõ tenetur restituere, qui primus infamauit, quod verum puto, si factum est publicum. Tunc enim retractatio nihil proficit; si tamen non est adhuc publicum non excusor, eo quòd per aliam viam agnouerit illud peccatum, is cui dixi: sed teneor ego quod ex me est bonam generare opinionem, quam abstulit. Poterit enim existimare auditor, quòd sicut ego me retractaui, potest etiam alius & alij idem facere. Itaque aliorum detractio meam non excusat restitutionem, nisi vt dixi, cum ita esset diuulgatum, vt nihil mea retractatione proficere posse existimarem.

441 I l l v d tamen non placet, quòd Cord. docet memb. 4. de detract. q. 3. conclus. 10. Quod tenetur restituere talis infamator, ratione medij illius temporis in quo antequam esset peccatum publicum alter mãsit in infamia. Id inquam non placet. Licet consentiat Adri. in 4. de restit. famæ in sol. ad vltimum argum. fundatur enim in ea opinione, quã ipsi defendunt, quòd fama pecunia compensari potest. Ac proinde putant, quòd interesse medij illius temporis tenetur restituere infamator. Id verò nos falsum, suprà docuimus. Non enim pecunia, sed in propria specie famam restituere oportet, atque ita cum iam sit impossibile, & frustra illum ad bonã famã reuocare liber erit omnino à restitutione infama

infamator. Atque idem est dicendum, si ipse suis factis famam recuperauisset, quicquid Cord. & Adria. docent, vbi suprà. Illud est tanquam verissimum concedendum, quòd ob infamiam illius medij temporis passus est damna aliqua, vnde impeditus ab aliquo obtinendo, qd nisi esset infamatus consequeretur, tenebitur detractor ei restituere. Dána enim ex iniusta famæ læsione omnium sententia restituenda sunt.

D E C I M A Q V I N T A dub. An qui alicuius peccatum publicauit 442 satisfaciatur se retractando coram ijs quibus dixit, an requiratur, quod omnibus quibus illi dixerunt se retractet. V. g. coram 5. aut 6. famam, alicuius verè aut falsò læsisti, vnusquisque illorum 5. alijs dixerunt, ita vt 100. nouerint, ab vnoquoque deinde horum 100. 10. aut plures nouerint, videtur quòd non teneatur, his omnibus dicere se falsò illũ infamasse. Tum, quia damnum, quod illic intulit paruum fuit, respectu 5. in illo ergo duraxat ille satisfacere, tenetur non in reliquo ab alijs ipso nesciente illato, & fortasse ipso inuito, sed ipsis id imputari debet. Secundò, quia oppositum esset nimis durũ & difficile, imo fere impossibile, vt vnus toti populo satisfaciatur, & passim sapiusque se retractet. Merc. ramen c. 9. versic. *peros de dos maneras*, & Med. lo. cit. Pedraza præcept. 8. §. 1. cõtra sentiunt, & dicit Pedraza, quod si nõ vult ire de domo in domum, vt se retractet, tenetur mandare præconi, vt oppositũ dicat, vel prædicatoribus & clericis, vt in Ecclesijs eius nomine sententiã retractent. Dicunt ergo quod non tantum semel coram ijs quibus dixit, qui vel forsan mortui sunt vel absunt, vel etiã ad sint, fere nihil est de damno reparatum, sed quod tenetur sæpissimè & tandiu quandiu erit necessarium ad integram famæ recuperationem. Ego verò distinguendum putarem, nam si audientes tales erant, de quorum taciturnitate, & constantia non dubitaret, non teneretur meo iudicio, cum casuale fuerit respectu illius damnum secutum, & ipsi soli tenebuntur. Sicq; limitari oportere putamus Merc. sententiã, & Med. Cõtrarium enim melius docuit Alcocer in sum. c. 22. Talis enim infamiæ occasio non fuit causa primus infamator in sensu dicto, atque ita vtramque opinionem esse conciliandam putamus.

443

Q V A R T A P A R S D E
iudicijs temerarijs.

444

P R I M A dub. Vtrum iudicium temerarium admittens sit detractor & restituere teneatur? Pro cuius explicatione placet, primò animaduertere, quæ sit natura & malitia iudicij temerarij, & quo differat à detractioe. Iudicium ergo temerariũ est, cum opus proximi, quod bene & male fieri potest leuibus, & insufficientibus indicijs in malam partem determinatè conferimus, quod certè constat esse contra charitatem & bonã existimationem, quam de proximo habere debemus. Et primũ, si tale iudiciũ sit de peccato veniali proximi, manifestum est nõ esse peccatum mortale, sed tantum veniale, cum ei non fiat grauis iniuria ob eam suspicionem, nec ob determinatum iudicium, imo etiam nulla ne leui quidem ratione existente adhuc non esset mortale:

deniq; etiam si falso tale peccatum imponeret. Semper enim est leuis iniuria. An verò iudicium huiusmodi de re quæ non est peccatum sit mortale infrà dicemus. Secundò putamus quod si iudicium est de peccato mortali est distinguendum, quia si ex prædictis leuibus, & insufficientibus indicijs de virtute, & bonitate proximi dubitet, quia vidit quempiam, cum muliere loqui, erit veniale, vt D. Tho. docet 2.2.q.60. art.3. Pertinet enim illa dubit. ad tentationem humanam, sine qua vita ista non ducitur, & Caiet. in d. art. 3. qui etiam docet, quod etiam si non formaliter dubitet, sed credat. v.g. iuuenem & mulierem velle peccare, sum tamen ita dispositus, vt si ego me ipsum interrogarem, an ista æstimatione, sit apud me ita certa, vt etiam credam forte esse falsam. Tū sanè non est temerariū iudicium. Non enim est iudicium: cum non sit definitiua sententia, quod ex mente D. Tho. in d. art. 2. requiritur ad iudicium temerarium. Sed est opinio quædam cum admixta hæsitatione alterius partis, quod Caiet. commendat pro multis, qui putant se in iudicium incidisse temerarium ob malam opinionem, quam conceperūt de proximo. Idem sentit Med. §. 36. non solum de dub. sed etiā quando suspendit iudicium vel suspicatur, aut credulitatem quandā habet, &c. Etiā si sit de peccato vel re grauissima, quod non cōuenit, cum ijs, quæ ex eius sententia infrà dicam. Si autem pro certo malitia credatur, erit mortale quia proximus contemnitur iniuste, & notabiliter, ita D. Tho. in illo art. 3. & Syluest. iudicium q. 3. Nauar. c. 18. nu. 9. Alex. 2. p. q. 134. membr. 4. Sot. lib. 3. de Iust. q. 4. art. 3. Caiet. loc. cit. Alco. in sum. c. 22. Pedraza præcep. 8. §. 6. Dices nō quæcunq; detractio de peccato mortali est mortalis, sed grauius peccatum est detractio, cum famam exterius auferat, & sit directè contra iustitiā quàm iudicium temerarium, quod interius manet in corde, & proximū non dānificat. Respon. q; in detractioe tota malitia consistit in auferenda fama proximi, quæ cum non auferatur ex detractioe cuiusq; peccati mortalis nō est mortalis detractio, at cuiusque iniuria sit, eo q; sine sufficienti indicio iudicemus, ac præsumamus Deū mortaliter offendere, & sese in gehennam condemnare, vt patet, de quo potest esse rationabiliter inuitè læsus.

TERTIO videtur, q; si sint sufficientia indicia, non esset temerariū tale iudicium, nec peccatum mortale, vt si videas suspectū cum suspecta, & in loco suspecto, & ipsos sese custodiētes, & obseruantes ab alijs, &c. vel nudum cum nuda in eodē lecto. Hoc enim non temerarium, sed violentum dicitur potius iudicium. Vnde non solum credere tale peccatū licebit, cuiq; priuato, sed iudici licebit aliqua pœna arbitraria multare ob violentas ac graues præsumptiones, dixi aliquali, quia pœna ordinaria non putarem licitū illum punire: Nunquam enim indicia possunt plenam probationem efficere quidquid dicat Sylu. ver. iudic. q. 3. Sed quid si suspicetur, quis vel dubitet vel suspendat actum, cum sufficientibus indicijs? Med. §. illo 36. reg. 2. fol. 165. putat esse veniale etiam si sit de peccato veniali. Sed falsum est omnino. Primo, quia iudicium etiam determinatū de peccato veniali, sine vllō inditio est tantum veniale, quomodo ergo suspicio vel dubitatio, & cum sufficienti indicio

indicio erit peccatum: deinde, quia si iudicium determinatū de mortali non est peccatum vllum, quādo sunt indicia sufficientia, quo ergo modo erit peccatum veniale dubitatio vel suspicio? solum ergo erit veniale, quando suspicio vel dubitatio est sine vllō prorsus indicio.

QUARTO videtur, q; cum iudicium, nec est temerarium, nec violentum, sed medium, quod dicitur probabile, vt quia nō nulla fama est de tali persona, non putarem iudicium mortale esse id credere. Non enim est leue signum multorum fama ad credendum, esset tamen peccatum mortale exterius procedere ad ferendum sententiam, secundum tale iudicium iuxta omnium sententiam, præsertim D. Tho. art. illo 3. Syl. iud. q. 3. Ex quibus patet, q; in re graui, iudicare intentionem proximi, nisi violentia & vrgentia signa vel sane probabilia exterius appareant peccatū est temerarij iudicij, & de his intelligitur Matth. 7. *Nolite iudicare ne iudicemini.* Vt autem quis videre possit quando iudicium vel suspicio est certior, ac per consequens magis licita, quādo verò securus est, not. ex D. Th. in illo art. 3. ex 3. ratione prouenire posse suspiciosum iudiciū de proximo. Primò quia ex hoc quod aliquis in seipso malus est facile de alijs malū opinatur. Vnde Eccl. 10. dicitur: *in via stultus ambulans, cum ipse sit insipiens, omnes stultos æstimat.* Vnde *piensa el ladron,* &c. Secundò ex odio alterius, ad quem male sumus affecti. Cum enim aliquis cōtemnit vel odit aliquē, aut ei irascitur vel inuidet, ex leuibus signis opinatur, mala de ipso, quia vnusquisq; facile credit, quod appetit, & hæc quæ suspiciones & iudicij causæ, planè pertinent ad peruersitatem affectus, quæ vtinā non essent tā in praxi frequētes. Tertia causa est longa experientia & hæc est magis licita, inquantū habet magis de certitudine. Vnde Arist. 2. Rhet. docet, senes esse maximè suspiciosos quia multoties experti sunt aliorum defectus, & propterea prælati & superiores, qui multorum defectuum sunt conscij, magis videntur excusati ob experientiam, & certitudinem maiorem quam habent. Videat ergo vnusquisque quomodo proximum iudicet, maximè, quando non est superior. *Quis enim es tu qui iudicas alienum seruum. Suo enim domino stat aut cadit,* iuxta Apost.

SECUNDA dub. An sit iudiciū temerariū de defectu naturali, vt si animo tuo concipias & determinatè credas, aliquē esse ex genere ludæorum vel alium defectū habere in suo genere & familia? Alcozer c. illo 22. §. *iuzgar,* & Bart. Med. §. illo 36. putant esse peccatū mortale & ita in confessione declarandam esse persona contra quam iudicium est habitū, vt peccati grauitas innotescat. Verum nō putarē esse peccatum mortale. Licet enim graue illud dedecus de proximo cogitet temerè & sine ratione: tamen cū ille absq; sua culpa id incurrat, non infert illi iniuriā, quamuis contra charitatē delinquere videtur cū durante ea cogitatione temeraria bonā existimationem de illo habere non possit. Maximè verò videtur non esse peccatum mortale quia apud Deum, & rectam rationē, atq; homines prudētes nulla est ignominia, aut dedecus ex talibus parentibus esse ortum, licet ob quandā præsumptionem, ne scilicet velint suorum patrum vestigia sectari, meritò ab aliquibus

cōgregationibus ab officijs, imo etiam à sacris ordinibus in certis quibusdam gradibus repelluntur, quod certè infert esse dedecus apud homines, ac proinde si de his defectibus confabulatio fiat, aut oblocutio, erit peccatū mortale detractionis, cū apud homines dehonestentur & iniuriuntur, at dū iudiciū manet interius in mente, nulla est ignominia vel dedecus, cum nō prodeat extra ad homines penes quos dūtaxat est ignominia ob quē, vt dicebam defectū nihil perdunt, maximè apud sapientes & rectā rationem, & apud Deū penes quos verum de rebus iudicium est, cum ipsi nihil peccauerint. Imo cōtra si virtutē colunt sunt maximè laudandi, quia cum parentes haberent impios, ac incredulos, ipsi tamen fidem sanam, charitatem & virtutes amplexi sunt. Vnde in quibusdam cōgregationibus à Sede Apost. approbatis, piè ac religiosè (non damno eas, quæ sanctè oppositum habent) cōstitutum videmus, vt nullus ob huiusmodi defectum aliàs probus & constans reiiciatur, quod valdè consonare videtur dictis Apost. ad Gal. dum *in Christo Iesu* (inquit) *nō est Iudæus ac Græcus, nec circumcisio aut praputium, sed noua creatura, atq; in omnibus Christus.* Hæc igitur eo duntaxat tendunt, vt intelligamus, non ob id, quod ab hoc genere descendant, esse vituperatione dignos aut ignominia, sicut neque eo q̄ quis clerici filius sit & huiusmodi, quod omnino præter eius accidit culpam, dum modo non apud alios exterius, sed mente tantum apud te retineas, ac proinde nūquam putarem esse mortale existimationē talis defectus de aliquo etiā cum insufficiētib; signis. Secus esset si ipse vel Iudæus, vel infidelis, vel de alio peccato iudicaretur. Hæc enim est vera ignominia, & iniuria apud Deum, & sapientes, vt patet. Vt enim supra docuimus, sicut vera laus verūq; honos in virtute positus est, sic cōtra verum dedecus, & ignominia in vitio ac culpa, vt merito Ethnicus quidam lucis fidei, & veritatis alienus dixerit, ea mente nos esse debere, si verum honorem habere velimus, vt nihil esse horribile, nihil pertimescendum, nihil omnino præstandū præter culpā puremus. Vnde & hi homines de quibus loquimur, qui confessi vulgò dicuntur, etiam si summa virtute etiam fidei sanctitateq; sint, ob imaginem quandam vitij, tātō sunt in despectu à populo habiti, vt videmus. Et nostræ opinionis est Nauar. ca. 18. num. 9. Immeritò ergo Medina oppositum existimauit.

452
TERTIA igitur dub. sit, An suspendere iudicium de defectu cuius sit mortale peccatum? Est opinio Barth. Med. qui etiā in d. §. 36. fol. 197. putat, quod suspendere iudicium de defectu prædicto, & consequenter de quouis alio in re graui, quando antea bonā habebat opinionem sine sufficiētib; indicijs est mortale quod certè mihi falsum videtur. Nemo enim tenetur de alio bonam habere opinionem, sed 453 satisfacit si non habeat malam. Sed respon. ille, q̄ licet nemo teneatur de alio habere bonā existimationē, tamen si iam habebat, peccat mortal. eam subtrahendo leuib; causis. Est enim ac si haberet malam: sed certè nullam illi iniuriam facit suspendendo iudicium, & omnino negatiuè se habendo. Primò certum est, q̄ potest velle de illo nunquam cogitare, quod si faciat omnino suspendet iudiciū, circa illum, non

ergo

ergo peccat suspendendo. Præterea, si ab initio nō tenebatur bonā habere existimationem: ergo meram illi gratiam facit bene de illo existimando, quod ergo hanc gratiam subtrahat nullam facit iniuriam, cum exterius non prodierit, nec sit ab eo acceptata, vt ius habeat quæsitum ad illam existimationem. Quamdiu ergo interior est, & non accepta pro libito possum reuocare, sine illius iniuria. Vnde vt à principio poteram non concipere, ita possum modò, dum tamen oppositam scilicet malam opinionem ac iudicium de illo non admittam, nō ergo peccat saltem mortaliter occasione aliquorum signorum etiā leuium negatiuè se habendo, & nihil siue boni, siue mali iudicando, sed veritati se remittendo. Imo verò putat in reg. 4. q̄ etiam si solam suspicionem habeat, peccat mortaliter tum ob rationem factam: tum quia, ait 454 magis vellet, quis vt de ipso iudicaretur, q̄ sit periurus, quàm suspicio habeatur de hæresi circa illum: at illud est mortale, ergo, &c. Sed falsum est, quia ad suspiciandū sufficiunt leuia indicia, vt dictum est, nullam ergo facit iniuriam. Vnde male docet, quod leuia indicia, nō sunt sufficientia ad suspicionem. Secundò, quia planè fatetur Tho. nullam suspicionem esse mortalem etiam sine vllō modo. Id enim pertinet ad tentationem humanam, & actus est omnino imperfectus.

455
QUARTA dub. de iudicio, quod vocant condemnatiuum, scilicet quando iudex aliquem ad mortem iudicio deputat, an peccet mortaliter si sit ipse in eodem peccato, Barth. Med. c. illo 14. §. 16. putat regulariter iudices & lictores & huiusmodi peccare mortaliter. Quia condemnant latronem vel concubinatum, cum tamen ipsi in eadem damnatione sint, & probat ex illo Pauli ad Rom. 1. *In quo alterum iudicas te ipsum condemnas.* Mihi videtur primum, quod si crimen iudicis vel alterius publica potestate iudicatis, est occultum, non peccat mortaliter iudicando, imo peccaret non iudicando. Nō enim tale iudicium munditiam & sanctitatem requirit, sicut actus ordinum ad quos ritè efficiendum gratia datur. Tum, etiam quia sacramenta sunt sancta, quæ ab immundis tractari non debent, at hæc iudicia condēnandi, vel capiēdi malefactorē, licet iusta sint, tamen non habent specialē illam sanctitatem, & dedicationē diuini cultus, vt ea tractare sine contritione, & gratia sit speciale peccatū. Secundò videtur quod si peccatū est publicum nisi sit speciale scandalum in eo iudicio vel captione exequenda, non est nouum peccatum mortale. Cum non sit illa noua deformitas.

456
QUINTA dub. vtrum ob iudicium temerarium exigatur restitutio. Videtur enim quod sic. Quia est contra iustitiam & proximo fit iniuria, vt docet D. Thom. 2. 2. q. 60. art. 3. ad 2. & 3. Bene respon. S. Tho. & Caiet. loc. cit. & Cord. memb. illo 4. de detract. q. 7. con. 8. ex Adri. 456 Quodlib. 11. q̄ si iudicium suspiciosum ac temerarium procedit ad exteriorem actum, vt si iudex ex eo condemnet, est directè contra iustitiā, & ita est obligatio restitutionis. Si verò solum maneat in interiori, licet sit essentialiter iniustitia, vt homicidium voluntate tantum cōceptum, non est restitutionis obligatio. Cum efficaciter proximus non damnificetur. Sed contra hoc est, q̄ D. Th. eadem 2. 2. q. 77. art. 1. ad 3. docet,

docet, esse detractionem, quando quis id quod bonum est, dicit mala intentione esse factum, & tamen detractio ad restitutionem obligat. Bene respon. Caiet. q. non inconuenit vnum vitium esse alteri admixtum. Vnde licet sit iudicium temerarium in quantum ipse iudicans malè opinatur, ac sentit de proximo, est etiam detractio in quantum malam generat in audiente opinionem. Vnde ex virtute, & vi verborum, detractio vitium incurrit, & tenetur restituere. Dices quomodo tandem est ad restitutionem obligandus eo solum, quod alterius corrumpat intentionem? Ex talibus enim verbis nulla infamia incurritur. Quoniam quilibet scit, quod ille non plus videt intentionem proximi quam ipse audiens, & quilibet alius. Secretorum enim cordis nullus est iudex. Si ergo illi vel non creditur, vel non credere deberent audientes, non tenebitur restituere. Cum nō det causam natura sua famæ ablatiuam, & ita non ei, sed aliorum leuitati in credendo est imputandum, vt supra diximus. Respon. falsum assumi, tantum scilicet scire de intentione eos qui audiunt ac detractorem ipsum. Tum, quia præsumunt audientes, quod aliquod secretum testimonium sibi sciat de proximi mala intentione, & ita asserendo malam intentionem proximi insinuat se aliud scire. Quo fit, vt si persona detrahens talis erit de qua præsumi possit, quod habeat aliquam specialem notitiam de proximi intentione, tenetur restituere famam, cum verè & efficaciter lædat, aliàs restituere non tenetur, cum ex sua temeritate odio, vel inuidia intelligunt audientes illum dixisse, non quod aliquid sciat, & ita docuit Cord. concl. illa 8.

QVINTA PARS DE
secreto seruando.

CIRCA secretorum obseruationem nihil est noui, quod hoc loco disputemus. Nam si secretum est de vitio aliquo siue naturali, siue morali, & huiusmodi, quod honorem ac existimationem alicuius iure possit offendere, iam satis est à nobis & quando peccatum sit, & quando sit necessaria restitutio explicatū, si verò sit de alijs negotijs ac rebus, in quibus ad laudem, commoditatem, dignitatem, vel salutem alicuius interest, vt obseruetur. Omnes doctores planè fatentur esse peccatum non illud seruare: maximè, cum sub fide & sigillo commissum fuit. Est enim de iure naturali fidelitas seruanda, & perfidia opposita in materia graui, mortalis, tam contra ius diuinum, quam naturale. Vnde secundum negotij qualitatem, personarum, & aliarum circumstantiarum, iudicari debet mortalis culpa, & damnorum restitutio omnino necessaria, cum ex transgressione legis iustitiæ eueniant. Vnde colligunt doctores eum qui epistolas, vel alias literas interclusas sigillo, vel alia via, legat, peccare mortaliter, si probabiliter cogitabat, vel cogitare debebat damnus aliquod inde prouenturum, aliàs tantum esse venialem curiositatem. Imo meo iudicio simpliciter est dicendum peccare mortaliter, vt bene docet Med. §. 36. etiam si res, quæ scripta erat postea, parui momenti comprehendatur. Exponit enim se periculo sciendi indebitè

indebitè secretum alterius, de quo ille est rationabiliter inuitè lesus nisi vel ratione amicitiae, vel alijs de causis crederetur, interpretatiua voluntas eius, qui scribit. Quamuis fortè dici possit, quod si aperiens illas literas certus est se non nociturum, nec eius occasione alium, non erit mortale, etiam si crimen aliquod ibi esset scriptum secluso ordine ad confessionem. Quia, vt supra dicebamus, sola apud vnum, qui nocere non potest, infamatio, non est mortale. De hoc latius disputant Sor. in speciali de regend. secre. Cord. in annotationibus ad illum tract. Barth. Medin. c. 14. §. 36. Alcocer. in sum. c. 22. Pedraza præcep. 8. D. Tho. 2. 2. q. 70. ar. 1. Nauar. c. 18. nu. 5.


ILLVD dumtaxat placet animaduerrere, audiisse me à nonnullis pro sapientibus habitis, quod obligatio seruandi secretum solummodo existit, quando quis alicui siue in confessione, siue extra se detegit, vel vt amico, vel vt consilium petat, &c. non autem quando quis non ita scit rem illam, quod ei sit commissa sub sigillo, sed quia rem aliter cognouit, vt quia scit esse concubinarium, & huiusmodi. Quam sanè doctrinam admittendam non esse ex dictis in toto hoc cap. manifestè constat. Eam enim nos, & Theologi omnes antiqui, vt verissimam supponendam censuimus. Eam verò in specie tradiderunt Sor. de secret. membr. 1. q. 2. con. 4. & Cordub. in eum locum. Barth. Med. lib. illo 1. c. 14. §. 36. Nauar. vbi supra & alij iuniores, qui eam tanquam verissimam confitentur, & meo iudicio ex opposito sequeretur, quod si quis peccata alicuius, vel confessata vel confitèda nouit. Siue quia intente voce confitentem audiuit, siue quia incidit in papyrum, vbi scripta continebantur & huiusmodi: non teneretur sigillo secreti sacramentalis, quod omnium rectè sentientium iudicio omnino aduersum est. Vt igitur hoc sacramentale secretum est seruandum, etiam si non sit specialiter illi sub fide commissum. Quia aliàs iniuria fieret sacramento, ita certè qui secretum, & mortale peccatum proximi cognouit, tenetur naturali secreto. Aliàs apertam iniuriam, & proximo, & iuri fidelitatis inferret, & id potissimum locum habet quando quis via iniusta tale secretum cognouit, vt si epistolam referauit iniquè, vel illicitè inquisiuit, vel metu extorsit, &c. Vnde sex genera secretorum confitentur. Med. vbi sup. Sor. & Cord. Alioqui sequitur, quod Astrologi illicitè secreta aliqua noscentes, vel ex suggestionem diaboli, vel alia de causa, non peccarent peccato infamiæ reuelantes fratres, & adulteros, &c. Dixi, peccato infamia. Quia peccato superstitionis, certum est peccare, & lædere proximum, & remp. in spiritualibus, vt satis longè supra declarauimus c. 2. & ad restitutionem nō solum specialium damnorum teneri, sed etiam famæ, & damnorum temporalium ex tali reuelatione, secretorum, vt de se constat. Vnde Aug. in c. Si peccauerit 2. q. 1. ait. *Si solus nosti quia peccauit in te, & tu vis coram omnibus arguere, non es correptor sed proditor.* Vnde beatus Ioseph certam habens suspicionem de adulterio, quia ipse solus senserat, ipse solus sciebat, attende quid de illo dicat Euangelium, *Ioseph autem cum esset iustus noluit eam diuulgare.* &c. Sed in hac re non oportet plura conferre, cum maturè considerantibus non existimem aliter licere opinari. Idque aded

verum cenſet Cord. vbi ſuprà, vt etiam ſi alij pauci viderint crimen cõmiſſum, vel aliud ſecretum teneat lege naturali illud ſeruare.

Hoc loco non aliena ſe offerebat occaſio diſputandi de ſigillo ſecreti ſacramentalis confeſſionis, in quo maxima ratio, & obligatio ſigilli ſeruandi, relucet: tum, quia in eo concurrit vtraque ratio ſeruandi ſecretum naturale, ſcilicet, quia peccatum occultè, & occultiffimo iudicio cognitum eſt à ſacerdote, vel à quocunq; audiente peccata ad cõfeſſionem ordinatarum, quia ſub fide & promiſſione implicita ſacerdoti, committitur, nõ ſolum ſicut ſecretum amico reuelatur, & commendatur ſub ſigillo ſecreti: ſed etiam, quia ſacerdoti, vt Deo, ſeu vt Dei locum tenenti, ſub eadem fide ſeruandi ſecretum, committitur. Accedit tertia ratio reuerentia, & religio ſacramento ſeruanda. Fieret enim iniuria ſacramento: Ac proinde peccatum eſſet ſacrilegij illud reuelare. Denique homines auerterentur, ac deterrerentur, à confeſſione, reddereturque ſuſpecta, oneroſa, & inuiſa: quod eſſet magnum Chriſtiane rei publicæ malum, ac pernicioſum. Sat igitur ſit ob hæc & ſimiles cauſas ſacrosanctum eſſe, & omnino inuiolabile hoc ſecretum: vt non ſine immani ſcelere frangi queat. Qui verò longiorem de hac re diſputationem deſiderat, conſulat doctores Theologos, in 4. Sot. d. 18. q. 1. ar. 3. & 6. Palud. d. 21. ar. 3. Dur. eadem. d. q. 4. S. Tho. ibidem. q. 3. ar. 2. & 3. Scot. q. 2. Richar. ar. 2. q. 3. & art. 5. q. 1. Gabr. q. 1. Maior eadem d. q. 3. Med. de poenit. cap. de cõfeſſione celanda. Caiet. 2. tom. opul. q. 13. Adria. in 4. q. vlt. de confeſſ. Sylueſt. verb. confeſſ. 3. q. 1. & ſeq. Angel. confeſſ. §. vlt. Ledef. 24. q. 10. Nauar. c. citato. nu. 52. & ſeqq. Barthol. Med. lib. 2. ſum. c. 4. Viguer. in ſum. c. 16. §. 4. verſic. 2. Qui igitur multarum occurrentium quæſtionum reſolutionem requirit, legat, & perlegat prædictos doctores. Nos enim de reſtitutione agimus. Ac de famæ quidem reſtitutione, ſatis ſuperque dictum eſſe arbitramur.

Et de toto hoc primo tomo ac volumine, vbi de damnis reparandis pro modulo diſputauimus. In quo quacunq; dicta ſunt, ſanctæ Romane Eccleſiæ (penes quam veritas reſidet) fidei, cenſorũque correctioni iudicioque integerrimo apertè & libenter ſubycio. Iam igitur Deo duce, ſecundum aggrediamur tommum, qui erit de rebus ablatis reſtituendis.

INDEX



INDEX RERVM ET SENTENTIARVM

NOTABILIVM PRIMI

romi de reſtitutione.

ACTVS liberi ſenſibile: ad quos homo naturaliter inclinatur cognoſci poſſunt per aſtra, licet non certò & infallibilitè. li. 2. c. 2. 28.

Per aſtorum concurſum tanquam per cauſam immediatam: non poſt aliqua electio humana cognoſci lib. 2. c. 2. nu. 25.

Aſtologus poſt cognoscere actus cogitative, & appetitus indeliberatos non tamen liberos, li. 2. c. 2. nu. 69.

Aſtologus poſt obſeruare dies & horas præcipue ad mala vitanda ibid. nu. 70.

Aſtologus poſt cognoscere euentus naturales horũ inferiorũ ibi. nu. 72

Aſtologus non poſt infallibilitè cognoscere agritudines, inclinationes, humores, &c. ibid. nu. 78.

Angeli nec dæmones cognoscere poſſunt huiusmodi agritudines, & inclinationes, ibid. nu. 79.

Angelus horum omnium habet certiore cognitionem, quam nos. ibid.

Aſtologus cognita natiuitate poſt verè pronũciare frequenter, ita vt aliquoties fallatur. ibid. nu. 81.

Agricultura non eſt certior aſtologia. ibid. nu. 99.

Aſtologus rem prognosticans, quæ certò futura erat, nec peccat, nec reſti-

tuere tenetur, lib. 2. c. 2. nu. 113.

Aſtologus iudicans de re in particulari, quæ ſciri non poſt tenetur facere reſtitutionem ſpiritualè falſæ doctrinæ, & temporalem damnorum ex ſuo iudicio ſecutorum. ibid. nu. 115.

Aſtologus tenetur reſtituere acceptum ipſi datum pro iudicio ferèdo, ſi res non ita euenit. ibidem, nu. 116.

Aſtologus nihil tenetur reſtituere ſi euentus ſit ſubſecutus arte diaboli, ibid. nu. 117.

Aſtologus tenetur reſtituere acceptum pro iudicio ſi res euenit caſu, & nullo ſuo labore. ibid. nu. 118.

Attentionè aliquam ad horas debet habere canonicus in choro, lib. 2. c. 2. nu. 202.

An accuſator teneatur ſecreto admonere antequam accuſet, lib. 2. c. 4. nu. 250.

B

Beneficium conferre indigno eſt peccatum mortale lib. 2. c. 2. par. 2. nu. 120.

Beneficium conferre minus digno, prætermiſſo digniori, peccatum eſt. m. ibid. nu. 121.

Beneficia non curat præter canonicatum lectoris non eſt peccatum. m. negare dignioribus modo cõcedantur dignis lib. 2. c. 2. par. 2. nu. 147.

Ex bello iniuſto damna omnia ſecuta reſtitueda ſunt. li. 2. c. 3. nu. 259.

I N D E X

Bellum nunquam esse licitum error est, *ibid.* nu. 269.

Vt bellum sit iustum, qua sunt necessaria, *ibid.* nu. 268.

Inferiores milites licite bellant, nisi sit evidens iniustitia belli, *ibidem* num. 270.

Milites capiētes in bello aliquid sine consensu generalis peccant, & restituere tenentur, *ibid.* nu. 285.

Vi aut metu cogens subditum ire ad bellum tenetur resarcire damna illi secuta, *ibid.* nu. 271.

Rogatis & vocatis ad bellum nihil est satisfaciendum *ibid.*

Quando bellum est iniustum non tenetur rex damna militum resarcire, *ibi.*

C

Compensatio an locum habeat in fama rest. *lib.* 2. c. 4. nu. 395.

Culpa triplex lata levis & leuissima *lib.* 2. c. 1. nu. 51. & seq.

Casuales euentus liberi non possunt cognosci per astra, *li.* 2. c. 2. nu. 46.

Caelum non potest esse signum eius quod non est causa *li.* 2. c. 2. nu. 62.

Chiromantia quid sit *li.* 2. c. 2. n. 109.

Damnanda est ars chiromantia *ibi.*

Canonicus qui non est praesens corporaliter in choro, non percipit fructus, *lib.* 2. c. 2. nu. 200.

Canonici defectu Capellanorum tenentur sub onere restitutionis in communi horas canere, *ibidem.* 205.

Canonici nihil tenentur restituere non recitantes horas communiter in choro, si eas recitet capellani *ibi.* n. 217.

Accedens ad corruptam, qua ut virgo habebatur, nihil tenetur restituere, *li.* 2. c. 3. nu. 448.

Quando teneatur homo sustinere contumelias, *lib.* 2. c. 4. nu. 101.

Quomodo teneatur quis contumelias remittere, *ibi.* nu. 102.

Clericis licet denunciare in causa sanguinis cum protestatione *li.* 2. c. 4. nu. 229.

Complicem reuelans aliter non potens per circumstantiam speciem mutantem declarare quomodo peccet, *ibid.* 268. & seq.

D

Igni electio in exteriori foro valida est omisso digniori, *li.* 2. c. 2. nu. 155.

Dignior est eligendus ad cathedram, *lib.* 2. c. 2. nu. 160.

Dignus de eadem Ecclesia debet praefici digniori de aliena *lib.* 2. c. 2. nu. 166.

Duellum in duobus casibus est illicitum *lib.* 2. c. 3. nu. 281.

Non licet propter tuendum honorem duellum acceptare, *ibid.* nu. 285.

Ad terminandam litem civilem vel criminalem non licet uti duello, *ibid.* nu. 288.

Licitum est duellum ob rerum & vitae defensionem quando iniuste quis patitur, *ibid.* nu. 289.

Licitum est bellum resolvere in duellum *ibid.* nu. 293.

Detractio quid sit *li.* 2. c. 4. nu. 104. Si peccatum publicum potest sine secreta monitione demonstrari, & deferri ad superiorem *lib.* 2. c. 4. nu. 177.

Nisi esset spes certa publica emenda, *ibid.* nu. 180.

Si delictum est secretum vergit in damnum publicum denunciari potest sine secreta monitione *ibid.* num. 185.

Si delictum est in damnum tertij statim denunciandum est, si non speratur correctio, *ibid.* nu. 189.

Errans in fide scienter statim denunciandus est, *ibid.* nu. 194.

Errans in fide ex ignorantia non est statim denunciandus, *ibid.* num. 196.

Quando

A L P H A B E T I C V S.

Quando crimen est secretum & solum peccati noxium prius debet secreto corripri qua denuncietur, *ibi.* nu. 227.

An denunciatione debeat precedere testium inductio, *lib.* 2. c. 4. nu. 258.

Detractio vide infamatio, & restituere.

E

Charistia non est ut medium necessaria ad salutem *lib.* 1. c. 1. n. 13.

Ebrius & dormiens tenetur de homicidio si providere potuerunt & debuerunt, *lib.* 2. c. 1. nu. 62.

Electio paschua Papa non debet esse necessaria in senatu Cardinalium *lib.* 2. n. 171.

Ad episcopum eligens dignum praetermissio digniori non tenetur restituere *lib.* 2. c. 2. nu. 175.

Excommunicatus recitans horas veniens ad chorum & residens non tenetur fructus restituere *ibid.* n. 237.

F

Fortunatum esse aliquem non potest cognosci ex siderum inspectione *lib.* 2. c. 2. nu. 50.

Fortunatum esse aliquem cognosci potest ex celo *ibidem* numero 51.

Pro vitanda fortificatione, licet se occidi permittere *lib.* 3. cap. 3. n. 14.

Filius desiderans mortem patris propter hereditatem peccat, *m.* *ib.* n. 209.

Fama definitio *lib.* 2. c. 4. nu. 6.

Fama vide infamatio detractio restituere.

G

Gratiam an conferat sacrificium *G*missa, vide sacrificium.

H

Homicida sciens tempore quo occidit alteri imputandum suum

delictum tenetur restituere damna, *lib.* 2. c. 1. nu. 79.

Horas canonicas non recitans peccat, & tenetur restituere *li.* 2. c. 2. 183.

Horarum canonicarum fructuum restitutio facienda est Ecclesiae, vel pauperibus, *ibid.* nu. 191.

Horas canonicas recitans sine attentione peccat, & tenetur fructus restituere, *ibid.* nu. 232.

Homicidium iure naturali prohibitum est, *lib.* 2. cap. 3. nu. 11.

Propter honorem vitam periculo exponere aliquando licet, aliquando non, *lib.* 2. c. 4. nu. 13.

Honores Ecclesiasticos appetere licitum est aliquando, *ibid.* nu. 23.

Licitum est aliquando Ecclesiastica beneficia appetere, *ibid.* nu. 41.

Obiciens alteri crimen publicum animo iniuriandi, licet peccet, non tamen restituere tenetur *ibid.* nu. 99.

Heresis definitio *ib.* 2. c. 4. n. 197. Homicidium, vide occidere

I

Irregularitas ex casuali homicidio non incurritur ob leuissimam culpam *lib.* 2. cap. 1. numero 45.

Quid sit ignorantia concomitans *lib.* 2. c. 1. nu. 60.

Homicidium factum cum ignorantia comitanti non parit restitutionem, *ibid.*

Irregularis est ebrius & dormiens occidendo hominem, si probabiliter credebatur cum esset in vigilia esse occisurum, & non aliter, *ibidem* nu. 75.

Inducens alium ad peccatum non tenetur ex iustitia, sed ex charitate ad gratiam restitutionem, ob fraternam correctionem, *lib.* 2. cap. 2. nu. 50.

Interrogationes furtorum per astra illicitae sunt, *lib.* 2. cap. 2. nu. 55.

Interrogationis figura debet sumi

à principio impetus sensitiui lib. 2. c. 2. num. 66.

Indignum eligere ad beneficiū non tantū peccatū est: sed collatio est nulla in utroque foro lib. 2. c. 2. n. 154.

Esse de iure diuino eligere meliorem: qua ratione sit intelligendum lib. 2. c. 2. n. 157.

Inquisitio dignioris non semper debet fieri nomine lib. 2. c. 2. n. 173.

Innocentem occidere licitum est ob publicū bonum lib. 2. cap. 3. num. 121.

Innocentem indirecto occidere non licet. ibid. num. 135.

Innocentis occisio licita est, si aliter aggressor coerceri non potest. lib. 2. c. 3. num. 169.

Innocentem probatum nocentem in civilibus licitum est iudici condemnare. lib. 2. c. 3. num. 160.

In criminalibus non licet iudici innocentem probatum nocentem, condemnare. ibid. num. 161.

Non potest iudex etiam supremus morte punire, si crimen est improbabile. ibid. 181.

Iudex non potest reum condemnare sine testibus. ibid. num. 198.

Iudex peccat. m. condemnans reum scientia priuata, tenetur ad restitutionem. ibidem numero. 205.

Innocentis mortem desiderare nullo sine rationabili, peccatum est. ibid. numero 207.

Iudex tenetur dare tempus confessionis & communionis reo, ibid. num. 221. & sequent.

Iudici licitum est animo vindictæ reum cōdenare ad mortē. ibid. n. 233.

Iudici non licet ex odio reum condemnare. ibid. n. 239.

Iudex supremus extorquēs crimen præter iuris ordinē, peccat, & tenetur restituere, non autem inferior. l. de legatus. ibid. num. 224.

Infamare se ipsum iusta, & rationabili causa non est peccatū, sed opus meritorium. lib. 2. c. 4. nu. 108.

Infamare seipsum non est ex genere suo peccatū mortale. ibid. nu. 113.

In quibus casibus sit peccatū mortale infamare seipsum, ibid. num. 121.

Iudici non licet inquisitionem facere, quando crimen est occultum, & persona. ibid. num. 151.

Quo infamia requiratur, ut iudex possit procedere via inquisitionis. ibid. num. 151.

Infamia delicti sufficit ad inquirendum de persona, licet sit occulta. ibid. num. 159.

Iudice iuridicè interrogate de crimine publico, nō tenetur testis vel reus dicere veritatem, si persona est occulta. ibid. num. 67.

Iudicia competentia sine infamia sufficiunt ad inquirendum in crimine publico. ibid. num. 168.

Interrogare non potest iudex proditum de vno crimine, de alio crimine. ibid. num. 170.

Non potest iudex conuictū de vno crimine, de socijs occultis interrogare. ibid. num. 173.

Utrum sit infamator, qui narrat peccatum notoriū nescienti illud, lib. 2. c. 4. num. 287.

Infamatum in vno loco quomodo licet manifestare in alio. ibid. n. 286. & seq.

Infamati iā olim per inquisitores an liceat peccatum renouare, ibi. 297.

Ad infamationis peccatum incurrendum, an requiratur esse. m. crimen, quod reuelatur. ibid. num. 306.

An dicens peccatum veniale alterius possit peccare. m. ibidem nu. 311.

Qui dicit generalia verba turpia, ut aliquem esse superbum, auarum &c. peccet. m. ibid. 319.

Detegere quodcunque peccatū. m. l. falsum imponere sit detractio mortalis. ibid. num. 322.

Reuelans peccatū minus graue sit

peccatum mortale detractiois, ibid. num. 340.

Qui recitat se audisse. V. peccet. m. ibid. num. 229.

Reuelare peccatū. m. vni. l. duobus grauib. viris quibus dicere est, ac si nulli diceret. An sit. m. ibid. n. 335.

Infamatorem audiens, An peccet. m. ibid. num. 334.

Infamari. v. possit qui falso bonam famam adeptus est. ibid. num. 341.

Qui non dicit virtutes alicuius, ut sit detractor. ibi. nu. 344.

Negans crimen, quod verè commisit, quomodo peccet. ibi. nu. 346.

Infamare mortuum, an sit peccatum mortale. ibid. nu. 350.

Infamans congregationem, vel aliquem ex illa sit detractor, m. ibidem num. 353.

Audiens alicuius crimen notabile scire procurans, an peccet mortaliter. ibid. nu. 360.

Infamatio, vide restituere.

Qui aliquē falso infamauit. v. tenetur dicere esse meritū. ibid. n. 375.

Iudicium temerarium, admittens an sit detractor, & restituere teneatur. lib. 2. c. 4. n. 444.

An sit iudicium temerarium credere aliquem esse ex genere Iudeorum, ibid. num. 450.

An suspendere iudiciū de defectu alicuius sit peccatum. m. ibid. n. 453.

Iudicium condemnatum quādo est. ibid. 454.

Iudicium temerariū, an exigat restitutionem. ibi. num. 455.

Vide occidere.

L

Lex illa qua ad beneficia non assumuntur, nisi ex ciuitate. l. natione equissima est, lib. 2. cap. 2. num. 165.

Mortuus resurgens non est restituendus uxori. l. religioni bene tamen in bonis temporalibus. lib. 1. c. 2. num. 3.

Medicus non ita fallitur, sicut astrologus, triplici de causa. lib. 2. c. 2. num. 193.

In missa sacrificio est triplex valor ex opere operantis. lib. 2. c. 2. n. 245.

In missa sacrificio est alius triplex valor ex opere oblatis Christi. ibid. n. 249.

Missæ valor prout est ab Ecclesia, maior est quam prout est a ministro. ibid. num. 251.

Missæ sacrificium tribus modis potest alicui applicari. ibid. num. 256.

Missæ fructus ex opere operantis minuitur ex consortio participantium. ibid. num. 257.

Missæ fructus ex opere operato valet tantum cum pro multis offertur, quam cum pro vno. ibid. num. 268.

Missam promittēs tribus satisfacit, vnam tantum pro illis celebrando. ibi. num. 320.

Missæ valet ex iustitia ad remissionem pœnarum peccatorum, ibid. num. 351.

Missam postponere notabiliter peccatum est. ibid. num. 367.

Missas anticipatas dicere, licitum est aliquando sacerdoti. ibid. n. 371. & sequentibus.

In vna vel duabus missis defraudans sacerdos aliquando tenetur restituere, aliquando non. ibid. n. 381.

Cooperari ad propriam mortē non potest quis actione positua, bene tamē negatiua. lib. 2. c. 3. num. 72.

Mutilare seipsū nullo sine & priuata auctoritate, peccatum est. lib. 2. c. 3. num. 94.

INDEX.

Matri licitum est ante fetus animationem sumere medicinam, etiam si sequatur abortus lib. 2. c. 3. n. 140.

Sciens proximum esse in mortis articulo tenetur ei succurrere lege charitatis non iustitie nisi sit persona qua ex officio ad id tenebatur, ibid. num. 421. & 422.

Quando teneatur quis proximum à morte, vel ab alio periculo liberare, ibid. num. 424. & 425.

Opus bonum licet fiat in charitate non est meritorium si fiat ob malum finem lib. 2. c. 4. num. 47.

N

Extrahens novitiū à religione non tenetur restituere lib. 2. c. 2. n. 13.

Extrahens novitiū à religione vi & fraude tenetur restituere ibi. n. 17.

O

Occidens se non agit contra iustitiam, lib. 3. c. 2. num. 34.

Occidere innocentem ob commune bonum, an liceat lib. 2. c. 3. num. 119. vsque ad. 133. in quo habetur resolutio.

Occidere rerum inuasorem domi iam quiescentem, an liceat lib. 2. cap. 3. numero, 410.

Occidere seipsum nullo fine licitum est, lib. 2. cap. 3. num. 17.

Licet magistratibus facere facultatem occidendi publicos vel occultos malefactores quorum damna pendent in futuro lib. 2. cap. 3. numero, 218.

Peccat vir occidens uxorem adulteram & tenetur rest. ibid. num. 220.

Occidere non licet privata auctoritate proximum lib. 2. cap. 3. n. 328.

Occidere licet inuasorem pro vita propria defendenda, ibid. num. 332.

Occidere licet inuasorem pro vi-

tanda mutilatione, ibidem numero 346.

Accepta iam iniuria non licet occidere iure defensionis, ibidem, num. 350.

Parantem insidias & arma licitum est occidere, ibidem.

Euntem ad ferendum testimonium falsum, an liceat occultè occidere, ibi. numero 359.

Licet occidere inuasorem, quando inuasus dedit causam, ibidem numero 363.

Occidere licet inuasorem minantem malum contra honorem ibid. nu. 369.

An licet occidere inuasorem molientem auferre honorem lingua & detractione, ibid. num. 375.

Accepta iniuria si contumelia non ulterius impendet, non licet inuasorem domi quietum repercutere ibid. numero 380.

Clericis non licet honoris inuasorem occidere ibid. num. 390.

An clericis liceat occultos fama detractores occidere, ibid. num. 391.

Licet occidere inuasorem pro defensione castitatis ibidem, num. 383.

Licet inuadentem rem familiarem occidere ibid. num. 397.

Licet clerico occidere inuasorem rei familiaris ibid. num. 415.

Occidere licet inuasorem pro saluanda vita, honore, rebusque proximi innocentis ac reip. ibid. numero 419.

P

Pollutio quando peccatum m. in tom. 1. lib. 2. c. 1. num. 50.

Extrahens professum non tenetur ipse intrare li. 2. c. 2. n. 17. tenetur tamen alium substituere si comode potest, ibi.

Professione seclusa & fraude non tenetur extrahens aliquem à religio-

ne

ALPHABETICVS.

ne restituere damna temporalia sequuta, ibid. num. 20.

Professum extrahens à religione persuasionibus, v. l. fraude tenetur omnia damna religioni sequuta restituere ibid. num. 21.

Pyromantia & aeromantia, quid sit, & quid sentiendum de illis, lib. 2. cap. 2. num. 102. & seqq.

Pensiones non tuto dantur, nisi dignis lib. 2. num. 173.

R

Restitutionem non esse necessariam ad salutem, saltem ut preceptum heresis est, lib. 1. c. 1. n. a. num. 3. & infra.

Restitutio non est necessaria, vt medium ab salutem lib. 1. c. 1. n. 10.

Preceptum restituendi directè & principaliter est negatiuum, secundario positium, lib. 1. cap. 1. num. 17.

Restitutio quid, & quatuorplex sit, lib. 1. c. 2. num. 1.

Restitutio est actus commutatus iustitia sed non est improbabile esse aliquando actum distrib. lib. 1. c. 2. a. num. 10.

Restitutio non est pars satisfactio- nis, lib. 1. c. 2. num. 12.

Quis restituere tenetur in communi lib. 2. c. 1. num. 2.

Ex transgressione aliarum virtutum à iustitia non obligatur quis ad restitutionem lib. 2. c. 1. num. 10.

Restitutionis improprie dicta obligatio incurritur ex peccato veniali, lib. 2. c. 1. num. 46.

Vt obligatio restitutionis proprie dicta incuratur, requiritur peccatum mortale, ibid.

Restitutio sub mortali requirit peccatum mortale: restitutio verò sub veniali, requirit veniale peccatum, ibid. num. 48.

Restitutionis obligatio incurritur ex dolo seu lata culpa, lib. 2. cap. 1. num. 53.

Nullus tenetur ad restitutionem ex leui, & leuissima culpa, ibid. num. 57.

Religiosi tenentur eligere digniorem lib. 2. c. 2. num. 108.

Resignatio beneficiorum simplicium debet fieri digno: curatorum vero digniori lib. 2. c. 2. num. 173.

Reus non potest negare veritatem quando interrogatur à iudice, si tamen est aliqua probabilitas delicti lib. 2. c. 4. num. 133.

In causa criminali potest reus in conscientia veritatem contegere secluso mendacio, ibid. num. 142.

Restituere quare teneatur infamator lib. 2. c. 4. num. 362.

Restituere an teneatur aliquis famam sibi, ibid. num. 366.

Qui aliquem infamauit, an teneatur restituere, si eius famam in alia materia auxit, ibid. num. 369.

Restituere an teneatur aliquis infamato, si ille suis optimis factis suam innocentiam ostendit, ibid. numero 371.

Vtrum damna temporalia, que incurrit infamator sint restituenda, ibid. num. 373.

Restituere an teneatur tantum qui verè infamat, quam qui falso, ibid. num. 384.

Restitutio fama, v. condonari possit, ibid. num. 385.

Qui se mutuo infamant, an sint liberi à restitutione per mutuam compensationem, ibid. num. 395.

Restituenda an sit fama cum periculo vita, ibid. num. 400.

An cum fama restitui non potest in specie debeat pecunia compensari, ibid. num. 414.

An excuset à restitutione fama,

INDEX

quod infamatio sit antiquata, *ibidem*. num. 420.
 Hæres, an teneatur pro fama à defuncto ablata restituere, *ibid.* numero 426.
 Accusatus malè negans crimen, an teneatur restituere famam accusatori, *ibid.* num. 427.
 Qua causa excuset à restitutione fama, *ibid.* num. 432.
 Qui peccatum publicavit, an teneatur coram omnibus qui rem cognoverunt se retractare, *ibid.* num. 442.

S

Societas IESU laudatur, lib. 2. c. 3. num. 60.
 Seruus iuste quis est, lib. 2. cap. 3. num. 286.
 Simonia mentali accepta non restituenda, lib. 2. c. 2. num. 388.
 Spiritualia bona pertinentia ad intellectum tenentur restituere, qui in illis damnificavit, lib. 2. c. 2. num. 3.
 Symonia definitio explicatur, lib. 2. cap. 2. num. 384.
 Symonia duplex genus, *ibid.* num. 386.
 Accepta per symoniam mentalem non sunt restituenda, *ibid.* nu. 392.
 Per symoniam conventionalem accepta, sine voluntate emendi non sunt restituenda, licet peccet, ita faciens, lib. 2. c. 2. num. 411.
 Accepta per symoniam conventionalem cum voluntate emendi, obnoxia sunt restitutioni, *ibid.* num. 414.
 Nec symonia mentalis, nec conventionalis sufficit, ut Ecclesiastica pœna incurrantur, *ibid.* num. 426.
 Stuprum non addit novam malitiam supra simplicem fornicationem, lib. 2. cap. 3. num. 433.
 Stuprans puellam liberè consentientem nihil tenetur restituere, *ibid.*

num. 435.
 Stuprans virginem violenter tenetur damnum resarcire, *ibid.* nu. 440.
 Accedens ad corruptam, que ut virgo habebatur, nihil tenetur restituere, lib. 2. cap. 3. num. 448.
 Stuprator iniustus non tenetur ad restitutionem si virgo nupsit aequè bene, *ibid.* num. 451.
 Superiori precipienti sub excommunicatione reuelari criminis secretum auctorem quando & in quibus casibus parendum est, lib. 2. c. 4. num. 211.
 Secreti seruandi obligatio, lib. 2. cap. 4. num. 459.
 Sacrificium, vide missa.
 Sacramentum, vide missa.

T

Tactus & oscula cum aliena ex libidine sunt peccata mortalia, lib. 2. cap. 4. num. 317.
 Taurorum agitatio non est illicita ex natura rei, nec excommunicatio ei annexa, lib. 2. c. 3. num. 300.
 Taurorum agitatio illicita est si est periculum vel occasio peccati mortalis vel scandalum, *ibid.* num. 301.
 Peccant mortaliter clerici, qui taurorum ludis intersunt, sed non sunt excommunicati ipso facto, *ibid.*
 Laici seculares in diebus festis taurorum agentes peccant, *ibid.* num. 304.
 Laici religiosi peccant astantes agitationi taurorum, *ibid.* num. 312.
 Theologus aptior est ad Episcopatum ceteris paribus, quam iureperans, lib. 2. c. 2. num. 165.
 Testes quando peccent ferendo testimonium, lib. 2. c. 3. num. 249.
 Testis pergens dicere falsum testimonium ad mortem, an possit occidi, si aliud non superest remedium, vide occidere.

Tyrannus

ALPHABETICVS.

Tyrannus rex dupliciter dicitur, lib. cap. 3. num. 41.
 Vitam ponere pro salute temporali hominis privati non licet, *ibid.*
 Vita notabiliter minuens vigilijs & ieiunijs, peccat mortaliter, nisi causa pietatis faciat, lib. 2. c. 3. num. 88.
 Vitam pro Christo offerre tenetur Christianus cum si non faceret vituperio esset Christus, *ibid.* num. 111.
 Verberare, vulnerare, aut ligare non licet privata auctoritate, publica tamen licet, lib. 2. cap. 3. num. 459.
 Verba iniuriosa proferre cum intentione iniuriandi notabiliter peccatum est mortale, lib. 2. c. 4. num. 64.
 Quid & quomodo pro talibus iniurijs verborum sit restituendum, *ibid.* num. 96.

ELIAM VITIA B ONA
 FINIS



LVGDVN I,
EXCVDEBAT IACOBVS ROVSSIN,
ANNO SALVTIS HVMANÆ
M. D. XCIII.